













HENRIK GABRIELIN PORTHAN  
Suomalaisen Kirjallisuuden Seuran

Toimituksia.

H. G. PORTHANIN SKRIFTER  
21 Dsa.

3 nbfko.



Summation der Ergebnisse

Ergebnisse

1872

1873





HENRICI GABRIELIS PORTHAN

OPERA SELECTA.

PARS TERTIA.

---

H. G. PORTHANS SKRIFTER

I URVAL

UTGIFNA

AF

FINSKA LITTERATUR-SÄLLSKAPET.



---

HELSINGFORS,

Finska Litteratur-Sällskapets tryckeri, 1867.





**HISTORIA**  
**BIBLIOTHECAE R. ACADEMIAE ABOËNSIS,**  
**DISPUTATIONIBUS PUBLICIS XXIII**

PROPOSITA

AB

**HENR. GABR. PORTHAN.**

---

*(Aboae 1771—1787).*

---

S:AE R:AE M:TIS

SUMMAE FIDEI VIRO, REGIS REGNIQUE SVEO-GOTHICI SENATORI, REGIAE  
CANCELLARIAE PRAESIDI, SUPREMO AULAE REGIAE PRAEFECTO, REGIAE  
ACADEMIAE ABOËNSIS CANCELLARIO, ORDINUM REGIORUM EQUITI, COM-  
MENDATORI AC CANCELLARIO, CELSISSIMO ATQUE ILLUSTRISSIMO  
COMITI, DOMINO

CLAUDIO EKEBLAD,

MAECENATI SUMMO.

~~~~~  
Ignosce mitis, quod mea pagina  
Audet gerentem pro Patria graves  
Curas, adire TE, TUOSQUE  
Ante oculos male culta prodit.

Gazam conatur pandere sedula,  
Amoena musarum arva colentibus  
Sacram, TUO laetis favore  
Hic studiisque bonis dicatam;

Quam liberalis munere splendido  
Auxisti, et almae pignora gratiae  
Quae continet, TUAEQUE curae  
Maxima tot monumenta servat.

Audaciam quod addidit et mihi  
Sacrandae opellae, VIR, TIBI, MAXIME,  
Nostrisque, MAECENAS, camoenis,  
Usque pio celebrande plectro!

ILLUSTRISSIMAE EXCELLENTIAE TUAE

*Cluus devotissimus*

HENRICUS GAB. PORTHAN.



## PRAEFATIO.

Quamquam neque multitudine librorum et praestanti delectu, nec pretiosorum gloria voluminum codicumve, Bibliotheca quam Regia possidet Academia Aboënsis, perpetua paupertate multisque saepe aliis conflictata malis, palmam caeteris, etiam intra Patriam, celebrioribus librorum collectionibus, dubiam reddere valet; unica tamen haec in his oris Bibliotheca publica, quae quidem ea digna sit appellatione, quin diligentius quam hucusque factum cognosci, eruditorumque quasi ante oculos collocari, multis nominibus mereatur, dubitari haud potest. Quamobrem non inanem, sed gratam potius literarum curiosis, et ad illustrandam Historiam Patriae Literariam pertinentem, nec ipsi etiam Bibliothecae nostrae plane inutilem susceptum iri operam putamus, si fata ejus faciesque luci breviter exponantur publicae; quo pacto occasio etiam simul habebitur opportuna, memoriae Augustorum, Illustrium, reliquorumque de re Literaria optime meritorum celebris hujus Lycei benefactorum, grates persolvendi debitas, qui sua munificentia atque liberalitate, ad librariam nostram suppellectilem augendam ornandamque, et musas sic nostras immortalis beneficio devinciendas, generose et laudabiliter contulerunt; qui quamvis non multi admodum haec hactenus fuerint, eo tamen majori a nobis veneratione mentisque gratissimae affectu coli merito debent. Susceperat itaque hanc telam diligenter pertexendam, Thesauri nostri hujus literarii non ita pridem Praefectus meritissimus, Cel. D. Mag. *Henricus Hylleen*; qui nisi ad aliam delatus stationem, gravioribus curis ab ea persequenda fuisset impeditus, dubium non est

quin eruditissime eam spartam fuisset ornaturus: sed cum illius a musis nostris discessu, spe ista excidissemus, atque per septem fere hos annos cum librario hocce penu arctius habens commercium, aliquam mihi suam fatorumque suorum notitiam comparassem, animum eidem consilio exsequendo, Historiaeque Bibliothecae nostrae enarrandae adjeeci; cujus conatus fructum, virium referentem tenuitatem, benigno Lectoris judicio jam submitto. Dedi operam, ut nihil quod idoneis testimoniis firmatum, probatisque ex fontibus, Actis Consistorii Academici, et aliis tutae fidei monumentis, ipsaque librorum autopsi, haustum non esset, traderem aut affirmarem. Tribus Dissertationibus Academicis, quarum duae posteriores proximo intervallo autumnali, si DEUS vitam viresque largiatur, lucem adspicient, opellam edere constitui, has modo paginas, temporis angustia aliisque rationibus jubentibus, hac occasione praemittens.

### §. I.

Fennos vetustissimos, ante introductam in has oras armis curaue Sveonum, circa medium saeculi XII, religionem Christianam (cujus suscepti operis notitiam, passim Historici nostri, tam Ecclesiastici quam Politici praebent) literarum tenuisse usum, ullaque adeo earum habuisse monumenta, nobis haud constat. Nulla enim illarum aut in lapidibus, cippisque sepulcralibus, aut in aliis vetustatis monumentis, reperiri potuerunt vestigia; multo minus suspicandi aliqua ratio est, libris majores nostros instructos fuisse. Ipsa conditio gentis, antiquissimis illis temporibus, quantum ex variis concludere rationibus, exterorumque de illa scriptorum testimoniis colligere possimus, nihil etiam tale sperare jubet. Atque haec sine dubio una ex gravissimis caussa est, cur vetustior Fennorum historia tam spissis et plus quam cimmeriis obducta jaceat tenebris, quarum unquam dispellendarum vel tenuis vel nulla plane spes remanet. Suppetit quidem in lingua nostra vox *ſirja*, et *librum* et *epistolam* significans, cujus natales ex qua lingua

extera repetam, non habeo; sed quo minus hinc concludamus, in literatura majores nostros antiquissimos aliquos fecisse progressus, obstat quod nec *literae* apud nos domesticum vocabulum occurrat. Quin tamen suas habuerint scientias suumque doctrinae cultum, ad rerum suarum conditionem adtemperatum, de quo hic pluribus disputare non vacat, dubitare omnino non licet. Christianis autem huc translatis sacris, et viros literarum peritos ad oram nostram commigrasse, et indigenas earum usum sensim docuisse, extra dubium est; quod necessarium etiam ad novam religionem propagandam, et homines linguae gnaros huic operi, majore cum fructu praeficiendos, sacrisque administrandis qui idonei essent, simul formandos, apprime fuit. Quamquam non admodum magna in hoc negotio nec prudentia, nec diligentia, versatos fuisse homines, qui et pro sua indole et more saeculi in convertendis et illuminandis ethnicis vi atque armis quam argumentis et persuasionem uti mallet, potiusque solerent, admodum probabile est. Necesse tamen fuit, ut ad literarum notitiam promovendam, paulatim aliqua instituta, ad hunc scopum tendentia, adhiberentur. Nec verosimilitudine caret, etiam hanc non levem fuisse causam monasteriorum s. coenobiorum in hac regione condendorum, in quibus et pietatis et literarum studium simul promoveretur<sup>1)</sup>. Quos autem in his literarum palaestris nostri homines facere potuerint progressus, ex caeterarum hoc aevo gentium, et Sveonum inprimis, qui suas huc apportabant literas, eruditione, quae quidem valde tenuis erat, judicium fieri potest<sup>2)</sup>. Conabantur tamen sine

1) Cfr. de his omnibus quae egregie disputat Reverend. RHYZELIUS *Monasteriol. Sveogoth.* L. VIII p. 287 sqq. Vid. etiam *Historiae Academiae Aboëns.* sub Praesidio Cel. D. Professoris BILMARK editae Part. I §. 1.

2) Cum de doctrina mediæ aevi in genere, tum de insigni quem monasteria in ea tuenda tenebant loco, consuli possunt plurimi, et nostrates et exteri, Historiae tam Ecclesiasticae quam Literariae Scriptores: inter quos non est indignus qui nominetur Dn. JOHANNES ROLOTT, Gevaliensis, in Dissert. *De Professo-*



dubio pro virili sua ista studia urgere. *Raumensis* certe Schola, etiam post repurgatam religionem florens, et *Collegii Raumensis* nomine celebris, atque *Wiburgensis*, cujus Rectoris D:ni *Johannis Erasmi* cum laude meminit Reverend. JUUSTEN <sup>3)</sup>, nobiles atque praeclaros discipulos educarunt <sup>4)</sup>; quibus Aboënsis, utpote quae ad templum Cathedralre et Episcopalem sedem viguit, palmam sine dubio non concessit <sup>5)</sup>. Unde factum, ut jam hoc aevo Finlandia viros doctos habuerit, qui in exteris quoque terris eruditionis gloria clari fuerint; ceu ex *Chronico Episcoporum Finlandiae* Reverendissimi JUUSTEN, passim videre est. Atque ad has literarum sedes, aliquas etiam, pro temporis et institutorum ratione, librorum fuisse collectiones, ut de aliarum nationum coenobiis scholisque hujusmodi constat, Bibliothecarum licet vix nomine dignas, probabile est <sup>6)</sup>; quin templum Cathedralre Aboënsis, tali instructum fuisse librorum penu, luculentissimis testimoniis extra dubium ponitur <sup>7)</sup>. Has tamen omnes Librarias jam pridem dissipatas esse,

---

*ribus Academicis*, Holmiae excusa 8:o, et Upsaliae ventilata a. 1682; Part. I praes. *Claudio Arrhenio*, Part. II praes. *Joh. Columbo*. Vide Part. post. Sect. III. Art. 20—24 etc. p. 111 sqq.

<sup>3)</sup> In *Chronico Episcoporum Finlandiae*, egregio antiquitatis nostrae monumento, apud illustrem Dn. NETTELBLADT, *Schwedische Bibliothec*, Erstes Stück p. 86.

<sup>4)</sup> RHYZELIUS l. c. C. III p. 299 sqq. et C. VI p. 308 sqq. Cfr. JUUSTEN l. c. p. 83 et 86.

<sup>5)</sup> RHYZELIUS l. c. L. VIII praef. et C. I p. 289 sq. Cfr. JUUSTEN l. c. p. 83.

<sup>6)</sup> Cfr. Nob. v. STIERNMAN *Tal för Kongl. Vetenskaps Academiens om de Färda Vetenskapernas tilstånd i Svea Rike under Hedendoms och Påfvedoms tiden*, p. 121 sq. *Celeb. NORRELIJ Stricturae in Bibliothecae Upsaliensis Historiam* p. 26—35. Nob. CELSIJ *Bibliothecae Regiae Stockholmiensis Historia*, p. 3—6. Cl. ALNANDER *Historia artis Typographicae in Svecia* C. I §. I. RHYZELIUS l. c. p. 299. ROLOTT l. c. etc.

<sup>7)</sup> JUUSTEN l. c. p. 70. de Episcopo Aboënsi *B. Hemmingo*, qui obiit a. 1367, haec habet verba: *Dedit Ecclesiae (Cathedrali) pretiosos libros Theologiae et Juris Canonici multos*, (Cfr. Reverend. SPEGEL *Svenska kyrko=Historiens Andra*

penitusque destructas, non mirabitur, qui noverit quot infestis hostium incursionibus, quot incendiis, aliisque malis, et tota haec ora, et inprimis Urbs Aboënsis, vexatae atque afflictæ fuerint<sup>8)</sup>. Hinc enim factum, ut nulli jam libri, ante emendata feliciter Sacra, publicis istis consecrati collectionibus, superesse atque ex communi evasisse naufragio deprehendantur. Neque nova aliqua, insignior quidem, primo post reformatam religionem saeculo, in Finlandia collecta fuit librorum supellex: vix enim nominari meretur, quam Templum hujus Urbis Cathedrale possedit, sensim sine dubio comparatam rursusque flammis infestata, cujus reliquiae in Bibliothecam tandem Academicam immigrarunt; ut nec pauci illi libri, quos Schola Aboënsis, post Sacrorum emendationem florere pergens<sup>9)</sup>, sibi acquisivit, quorum itidem melior pars Bibliothecae Academicæ cessit. Ad tempora igitur institutæ hic Academiae, quæ publica quoque, non multo post, Bibliotheca ornata fuit, in quam tennes isti rivuli confluerunt, deinceps paucis describendi, statim nos transferemus; faventio-rem tandem indagini nostræ feracioremque, desertis his peragratis, offensuri campum.

Del. 7 Bof. C. I p. 391) et de vere magno Episcopo *Magno Olai Tavast*, p. 74: *Hic plurimos Theologiae et Juris libros, ad usum Ecclesiae acquisivit.* (Vid. §. III not. 8).

<sup>8)</sup> Cfr. *Diss. D:ni RENSTRÖM, Historia Sveogothica deficiens et restaurata*, Praes. Celeb. Dn. SCARIN hic Aboæ edita, C. II Sect. 2 §. 3. STIERNMAN l. c. p. 121—125. RHYZELIUS et ALNANDER ll. cc. De frequentissimis autem quæ Aboam vastarunt incendiis, hostilibusque incursionibus, cfr. Reverend. JUSLENI *Aboa Vet. et Nova*, C. II §. 11 et 15, p. 38 et 42, sq. Nob. GYLLENSTOLPE *Epit. Descript. Sveciae, Gothiae, Fenningiae* etc. Lib. VII C. 6. MESSENII *Scand. Illustr.* Tom. X p. 19, 20, 21, 25, 26, 35. T. V p. 100 et 107. T. XV p. 116 et 117. et JUUSTEN apud NETTELBLADT l. c. passim, ut p. 69, 76, 77, 81, 85. Inprimis autem notari meretur quam p. 80 sq. describit crudelis Danorum irruptio, duce quodam *Otone Ruth*, qui inter alia foeda et atrociam *spoliabant Ecclesiam Cathedralem* — — — *libris melioribus.*

<sup>9)</sup> Confr. *Historia Acad. Aboënsis* l. c. p. 4.



## §. II.

Conditā hic An. Dn. 1640, felicibus Auspiciis, favore Reginae, Litterarum amantissimae, deque earum in Patria flore immortaliter meritaе, *Christinae*, hortatu et sollicitatione excellentissimorum et meritissimorum virorum, celebri Christinaea Academia <sup>1)</sup>, mox desiderabatur, Musis recens huc translatis voluptatem, usum, suppetiasque praebitura Bibliotheca bene instructa; sine qua in literis insignes progressus fieri, aut multa egregia praestari non poterant. Tradunt viri de Historia Patriae summis meritis clarissimi, Reginam idcirco statim post conditam Academiam, Bibliothecam quoque hic fundasse <sup>2)</sup>, regalique mactasse munitentia: sed haec verba stricte nimis non sunt interpretanda; nihil enim primis sex annis nova Academia accepit, liberalitate Regia, librorum, nec nisi biennio post acceptum munus Stålhandskianum, libris duplis Bibliothecae Stockholmiensis aucta est, ut infra narrabitur <sup>3)</sup>. Nullos alios initio nacta est Libros Academia, quam qui Gymnasii fuerant Aboënsis, (cujus in locum successit,) an. 1627 a Gl. Memoriae Rege *Gustavo Adolpho* hic instituti <sup>4)</sup>, et quos omnes Schola Aboënsis, antea hic florens, cujusque fundamentis Gymnasium superstructum quasi fuit, possederat.

<sup>1)</sup> Cfr., ut caeteros multos taceam, WEXIONII *Natales Academiae Aboënsis*, et BILMARK *Hist. Acad. Aboënsis* l. c. §. 3.

<sup>2)</sup> Cfr. Viri Nobiliss. STIERNMAN *Aboa Literat.* p. 10. CELSIUS *Bibliothecae Reg. Stockh. Historia* §. XV p. 67 et ARCKENHOLTZ *Mem. concernant Christine, Reine de Suède* T. I. p. 309 not. \*

<sup>3)</sup> Patet id satis, praeter ea quae mox adducentur testimonia, ex *Elencho libror. Bibliothecae Acad. Aboënsis*, a. 1655 fol. hic edito; cujus mentionem saepius facturi sumus.

<sup>4)</sup> Quem etiam in Academiam illud commutare cogitasse, narrat Rev. BAAZIUS *Inventar. Ecclesiae Sveogothor.* L. VII c. VI p. 760. De ejus institutione confr. WEXIONII *Natales Acad. Ab.* STIERNMAN *Ab. Literat.* p. 2. ARCKENHOLTZ l. c. JUSLENIUS l. c. §. 13 p. 41. BILMARK l. c. §. 2 p. 7, quamquam in anno institutionis leviter discrepant.

Nec tamen totam hanc suppellectilem, haud sane lautam, Academia accepit. Dicit enim Nob. GYLLENSTOLPE *Orat. de Bibliothecis in genere, et in specie de Bibliotheca Regiae Acad. Aboënsis*, (impressa Aboae 1657 fol., de qua plura infra): *Primitus ex libris non multis Gymnasio, quod hic Aboae ante fundatam Academiam floruit, dicatis, pauci saltem Academicæ Bibliothecæ destinati fuere, caeteri Scholæ inferiori relictis sunt* <sup>5)</sup>. Paucos vere dicit, qui Academiae vindicati sunt: erant enim 21 tantum volumina, 16 in folio, 2 in 4:o, 3 in 8:o; ut in Catalogo Bibliothecæ an. 1655 hic typis vulgato, de quo postea loquemur, recensentur <sup>6)</sup>. Neque hi multi erant pretii, ut ex eodem videre licet Catalogo. Accesserunt Globi insuper duo, unus coelestis alter terrestris, diametri unius circiter pedis <sup>7)</sup>. Omnia haec servat adhuc Bibliotheca Academica. Adscripta fronti aut margini librorum, annotatio, docet eos *Scholæ Aboënsis* fuisse, et ab an. Dn. 1606, ad an. 1627 emtos, aut dono acceptos <sup>8)</sup>. Nulla itaque post Scholam in Gymna-

<sup>5)</sup> Hi quot qualesve fuerint, ignoramus, quod omnes perierunt: sine dubio tamen primis tironum usibus erant accommodati.

<sup>6)</sup> Cfr. BILMARK l. c. P. III §. 7 p. 43.

<sup>7)</sup> [Notandum, Globos hos nequaquam tantæ fuisse magnitudinis, sed formæ minimæ, qui jam circa præsentis seculi initium plane erant corrupti; ut ex Actis recensione Bibliothecæ a. 1709 institutæ (vid. §. XI et not. 20) liquet, itaque emti sunt majores, de quibus §. XI et not. 25) agitur.]

<sup>8)</sup> Ad memoriam conservandam praeclarorum virorum, qui literarum in patria sua promovendarum studio, hos Libros Scholæ Aboënsi donasse reperiuntur, opemque forte aliquam illis, qui Historiæ nostræ literariæ illustrandæ operam consecrare voluerint, adferendam, contenta annotationum istarum hic adponemus: Munsteri Cosmographiam (Bas. 1572.) *Scholæ Aboënsi in Testamentum M. Marcus Henrici (Helsingius), ejusdem olim Rector meritissimus legavit An. 1609 in Januario*; qui eundem librum emerat *Vittebergæ* 1592. Ex ejus suppellectili libraria *ejusque in memoriam, Scholæ Aboënsi in testamentum* etiam relictus fuit Tilem. Heshusii Comment. in Psalmos etc. (Helmst. 1587) 1609 *6 Julii*. Gregorii Nazianzeni opera, Lat. (Bas. 1571) eidem Scholæ donavit *cum hypodidascalatu quadriennali*

sium commutatam, libraria illius supellex cepisse videtur incrementa. Libri hi omnes a medio saeculi XVI ad initium XVII impressi sunt.

### §. III.

Quod autem brevi sentirent Patres Academici, quam difficulter, tanta librorum penuria laborantes, literas, eo quo decebat ardore excolere, bonarumque artium studia urgere possent, mature de Bibliotheca augenda curam fovere consiliaque agitare coeperunt. Itaque jam an. 1640 Dn. Mag. *Johanni Olai Dalekarlo (Stjernhöök)*, Juris Professori, Stockholmiam d. 16 Decembris proficiscenti, in mandatis dabat Senatus Academicus, ut apud faventissimum vereque Maximum hujus Academiae Maecenatem Illustriss. Comitem *Petrum Brahe*, Regni Senatorem etc., *de Bibliotheca adipiscenda ageret* <sup>1)</sup>. Item an. 1643 Dn. Doctori *Æschillo Petraeo*, Theolog. Professori Primario, ad Comitiam Stockholmiam eunti, commissum fuit, *ut exquireret an aliqua alicubi repe-*

*abiret, et in Germaniam iter institueret Gabriel Petri Melartopaeus Rimitinsulanus, 1606 XVI Calend. Junii, quibus musis Aboënsibus solenniter valedixit; qui Rector deinde ejusdem Scholae, manu sua testatus est Horatium (cum comment. Cruquii et Doussae, ex offic. Plant. Raphelengii 4:o 1611) entum esse in Usum Scholae Aboënsis 3 Thaleris sumtis ex aere D. Annae Beronis ad Sarswila Testamentario, An. 1621, 9 Julii. Cfr. de hoc viro merit., Episcopo demum Wiburgensi facto, RHYZELIUS Episcoposc. Sviogoth. L. IX c. 2, qui locus hinc opem aliquam accipere potest. Scapulae Lexicon, (Bas. 1594.) post obitum Dn. Joh. Clementis Mentz, Pastoris olim Cumoënsis, ab haeredibus illius Scholae Aboënsi legatum esse in Testamentum An. 1606, testatur Joachimus Stutaeus, Ostrob. Virgilius, (cum Comment. Donati et Servii Bas. 1551) ex testamento M. Gregorii Teiti accessit Scholae Aboënsi, procurante M. Joach. Stutaeo, Rectore Scholae ejusdem An. 1615, d. 19 Maji. Apiani Cosmographiam (Col. 1574 4:o) Johannes Abamnaeus M. Marci Henrici filius, olim Aboënsis Scholae Rectoris Annos decem et quatuor, pro institutionis suae gratitudine et memoria Scholae Aboënsi dono dedit An. 1627, IV non. Aprilis.*

<sup>1)</sup> Protoc. Consist. Acad. an. 1640, d. 12 Decemb.



*riretur Bibliotheca, qua illic locorum carere posset publicum, huic Academiae insigni emolumento et ornamento futura* <sup>2)</sup>). Scilicet moris tum fuit Ducibus Imperatoribusque nostris, victricia per Germaniam etc. arma circumferentibus, inter bellorum strepitus de Literarum in Patria flore commodisque promovendis, natalique solo hostium spoliis etiam literariis ornando cogitare, et integras Bibliothecas, belli jure captas, in Sveciam transmittere; quare suspicabantur Academici nostri, talem aliquam latere adhuc alicubi, qua hoc Lyceum ornari, adeoque in partem praedae istius literariae, qua Upsaliensis et Stockholmiensis Bibliothecae tam insigniter auctae sunt, posset venire. Sed successum aliquem his moliminibus adhuc respondisse, non apparet. An. certe 1645, nullo adhuc augmento librariam Academiae nostrae supellectilem locupletatam fuisse reperimus <sup>3)</sup>). Quamobrem neque Bibliothecario aliquo hactenus opus fuit, neque peculiari atrio libris servandis dicato, qui in loco, Consistorio Academico habendo adhibito, una cum Archivo Consistorii, interea asservabantur <sup>4)</sup>). Patet tamen ex Actis Consistorii, a. jam 1644 duos fuisse Professores Typographiae et *Bibliothecae Inspectores* constitutos, *Doct. nempe Aesch. Petraeum, et M. Johannem Olai Dalekarlum* <sup>5)</sup>). Curam etiam in id intendebant Patres Academici, ut *liber ex Charta pura eleganter compactus pararetur, in quem inscriberentur libri omnes, cum Gymnasio (Scholae) Aboënsi olim dono dati, tum quos Academiae postea donatum iri sperabant* <sup>6)</sup>). Qui liber in 4:ta forma compactus, adhuc superest, sed paucorum tantummodo Pastorum Eecl. maxime Ostrobotniensium, nominibus ornatus (ut postea docebitur); nec libri Gymnasio aut Scholae donati in eum inscripti reperiuntur. Reticensum autem non est, quod cum liber iste perfectus Consi-

2) Protocoll. An. 1643 d. 23 Sept.

3) Vide Protoc. Consist. Acad. An. 1645 d. 5 Mart.

4) Ibid. l. c.

5) Protoc. d. 22 Maji 1644.

6) Protoc. An. 1644 d. 30 Octob.

torio Academico exhiberetur (An. 1645 d. 5 Mart.), decreverunt Patres *ut Notarius* (Secretarius) Academiae *cum eodem visitaret Generosiss. D. Supremi in Finlandia Dicasterii Praesidem* (Joh. Kurck), *aliosque majoris dignationis viros, qui ex aliis oris huc advenire possent* <sup>7)</sup>; sine dubio, ut ad musarum nostrarum inopiae succurrendum, et librariam augendam nascentis Academiae supellectilem, permoveerentur: quod tamen consilium an executioni datum sit, non constat. Mansit certe Bibliothecae conditio aequae paupera et tenuis, usque dum anno sequenti Generosiss. Dn. *Stålhandskii* eximia liberalitate sublevaretur <sup>8)</sup>.

<sup>7)</sup> Locum totum de hac re agentem, animi caussa, ex *Protocollo Consistorii Acad. an. 1645 d. 5 Mart.* transcribemus: Dito Fridric Ellers Acad. Bofvindare hafwer för the gamle papper som han hädan ifrån Consistorio tagit hafwer, skänkt och gifwit til Acad. Bibliothek en anseftlig och förgylt bok in 4:to, theruti alle böcker skola instrifwas, som för detta här in Consistorio liggia, eller framdeles til Academiens Bibliothek gifwas och skänkias kunna. Med hwilken bok Notarius Academiae skal besökia S. N. Praesidenten och andre förnämlige som hit ifrån andra orter lända kunna.

<sup>8)</sup> Quoniam favore Reverendiss. Episcopi atque Pro-Cancellarii D:ni D. *Car. Frid. Mennander* indicem nactus sum ex *Libro Ecclesiae Aboënsis*, in Reg. Antiquitt. Archivo asservato, descriptum, librorum istorum *multorum et pretiosorum*, quos Episcopum B. *Hemmingum* Ecclesiae Aboënsi dedisse narrat Rev. JUUSTEN, (vid. supra §. I, not. 7, p. 6), rarum hoc apponere haud praetermittam, antiquioris nostrae rei librariae monumentum: „*Collacio librorum facta Ecclesiae Aboënsi per D: num Hemingum episcopum Aboensem.*“

Noverint universi, quod Nos HEMMINGUS, miseracione Divina Episcopus Aboënsis, donamus Ecclesie Aboënsi infrascriptos libros, circa annum domini millesimum trecentessimum quinquagesimum quartum: videlicet, Postillas Lirae super totum vetus Testamentum, in quatuor voluminibus, et per totum novum Testamentum, in duobus voluminibus, et unum volumen morale super utrumque Testamentum. Item libros Juris Canonici, videlicet, Decretum, Decretales, Sextum et Clementinas, cum glossis ordinariis. Item Archidiaconum et Johannem Andree super Sextum. Item Katholicon cum Rosario, et quandam summam magnam, quae vocatur Astensis. Item textum sententiarum, cum duobus scriptis super illas, videlicet uno Hunibaldi de ordine

## §. IV.

Primum igitur donatae Regio huic Auraico Lyceo collectionis librariae, quae quidem *Bibliothecae* nomine insigniri posset, laus sine controversia *fortissimo* debetur *bellatori, Equitatus Duci Generali, nec non Cohortis unius Equestris et Pedestris Tribuno, Generosissimo D: no Thorstano Stålhandske, Haereditario in Hummelsund, Öfverby et Alten*<sup>1)</sup>; qui, cum felicibus armis causam Patriae assereret, belli jure copiam librorum haud spernendam nactus, conditae nuper in natali solo Academiae memor, Musas nostras gratissimo hoc munere ornare, benefice decrevit. De-

Predicatorum et postea Cardinalis super totas sententias, et alio satis diffuso super quartum tantum. Item moralia Gregorii super Job in duobus voluminibus. Item in uno volumine quatuor libros Damasceni, Ysidori de summo bono, Jeronymum super Marcum, undecim libros Anselmi, Pastoralem Gregorii et Ambrosium de officiis. Item in uno volumine librum de consideratione Bernardi, et Epistolas suas diversas, cum omelia sua super missas. Item librum de proprietatibus rerum. Item Rationale divinorum officiorum. Item sermones Jacobi de Lansanno. Item Holkot super librum sapientie. Item Innocencium super Decretales. Item summam Gamfridi cum cavillationibus Magistri Johannis de DEO, et summa super officia advocacionis in foro ecclesiastico, et summa Egidii cum notabilibus decretalium et textu Clementinarum sine glosa, in uno volumine. Item antiquum Psalterium cum glosa ordinaria. Item *Bibliam*. Item librum de divinis officiis. Item formularium de diversis formis literarum et processuum. Item summa Decani Upsalensis. Item summam distinctionum fratris Nicolai de Gerham, de ordine fratrum Predicatorum. Item Manipulum florum. In cujus donacionis evidenciam sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum A:o ut supra.“ *Abo Copie-Bof* in Archiv. Antiquitatum, folio 14.

<sup>1)</sup> Inclyti hujus Herois memoriam, pluribus hoc loco persequi, eo minus est nobis necessarium, quod eam peculiari Dissertatione, se auspice, explicatum iri, nobis significavit Cel. Dn. Prof. *Bilmark*; hauriendam tantisper, ut alios scriptores eorum temporum praeteream, (inprimisque vitae enarrationem, *Personalia*, concioni super ejus mortem funebri adjectam), ex *Oratione* Nob. GYLLENSTOLPE de *Bibliothecis in genere, et in specie de Bibliotheca R. Academiae Aboënsis*, de qua mox plura.



functo autem Haderslebiae, anno 1644, die 21 Aprilis, hoc Heroe, antequam propositum suum ipse exsequi posset, voluntatem tamen ejus ratam esse voluit, mentemque liberalissime perfecit relieta Conjux Vidua, Generosissima D:na *Christina Horn, Haereditaria in Haapaniemi, Domina in Hummelsund et Runogård etc.*, quae eruditum hunc thesaurum, in patriam redux, secum apportans, et anno 1646 in Aprili, Academiae nostrae exhibens <sup>2)</sup>, non levem hujus beneficii partem suae munificentiae vindicavit. Gratam itaque et piam utriusque Generosissimi Conjugis memoriam, Lyceum Aboëense perpetuo colet, nec tanti favoris unquam laudem intermori patietur. Continebat autem *Stålhandskiana* haec Bibliotheca, singulas fere scientias disciplinasque amplexa, 890 circiter volumina <sup>3)</sup>, (ut ex *Elencho librorum Academiae Aboënsis*, an. 1655 edito, cujus jam supra mentionem fecimus, patet), quorum 4 tantum in duplo, unum

<sup>2)</sup> Vid. *Elenchus libr. Acad. Aboënsis*, 1654 impressus, de quo mox; Nob. GYLLENSTOLPE *Oratio* modo adducta; et Ejusd. *Natales Acad. Aboënsis*, 1648 in 4:o editi (cfr. not. sq. <sup>3)</sup>).

<sup>3)</sup> Bibliothecam hanc, a Generos. *Stålhandskio* Conjugueque sua Academiae nostrae traditam, *librorum fuisse 942 numero*, (*ex quibus 400 in folio scitissime compacti*), *optimorum auctorum*, dicit WEXIONIUS; vid. ejus *Natales Acad. Aboënsis*, impressi Aboae 1648 4:o a *Petro Wald*, illisque adjecta *Perbrevis Relatio Historica de incrementis Acad. Aboënsis*, quae (una cum ejusd. auctoris *Panegyrico Reginae Christinae ob fundatam dotatamque Aboënsis Academiam 3 Calend. Febr. a. 1646 dicto*) in altera editione *Natalium Acad.* excusa 1680 a *Joh. Waldio* 8:o, nescio quo consilio omissa est. Sed recte observavit Cel. Dr. BILMARK *Hist. Acad. Aboënsis* P. III §. VII, errorem in hoc calculo esse; quamvis enim numerus librorum, si diversa variorum auctorum scripta intelligantur, non multum a vero abluat, quae 960 circiter sunt, quod plura saepe uno volumine compacta reperiantur; in folio tamen reperiunda, sive volumina, quae 242 sunt, sive diversa scripta, quae 180 circiter illis continentur, numerare velimus, multum absunt a numero 400, qui aut memoriae aut scriptionis operarumve vitio sine dubio huc irrepsit. Vid. *Elenchus* s. *Catalogus* saepius adductus, qui 893 recenset muneris *Stålhandskiani* volumina, quorum autem duo, levi errore bis indicantur.

in quadruplo erat, librisque magnam partem constabat, aut internae praestantiae aut raritatis pretio, haud contemnendis, ut et ex modo laudato quisque cernere potest Catalogo, et infra exemplis nonnullis demonstrabitur. Ait hos libros *ex Germanica praeda fuisse collectos* <sup>4)</sup> Cel. ACHRELIUS in *Elogio Illustr. Dn. Christinae Horn dicato*, (de quo mox loquemur); sed ipsorum librorum inspectio, quorum magna pars nomen *Martini Matthiae, Dani*, (s. ut interdum habet, *Hafniani*, vel *Hafnia-Dani*), Episcopi Arhusiensis <sup>5)</sup>, sua manu inscriptum, ostentat, Danica potius

<sup>4)</sup> Confer BILMARK l. c.

<sup>5)</sup> Ut didicimus ex verbis sequentibus, *Meursii Soloni* (Hafniae 1632 in 4:o edito), ipsius Cel. Auctoris manu, in fronte libri, adscriptis: *Viro Reverendo Martino Matthiae, Theologo, et Episcopo Arhusiensi, adfectus testimonium mittebam, Joannes Meursius*. Quamquam hic quidem liber inter Stålhandskianos in *Elencho* saepius laudato non adfertur, in Catalogo demum altero, a. 1682 impresso, comparens; sive omissus ex illo fuit, sive postea accessit. Alii etiam libro, a *Stålhandskio* dato, ejusdem *Meursii* nomen inscriptum legitur. *Martinus* vero *Matthiae*, qui et *Martinum Matthiae Menelaum* aliquoties se vocat, et *Martinum Matthaenum* alicubi, suis libris annum etiam atque locum emtionis saepe adposuit, literariae suae peregrinationis testimonium perhibentes; unde colligi potest, eum Hafniae ad annum 1616 degisse; 1617 vero et 1618 Wittebergae commoratum; atque posteriori hoc anno etiam Jenam, et Francofurtum ad Moenum invisisse; 1619 rursus Wittebergae fuisse; 1620 Parisiis, Lovanii, Antverpiae, Amstelodami et Lugduni; sequenti vero anno 1621, Lugduni, Ultrajecti et Harlemi versatum. Turbat tamen, quod a. etiam 1618, aequae ac 1622, 1623 et 1624, Hafniae fuisse videtur; cum simul *Ubbonis Emmii Chronologiae et Genealogiae*, Groning. 1619 fol., adscriptum legitur: *Martini Matthiae et Amicorum, Lugduni Batav. 1624*. An adeo saepe iit et rediit? Non reperio his libris annum ab eo adscriptum, 1630 recentiorem. Danicam esse praedam, indicant quoque complures libri in Dania editi, (Breviarium Ecclesiae Arhusiensis, Brocmani lib. *de Haeresibus*, 2 exemplaria, et *contra administrator. Magdeburg*. 4 exempl. etc.), quidam etiam Danica scripti lingua, licet pauciores, fateor, quam exspectare fas erat; quod tamen ex pluribus rationibus accidere potuit.

[Hic D. *Martinus Matthiae, Episcopus jam Arhusiensis*, pu-

esse spolia docet, bello quod ultimo vitae suae tempore *Stålhandskius* in Slesvicia Jutiaque gessit, ut videtur, comparata, cum eas regiones, *Torstensonio* duce, Svecica arma

blice pro Doctoratu in Theologia obtinendo defendebat in Reg. Acad. Hafniensi a. 1634, die 22 et 25 Oct. (alterius Respondentis spartam ornante D. M. *Johanne Erasmo Brochmand*, S. S. Theol. in Reg. Acad. Hafniensi Profess. Ord.) a. D. *Casp. Erasmo Brochmand*, S. S. Theolog. Doct. et Profess. Ordinar. Regio jussu editam *Refutationem caussarum quibus inductus Dux Christianus Wilhelmus, Marchio Brandenburgensis etc. (Administrator Episcopatus Magdeburg.) a Lutherana defecit, et se Ecclesiae Pontificiae mancipavit.* Hafn. 1634, 4:o; cujus itaque quod 4 Exemplaria Bibliotheca ejus habuit, non est mirum, in nostrum inde Acad. librorum penum translata: in hujus operis fronte vocatur D. M. *Martinus Matthias. Strabonis Geographiae*, (Atrebatii 1587 fol.) quae itidem inter *Stålhandskianos* libros occurrit, haec adscripta leguntur verba: *Debiti animi τεκμήριον Viro Reverendo et Clarissimo D: no Mag. Martino Matthiae, Aulae Regiae Pastori fidelissimo, amico jugiter prosequendo, transmittit Hafnia d. 18 Maji 1625. Michaël Christiern.* Praeter supra memoratum documentum amicitiae, viro huic docto cum Cel. *Meursio* intercedentis, aliud offert haec epigraphae *Clementis Constitutionibus S. Apostolorum etc.* (Venet. 1563 4:o) adjecta: *Viro Reverendo et Praestantissimo Martino Matthiae, Artium Magistro et Serenissimi Principis Christiani V, Electi Daniae Principis Concionatori, amoris et observantiae pignus l. m. d. d. Joannes Meursius.* Haec, quae suo loco adferre, levis error descriptionis me impedit, hic adjicio, ad illustrandam Historiam Viri doctissimi pertinentia, cujus jam bonis fruimur; debemus sane hunc illi favorem, quem ipse fere sibi expetiit (fatorum quae libros suos manebant tum ignarissimus), hoc tetrasticho *Meursii Glossario Graeco-Barbaro* (Lugd. Bat. 1614, 4:o) una cum nomine suo adscripto:

*Salve quem Dominum veneratur hic author, eundem*

*Quondam scire velis sicce fuisse meum.*

*Praedecessoris Tu nec memor esse gravere,*

*Da votum, Tua sic posteritatis erunt.*

Diligentem librorum suorum fuisse lectorem, adscriptae illis passim annotationes docent.

De Episcopo Arhusiensi *Martino Matthiae* cfr. PONTOPPIDANI *Annales Eccles. Danicae* 3 Th. p. 170 sqq. et JENS WORMS *Forsøg til et Lexicon over Danske, Norske og Jølandste laerde maend* T. II p. 25 sq.]



infestarent. Magnas in hoc bello *Stålhandskium* nostrum egisse partes, tota peninsula Jutiae initio anni 1644 occupata, notissimum est. Verosimilitudine itaque non caret, eum Arhusiae, Episcopi Bibliotheca ablata, maximam saltem partem horum librorum, novae in Patria Academiae usibus consecrandam, cepisse; quamquam nec negamus, et plures in his oris Bibliothecas idem fatum potuisse subire <sup>6)</sup>, et bellatorem nostrum jam in Germania initium aliquod hujus collectionis forte fecisse. Mediocris tamen voluminum numerus, et pauci libri dupli, unius potius viri docti, cujus etiam indicant nomen, penum, quam multorum spolia, prodere videtur. Nullum *Manuscriptum codicem* tota haec Stålhandskiana Bibliotheca continebat; et Theologiae eruditioni, ut muneris studiorumque ferebat pristini possessoris ratio, maxime fuit accommodata. Integram fere adhuc, paucis tantum injuria temporum amissis voluminibus, supellex Academiae nostrae literaria servat; illustre monumentum datoris in musas nostras beneficentiae.

Aucti hoc thesauro Patres Academici, de loco porro idoneo eidem prospiciendo, solliciti fuerunt. Adhibitum huic usui *Templum* sic dictum *Germanicum* (*Tysf-Syrdfan*), ex Actis Academiae reperimus, in quod ut libri quam primum transportarentur et apto collocarentur ordine, fuit decretum <sup>7)</sup>. Eandem hanc fuisse aedem, quae hodie *ludo palaestrico* est destinatus (*Ståttfalen*), in qua ad recentiora usque tempora Bibliotheca Academica collocata mansit, firmis

<sup>6)</sup> *Viti Theodori Annot. in N. Test. Francof. 1545, 4:0*, adscriptum legitur: *Liber emptus duobus marcis Danicis, a Johanne Thomae Ludinagistro Rip. in usum Scholae Ripensis perpetuum*, fallaci vaticinio, s. a nostris inde ereptus fuit, s. antea jam in privatam Bibliothecam transiit. Adjiciam etiam hoc loco, *Apuleji Asino Aureo*, Paris. 1512 fol., esse in fronte libri inscriptum nomen *Gustavi Trolle*; recentiori vero manu, sed ita tamen, ut idem nomen (quod quia margini nimis propinquum antea fuerat, a Bibliopega in libro iterum compingendo est laesum et decisum, ut legi amplius nequeat) restitutum videatur.

<sup>7)</sup> Protoc. Consist. Acad. a. 1647, d. 1 Junii. Cfr. BILMARK I. c.

rationibus demonstratur<sup>8)</sup>; non enim mutatum fuisse Bibliothecae locum, ante proximam ejus ad novas aedes, in quibus hodie asservatur, translationem, ex actis Acad. colligitur, et viciniam turris Templi Cathedralis, ut infra narrabitur, graviter aliquoties sensit. Ob humilem vero situm, minus commodum libris servandis hoc atrium fuisse, quibus non potuit aëris humiditas non nocere, et eo viso facile intelligi potest, et ex actis abunde constat. Cura librorum in novo loco disponendorum, Inspectoribus, hoc anno, Bibliothecae, Dn. M. *Joanni Elai Tersero*, Theol. Prof., et Dn. M. *Michaeli Wexionio*, Phil. Pract. Prof., demandata; quibus hunc in finem vacatio a praelectionibus publicis hebdomadalis fuit concessa<sup>9)</sup>. Adesse etiam jussus Academiae *Notarius* s. *Secretarius*, D. M. *Michael Jurvelius*, in quem Bibliothecarii partes munusque conferre Senatus Acad. decrevit, salariumque illi ex *pecuniis* sic dictis *diligentiorum*, aut aliis Academiae redditibus, destinavit<sup>9)</sup>. Licet hoc quidem consilium, ut mox patebit, deinde factum sit irritum. Neque Bibliothecae designationem tam cito absolvere, librosque ordinare, Inspectores valebant, quod Catalogum ipsi simul conficere necesse haberent, nullo tali, cum ad opus accederent, subsidio instructi<sup>10)</sup>. Et interim novis auctibus Bibliotheca crevit. Tacendum autem nobis non est, de pia in benefactorem mente declaranda, mox quoque Academicos cogitasse. Designatus enim fuit Dn. M. *Johannes Terserus Junior*, Eloqu. Professor, qui *Orationem de Bibliotheca quam Gen. Stålhandske conjuxque ejus Academiae donaverant, conscriberet*<sup>11)</sup>; licet ille, mortem sequenti anno obiens, recepto in se officio functus esse non videatur. Praestitit autem, quod ille imperfectum reliquerat, sexennio post Nob. *Gyllenstolpe*, habita a. 1654 die 9 Maji, cum ipsi Rectoratus in sequentem quoque annum prorogaretur, *Oratione de*

<sup>8)</sup> Cfr. BILMARK I. c.

<sup>9)</sup> Protoc. Consist. Acad. a. 1648, d. 15 Martii; cfr. Protoc. d. 1 Junii a. 1647.

<sup>10)</sup> Protoc. a. 1648, d. 26 April.

<sup>11)</sup> Protoc. a. 1648, d. 5 Mart. et 26 April.

*Bibliothecis in genere, et in specie de Bibliotheca Regiae Academiae Aboënsis, atque quomodo haec a. p. m. fortissimo quondam Heroë, Generos. Dn. Torstenio Stålhandske etc. ejusque relicta vidua Generos. Dn. Christina Horn etc. laudatissime aucta et amplificata fuerat, a nobis jam citata, in qua praecipua hujus herois praeclara facta percurrit. Excusa est an. 1657 hic Aboae a Petro Hansonio Acad. Typogr. in folio. Pari pietatis officio, ex Senatus Acad. decreto, defunctam Gen. Stålhandskii conjugem prosecutus est Cel. Dn. M. Daniel Achrelius, Acad. tum Secretarius, Eloqu. postea Professor, cujus exstat *Elogium tumulo Illustriss. Dn. Christinae Horns, Baronissae in Lämpälä, Dominae in Runogård etc. publico nomine dicatum*, typis expressum Aboae apud Joh. L. Wallium A. T. in folio, eodem sine dubio anno, quo, (die 29 Junii), proclamatum esse, ex praemisso Programmate Acad. tum Rectoris, Maxime Rever. Dn. M. Jacobi Flachsenii, Theol. Professoris, discimus, nempe 1672 <sup>12)</sup>.*

## §. V.

Multum vero adhuc abfuit, ut librorum apparatu, qui publica dignus esset bonarum artium officina, justisque musarum nostrarum desideriis satisfaceret, Academia esset instructa. Itaque apud Reginam faventissimam, novi hujus Lycei fundatricem, et Illustrissimum Cancellarium, submissee agere pergebant Patres Academici, ut Regia gratia supellex sua libraria augetur. Demandatum fuit hoc negotium inter caeteras de Academiae commodis curas, an. 1647, D. M. Simoni Kexlero Mathem. Profess. Stockholmiæ proficiscenti <sup>1)</sup>, tam felici successu, ut aestate sequente ad has oras adveniens Illustr. Comes, Regni Drotzetus et Senator, Academiaeque hujus Cancellarius, Dn. Petrus Brahe, ipse

<sup>12)</sup> Cum non dubitemus, quin Illustr. hujus Academiae nostrae, non uno nomine, benefactricis memoriam, una cum Conjugis sui egregiis factis, explicaturus sit Cel. Dn. Prof. BILMARK, eam hoc loco pluribus non attingimus. Conf. not. sup. <sup>1)</sup>.

<sup>1)</sup> Prot. Cons. Acad. a. 1647, d. 14 Aug.



secum 87 volumina, Historici omnia argumenti, donum Reginae Serenissimae, ex Bibliotheca Regia Stockholmiensi, quae insigni librorum duplorum abundabat numero <sup>2)</sup>, adduceret <sup>3)</sup>. Decreverunt itaque Academici, ut Catalogus librorum Academiae conderetur, ita adornatus, ut primum recenserentur volumina a Regina donata, deinde Stålhandskii munus; cui usui peculiaris liber erat adaptatus <sup>4)</sup>. Missis porro an. 1650 ad Comitata, Coronationique Regiae interfuturis D. D. *Aesch. Petraeo* et D. M. *Mich. Wexionio*, non oblitus est Senatus Acad. inter caetera desideria hoc etiam diligenter commendare, ut de augmento Bibliothecae impertrando supplicarent <sup>5)</sup>. Dum autem his curis Patres invigilabant, accepit, quae jam ad aliquam molem creverat librorum collectio, Regio favore peculiarem Praefectum. Eodem enim hoc anno D. M. *Axelius Kempe*, Ostrobotniensis, *Depositarius* antea ad hanc Academiam munere ornatus, Stockholmiam profectus, apud Illustriss. Cancellarium, de commodis Academiae promovendis maxime sollicitum, effecit, ut Diplomate die XVIII Decembris dato, primus *Bibliothecarius* constitueretur; quo etiam stipendium illi simul CL Thalerorum Argent. Regia liberalitate assignabatur. Novum hoc munus initio sequentis anni capessivit, thesauro sibi concedendo ab Inspectoribus ejus rite prius percensito, certoque librorum confecto indice; et dignitatis locum inter Adjunctos Academiae nactus est <sup>6)</sup>. Atque laetiore

<sup>2)</sup> Conf. Nob. CELSII *Bibliothecae Reg. Stockh. Historia* §. XV pag. 67.

<sup>3)</sup> Prot. Cons. Ac. a. 1678 d. 23 Junii; et *Elenchus Libror. Acad. Ab. impr.* 1655.

<sup>4)</sup> Alius ut videtur, ab eo cujus supra §. III fin. mentionem fecimus, de quo etiam mox; et forte idem qui in actis recensionis Bibliothecae an. 1726 factae describitur, tum adhuc superstes, in folio ligatura Gallica compactus; hic enim ab initio conditae Bibliothecae adornatus ibidem dicitur, primisque tantum 87 foliis catalogum librorum continebat. Cfr. Protoc. Consist. Ac. an. 1648 d. 6 Sept.

<sup>5)</sup> Protoc. Cons. an. 1650 d. 27 Junii.

<sup>6)</sup> Prot. Consist. Acad. a. 1651 d. 29 Jan., 9 Mart., 25

sic Bibliothecae nostrae adblandiente fortuna, ne domesticarum musarum careret laboribus, et sensim illam aucturis, et gratam posteris praebituris materiam de superiorum temporum studiis iudicandi, laudabiliter fuit sancitum, ut omnium Dissertationum Academicarum ad hoc Lyceum edendarum exemplar, in Bibliothecam publicam inferretur <sup>7)</sup>; quamquam eventus huic consilio non respondit, partim quod neglectum postea fuit, partim quod multa horum scriptorum Bibliotheca amiserit, quorum itaque, ut et aliorum ad Historiam Academiae pertinentium monumentorum, Programmatum, Orationum etc., magna jam penuria laborat, difficillime tollenda. De Catalogo etiam Bibliothecae, publica impensa typis exscribenda decretum factum fuit <sup>8)</sup>, aliquot serius annis, ut mox videbimus, effectui datum. Et ne ullum consilium, quod thesauro huic augendo inservire posset, inexpertum omitteretur, novus Bibliothecarius, magno flagrans studio de concredito sibi penu bene merendi, privatorum quoque nonnullorum liberalitatem tentavit <sup>9)</sup>, Pastorum scilicet Sacellanorumque quorundam, nec non Ecclesiarum, maxime Ostrobotniensium; itineris, ut videtur, ad natalem hanc suam terram, fine anni 1651 et sequentis initio instituti, opportunitate usus: testatur liber ex charta pura in 4:ta compactus forma, adhuc superstes, in quem nomina sua et libros a se datos, aut pecuniam collatam inscripserunt <sup>10)</sup>, eum hac ratione summam LXXXII Thalerorum cu-

Jun., 17 Sept. et a. 1652 d. 17 Mart. Postulante Senatu Acad. ut Bibliothecarius sponsores praestaret, antequam libri suae fidei committi possent, res ad Cancellarium relata fuit, nescio quo eventu; sequentium autem Bibliothecariorum quidam non alia condicione hujus Thesauri curam nacti sunt.

<sup>7)</sup> Protoc. a. 1651 d. 17 Sept.

<sup>8)</sup> Ibid. CL tantum ejus exemplaria imprimenda esse, Consistorio Acad. placuit; unde mirum non est, rarius eum jam esse obvium. Cfr. CELSIUS l. c. p. 68. Tota hujus rei cura Bibliothecario commissa fuit.

<sup>9)</sup> Cfr. Protoc. Consist. Ac. a. 1688 d. 27 Sept.

<sup>10)</sup> Eundem esse conjeci de quo supra §. III p. 14 et faveat titulus, qui habet, Latine et Svetice: *Nomina Illustrissimo-*

preorum, numeratae pecuniae, et XXXV volumina librorum collegisse, exigui sane pretii, quorum indicem IV voluminibus, nescio unde datis auctum, exhibet saepe laudatus Catalogus s. *Elenchus* Bibliothecae Aboënsis a. 1655 editus. Sed locupletiora subsidia a Reginae faventissimae munificentia et in hanc a se conditam Academiam benignitate, Bibliothecae nostrae, Patres Academici sperare pergebant. Itaque rursus D. D. *Michaeli Gyllenstolpe*, a. 1652 Stockholmiam eunti, in mandatis dabant ut supplex hac de

*rum Principum et Comitum, Perillustrium et Generosorum Baronum, Reverendissimorum et Nobilissimorum Dominorum, aliorumque praeclarorum Virorum, bene de Republica literaria sentientium, qui in Dei ter Opt. Max. laudem, et commodiorem juventutis informationem, ad Bibliothecae Aboënsis instaurationem aliquid contulerunt.* Nulla tamen nomina, praeter Pastorum etc. horum, in medio fere libro occurrentia, inscripta reperiuntur; quod primae quidem destinationi non convenit; et quod in actis recensionis Bibliothecae a. 1726, (Rectore Illustri Celsiss. D. Comite *Ekeblad*, Regni deinde Senatore etc.) facta habetur de libro Chartaceo, 4tae formae, *ligatura Gallica, continente Catalogum librorum, Bibliothecae, diversis temporibus a superioris inferiorisque conditionis viris, donatorum*, in hunc quadrare non videtur; sed neque fit nisi unius hujuscemodi mentio libri. Nomina quae in superstite jam libro exstant, quoniam pauciora sunt, adponemus: Ecclesia Lojoënsis dedit 4 Thalers Cupreos, et ejus Pastor *Sveno Torchilli* Joachimicum; Eccles. Kumoënsis 4 voll., Pastor *Simon Bartholdi* 1 vol., Ecclesia Ulfsbyensis 2 voll., Pastor *Gregorius Thomae* 7 voll., Eccles. Lappfierdensis 6 Thal. Cupr., Pastor *Andreas Kempe* (Pater Bibliothecarii) 3 voll., *Sacellanus Laurentius Joh. Rivelius* 1 vol., Eccles. Nerpensis 12 Thal. Cupr., Pastor *Elias Petri Holmius* (Socer Bibliothecarii) 4 voll., Eccles. Ilmolensis 6 Thal., Laihialensis 6 Thal., Pastor *Haquinus Nicolai Laihialensis* 1 vol., Eccles. Malaxensis 1 et dimid. Imperialem, Pastor *Olaus Magni Arenius* 3 Thal., Eccles. Storkyroënsis 8 Thal., Vöroënsis Pastor *Gabriel Matthaei Gammal* 1 voll., Eccles. NyCarlebyensis 8 Thal., Pastor *Jacobus Jacobi Carlman* cum filio *Canuto* 5 voll. et *Sacell. Gregorius Raurmannus* 1 vol., Eccles. Pedersörensensis 8 Thal., Eccles. Cronobyensis 6 Thal. et Pastor *Jac. Brenner* 2 voll., quibus addendi *Paulus Bhoom* qui 2, et *Joh. M. Bruunlöff* qui 1 vol. dederunt. Metienda haec sunt ex temporum et benevolae voluntatis ratione,



re ageret <sup>11)</sup>; et postquam is Regiam Majestatem votis Academiae benigne annuere rescripsisset <sup>12)</sup>, ablegatus est aestate sequenti Bibliothecarius Stockholmiæ, publicis impensis <sup>13)</sup>, literis munitus commendatitiis et ad Illustr. Cancellarium, et ad Cel. *Naudæum* Bibliothecarium Regium, ut auxiliatrices ei hoc in negotio manus præberent <sup>14)</sup>. Cujus itineris is successus fuit, ut rediens 315 volumina (diversa scripta sive tractatus 295 continentia), secum adferret, inter quae multa erant egregii pretii; ut Catalogus saepius citatus ostendit. Ex libris duplis Bibliothecae Regiae, haec iterum nobis accessio contigit; unde etiam instrumenta Mathematica sequentia Academiae nostrae tradita idem docet Catalogus, nempe: Globum terrestrem et coelestem in majori quantitate <sup>15)</sup>, (quorum nihil jam superest, nisi Horizontes lignei pedesque illos sustinentes, et meridiani orichalchini), Sphaera Ptolemaica, Sphaera Copernicaea, et altera itidem Copernicaea qua triplex terrae motus demonstratur; quae pariter temporis violentiam effugere non potuerunt. Rariores libros, hujus ut et *Stålhandskiani* muneris, infra, cum Bibliothecae nostrae universae faciem describemus, indicabimus. Hoc loco notasse sufficiat, ex Regia Bibliotheca tum etiam Academiae nostrae concessum fuisse, quod adhuc servat, exemplar *Grotiani de Jure Belli et Pacis* operis, (Paris. a. 1625 impressi, 4:o), quo ipse vir summus fuerat usus, et quod adscriptis in marginibus au-

<sup>11)</sup> Protoc. C. a. 1652, d. 29 Maji.

<sup>12)</sup> Protoc. a. 1652 d. 2 Aug.

<sup>13)</sup> Literis Illustr. Cancellarii Comitum *P. Brahe* a. 1653 d. 3 Aug. datis, Senatus Acad. jubetur ex pecuniis fisco et Bibliothecae concessis sumtus resarcire quos et hac aestate et superiori vice Bibliothecarius fecerat Stockholmiæ, Bibliothecae commodis invigilans, librosque inde transferendis necessarios.

<sup>14)</sup> Protoc. a. 1653 d. 3 Julii.

<sup>15)</sup> Diametri ultra 1 cubiti. Hi ante superiorem fugam, ob ingruentem vim Russorum susceptam, jam damnum ingens passi, ut ex actis liquet, hujus calamitatis incommodis resistere non potuerunt.

xerat adnotationibus <sup>16)</sup>. Multi horum librorum, qui aut insignibus titulisque Principis *Petri Vok Ursini, Domini de Rosenberg* ornantur, aut quos *Cardinalis et Principis a Dietrichstain* <sup>17)</sup>, nec non *Collegii Soc. Jesu Olomucensis, s. Conventus Regii Olomutii ad Hesh.* fuisse, adposita epigraphe docet, belli Germanici se esse spolia, satis ostendunt <sup>18)</sup>; uti etiam nomina *Messeniorum* <sup>19)</sup>, non paucis, et *Christiani*

<sup>16)</sup> (Cfr. STJERNMAN *Ab. Lit.* p. 10). Fronti adscriptum legitur: *Auctoris*; et paullo superius: *In hoc exemplar ad marginem annotavi loca ex Historiis recentioribus, unde exempla eorum quae dicuntur depromi possunt.* Sed sunt tamen et multae alius generis annotationes.

<sup>17)</sup> Inter hos est *Jo. Heurnii praxis Medicinae nova ratio*, Lugd. Bat. 1587 4:to, cui etiam impressa sunt insignia et nomen *Jacobi Conradi Praetorii*, et haec verba praeterea fronti adscripta: *Sum ex libri J. C. Praetorii Anni 1594 prid. Calend. Octobr. Vienna Austriae secum per Pannoniam, Serviam, Bulgariam, Macedoniam, Thraciam, usque Constantinopolim portatus, inde demum anno s. 93 VII Cal. Mart. per Bithyniam, Pontum, Asiam, Phrygiam, Icariam, Lycaoniam, Lydiam, Galatiam, Pisidiam, Lyciam, Pamphiliam, Cappadociam, Ciliciam, Syriam, usque magnum fluvium Euphratem. Porro redeundo per Phoeniciam, terram et civit. sanctam, Cyprum insulam, Aegyptum, Arabiam, Lybiam, in Alexandriam, Candiam, Zazint. Corcyram, Venetias, demum iterum Viennam a. s. 1694, V Id. Aug. ab eodem salvo et incolumi, sic volente Deo, reportatus.* Manet hic vir mihi hactenus ignotus; sed partem saltim librorum suorum in Bibliothecam D:ni *Patri Vok Ursini de Rosenberg* transiisse, reliquiae in Bibliotheca Acad. servatae testantur.

<sup>18)</sup> Cfr. omnino Nob. CELSIUS l. c. §. XI p. 40 sqq., §. XII p. 46. Datum nuper Bibliothecae nostrae dono volumen (varios continens Historici maxime argumenti tractatus minores, 4:o) a Praeposito et Pastore Cronobyensi Adm. Rev. et Praecl. D:no M. *Gustavo Juslenio*, Principis illius *P. Ursini* nomen, arma atque titulos solita forma adscriptos gerens, ostendit aut non totam hujus Maecenatis Bibliothecam in possessionem Reginae *Christinae* cecisisse, aut, quod fata varia Bibliothecae Regiae Stockholmiensis haud abnuunt, non integram in dominio publici mansisse.

<sup>19)</sup> Cfr. CELSIUS *ibid.* §. V p. 20.

*Ravii Berlinatis* <sup>20)</sup>, quibusdam libris praescripta, pristinos indicant possessores.

Praeter felicia haec incrementa, maxima quae Bibliothecae nostrae contigerunt, (quae post laeta satis haec initia cum fatis deinde colluctata est minus faventibus), aucta est ad a. 1655, 16 adhuc voluminibus, sive emtis, sive liberalitate ignotorum nobis ejus amicorum acceptis. Totum vero literarium, quem sibi hactenus comparare Auraicae valuerant Musae, thesaurum, cognoscendum nobis praebet hoc anno luci commissus publicae Catalogus, quem toties jam laudavimus, Historiam Bibliothecae nostrae ad ea usque tempora pulcherrime illustrans, ex Senatus Academici decreto, ut monuimus, typis expressus; in quo primum libri qui Gymnasii fuerant Aboënsis, et Academiae novae vindicati sunt, recensentur, deinde muneris Stålhandskiani omnia volumina adferuntur, tum quae liberalitate Regia, partim a. 1648, partim a. 1653 Academiae tradita sunt, distincte exhibentur; quibus adjecta demum cernuntur quae Bibliothecarii cura accesserant; omnia secundum scientias et formas librorum, ordine alphabetico disposita. Hoc Catalogo nisi adjuti essemus, (licet suis non careat naevis <sup>21)</sup>), parum nobis nota essent Bibliothecae nostrae primordia, multisque tenebris et dubiis involuta. Titulus habet: *Bibliotheca Academiae Aboënsis, sive Elenchus, quo non modo certus scriptorum et librorum cujusque Facultatis numerus ordine alphabetico continetur; sed etiam ex quo initio, quibus incrementis, quorumve liberalitate et munificentia Bibliotheca haec Academica, ad tantam, qua nunc est, excreverit molem, paucis indigitatur. Adjectis ubivis forma, loco et tempore impressionis. Aboae excusus apud Petrum Hansson Acad. Typog. a. 1655 (in folio).*

<sup>20)</sup> Cfr. Id. l. c. §. XXIX p. 129.

<sup>21)</sup> V. g. quod interdum libri secundum Auctorum praenomina, alias secundum eorum nomina aut cognomina disposita adferantur.



## §. VI.

Nihil praeterea effectum aut actum ad Bibliothecam augendam reperimus, quamdiu ei praefuit Dn. *Kempe* <sup>1)</sup>, qui, ad Professionem Historiarum et Philosophiae Practicae a. 1658 promotus <sup>2)</sup>, successor anno sequente datus est D. Mag. *Andreas Petraeus*, (filius Episcopi *Aesch. Petraei*), qui Acad. Notarii s. Secretarii hactenus munere functus erat <sup>3)</sup>. Neque eum curam, commissi fidei suae thesauri incrementa promovendi, penitus neglexisse, testantur acta, ex quibus patet, hoc consilio illum, venia Senatus Acad. Stockholmiæ a. 1660 profectum, ut Bibliothecae ampliora subsidia peteret <sup>4)</sup>; nullo vero successu. Neque ulla fere adsunt vestigia, auctae, eo praefecto, Gazae nostrae literariae <sup>5)</sup>. Suis vero negotiis nimis intentum, muneri minus diligenter sequentibus annis vacasse, querelae Academicorum docent <sup>6)</sup>;

<sup>1)</sup> Qui Regio jussu, munere stipendioque Adjuncti in Fac. Philos. a. 1653 simul auctus erat. Lit. Reg. d. 13 Nov. 1652. Cfr. Prot. Cons. Acad. a. 1653 d. 30 Mart.

<sup>2)</sup> De vita primi hujus Bibliothecarii, ut et successorum ejus, Amanuensiumque Bibliothecae, quorum opera usi sunt, infra accuratius, quantum rescire potuimus, exponemus; quae ad ipsam Bibliothecae administrationem propius pertinent, hic tantum allatis.

<sup>3)</sup> Prot. Cons. Acad. a. 1659 d. 16 Junii; cfr. Prot. 1656 d. 25 Sept.

<sup>4)</sup> Ibid. a. 1660 d. 23 Junii.

<sup>5)</sup> *Aldrovandi* tamen *Historiam Animalium* in usum Bibliothecae emtam fuisse a. 1662, prot. ejus anni, d. 19 Febr. indicare videtur.

<sup>6)</sup> Versabatur Stockholmiæ ab aestate anni 1662 ad autumnum anni sequentis, Bibliothecae et Patrum juventutisque incommodo, muneris sui cura nulli interim alii commissa; quare decrevit Senatus, ut quarta aut quinta parte stipendii mulctaretur, et D. Prof. *Kempio* Bibliotheca interim administranda tradebatur; quin postquam annum fere cum dimidio abfuisset, ad Illustr. Cancellarium, ut munere privaretur, se scripturos patres minabantur. Itaque domum se contulit, resque sopita fuit. Prot. Cons. Acad. 1662 d. 1 Oct., 12 Nov., 3 Dec. 1663, d. 11 Febr., 3 Aug., 10 Sept., 12 Nov.



cum quibus non semper illi bene conveniebat <sup>7)</sup>). Effecit tamen, ut literis Cancellarii, Senatu Acad. caussam ejus commendante, Bibliothecarii dignitas, in hac uti in aliis Academicis, prout verba habent, Professoribus aequaretur <sup>8)</sup>), simulque assessor Consistorii Academici ipse a Senatu receptus est; permissum ei etiam iisdem literis, ut aliquem ex studiosis eligeret diligentioribus, qui auxilio sibi esset, in negotiis ad Bibliothecae curam pertinentibus, cui salarii loco stipendium in suprema classe Illustr. Cancellarius voluit assignari. Patres itaque Adjunctum illi in Bibliotheca, hac conditione, constituebant D. *Johannem Alanum* <sup>9)</sup>); quo vero, ut officio suo minus diligenter satisfaciente, non contentus, D. *Petrum Kolckenium* in ejus locum sibi dari voluit, Senatu id, antequam *Alanus* ipse huic stationi renunciasset, non permittente <sup>10)</sup>). *Kolckenio* tamen a. 1667 stipendium, ut *Amanuensi Bibliothecarii* tributum esse reperio <sup>11)</sup>); sine dubio postquam *Alanus* Adjuncti in Facultate Philosophica munere auctus esset <sup>12)</sup>). Bibliothecario momento, Senatus quidem Acad. literis, tam ad Rev. Episcopum Stockholmiae versantem, quam ad Illustr. Cancellarium datis commendatitiis, petiit, ut dignitati auctae congruenti, stipendii quoque augmento ornaretur <sup>13)</sup>); sed conatu irrito. Neque multo post, *Petraeus* ad Professionem Physices admotus, successorem in Bibliotheca curanda nactus est D. M. *Petrum Laurbecchium*, Philosophiae antea Adjunctum, qui ex commendatione Senatus Acad. Matheseos simul Professor Extraordinarius, et Assessor Consistorii Academici

<sup>7)</sup> L. c. Cfr. Prot. a. 1663 d. 21 Nov., 16 Dec., 1664 d. 29 Mart.

<sup>8)</sup> Literae Cancellarii Illustr. Comitum *Petri Brahe*, Stockh. d. 20 Nov. a. 1663. Cfr. Protoc. Cons. a. 1664 d. 4, 20 et 22 Apr.

<sup>9)</sup> Prot. a. 1663 d. 2 Dec.

<sup>10)</sup> Prot. a. 1664 d. 7 Dec.

<sup>11)</sup> Cfr. Prot. a. 1668 d. 19 Febr.

<sup>12)</sup> Prot. a. 1665 d. 15 Nov. et 1666 d. 7 Nov.

<sup>13)</sup> Prot. a. 1665 d. 3 Maji et 19 Jul.

constitutus est <sup>14)</sup>. Exiguus admodum, eo curam Bibliothecae gerente, incrementis eam fuisse ditatam, invenimus <sup>15)</sup>. Fratrem, D. *Benedictum Laurbecchium* a. 1668 *Amanuensem* nactus est <sup>16)</sup>; sed eodem fere tempore Poëseos Professionem ipse adiit <sup>17)</sup>. In *Laurbecchii* locum, Bibliothecae, diplomate dato praefecit Illustr. Cancellarius D. *Samuelem Gyllenstolpe* <sup>18)</sup>, (*Michaelis* filium, admodum juvenem) qui a. 1671 Historiarum et Politices Professioni admotus <sup>19)</sup>, hanc spartam non diu ornavit. Successorem habuit D. *Nicolaum Alanum* <sup>20)</sup> (*Georgii*, Archi-Praepositi et Prof. Primarii filium); qui quamquam de provincia sua bene administranda non indiligentem fovisse curam reperitur <sup>21)</sup>, Jurisprudentiae ta-

<sup>14)</sup> Prot. a. 1665 d. 15 Nov., 1666 d. 16 Maji et 22 Oct. Retinuit simul stipendium quod Adjunctus Fac. Philos. habuerat. Cfr. Litt. Cancellarii d. 21 Aug. 1666 et 30 Jul. 1667.

<sup>15)</sup> Benevolentiam tamen experta est Illustr. Regni Senatoris D:ni *Matthiae Björneklou*, et Rev. Episcopi D. D. *Joh. Gezelii*, Patris; quorum ille *Waltoni Bibliis Polyglottis*, VI voll. eleganter compactis, hic *Theatro Genealogico Hier. Henninges* (Magdeb. 1598, 2 voll. fol.), eam auxit. Protoc. Consist. a. 1667 d. 15 Nov. et 1669 d. 25 Mart.

<sup>16)</sup> Prot. a. 1668 d. 13 Mart. et 22 Apr.

<sup>17)</sup> Prot. a. 1668 d. 31 Mart.

<sup>18)</sup> Non probavit consilium Illustriss. Cancellarius, quod quibusdam arrisit, postea adoptatum, ut Bibliothecarii munus cum Professorio conjungeretur. Vid. ejus Lit. d. 29 Maji 1668 datas, et ipsum Diploma quo Dn. *Gyllenstolpe* Bibliothecarius constitutus fuit. Cfr. Prot. Cons. a. 1668 d. 5 Julii.

<sup>19)</sup> Prot. a. 1671 d. 15 Sept.

<sup>20)</sup> Prot. a. 1671 d. 1 Dec. Etiam hac occasione de conjungenda Bibliothecarii provincia cum Professione aliqua agitatum, sed non placuit Illustr. Cancellario. Cfr. Prot. a. 1671 d. 11 Oct. Hoc anno ad testandum suum in Bibliothecam nostram favorem, dono ei idem dedit Illustr. Heros librum: *Norrlands Chronika och Beskrifning* &c. Wisingsborg 1670 fol. Prot. ej. anni, d. 13 Dec.

<sup>21)</sup> Vid. Prot. Cons. a. 1673, d. 9 Oct. et 19 Nov. Volebat ut libri, qui hactenus eodem ordine quem primus Catalogus impressus exhibet, dispositi fuerant, donationum nulla habita ratione secundum argumenta tantum formasque collocarentur, et index novus conficeretur; sed non placuit adhuc Senatui; quere-

men magis delectatus studio, supremo quod hic Aboae floret Dicasterio Regio nomen dedit <sup>22)</sup>, Academiaeque 1675 valedixit. M. *Benedicto Laurbecchio*, Amanuensis munere cedenti, a. 1672 successor datus D. *Johannes Aschlinus* <sup>23)</sup>. Infructuosa Bibliothecae nostrae haec fuere tempora, de quibus parum quod ad Historiam ejus spectet, vel dicere vel investigare potuimus. Paulo rursus laetiora, brevi licet intervallo, deinceps persequemur ejus fata.

### §. VII.

Tradita est relicta ab *Alano* cura Bibliothecae a. 1675 D. *Gabrieli Wallenio*, *Westmanno* <sup>1)</sup>, qui per XV illam gessit annos, et Pastor simul erat Arcis Aboënsis: Eodem fere tempore, post *Aschlinum* Amanuensis Bibliothecae (s. ut audire coepit Vicarius Bibliothecarius) constitutus fuit D. *Petrus Hahn*, *Smolandus* <sup>2)</sup>. Qui deferbuisse quasi videbatur ardor Academicorum, de agenda, publica liberalitate, Bibliotheca sua, diligentius agendi, XX ultimis hujus Saeculi annis revixit rursus; quare Patres et a. 1680 operam Rever. Episcopi, *Stockholmiae* degentis, hac in re efflagitasse reperiuntur <sup>3)</sup>, et anno sequente D. D. *Joh. Gezelio*, *filio*,

batur de negligentia Typographi, qui Bibliothecae debita exemplaria non tradidisset, ex Constitutionum tenore; de amissis libris inquiri volebat etc.

<sup>22)</sup> Prot. a. 1673 d. 31 Oct. et 1675 d. 14 Apr.

<sup>23)</sup> Prot. a. 1672, d. 13 Jul. et 4 Sept. Qui minus probabatur Bibliothecario, sed in statione sua tamen conservatus fuit, ut curatius officio suo fungeretur, admonitus. Prot. a. 1673, d. 9 et 31 Oct.

<sup>1)</sup> Prot. Cons. Acad. a. 1675, d. 17 Maji et 12 Jun. Sponsores ab eo Senatus Acad. exegit, quos et praestitit. Sed itineris occasione, quod in Russiam a. 1676 suscepturus erat, ut Legato, Regni Senatori et Dicasterii Aboënsis Praesidi D. Lib. Bar. *Ernesto Joh. Creutz* a Sacris, Sponsores ejus fide sua se exsolvi volebant. Prot. a. 1676 d. 26 Apr. Quare novos sponsores praestare jussus est, ibid. a. 1677, d. 10 Mart. et 4 April. Quos tamen an praestiterit, non liquet.

<sup>2)</sup> Prot. a. 1675, d. 14 Oct.

<sup>3)</sup> Prot. a. 1680, d. 5 Nov.



*Th. Professore*, iter in Sveciam suscipienti, in mandatis dedisse, ut bibliothecae Academiae suppellectili suppetias peteret <sup>4)</sup>, sive librorum adhuc in Regia Stockholmiensi Bibliotheca duplorum copia superesset, sive alia ratio rebus musarum nostrarum angustis subveniendi, posset inveniri. Nihil quidem his moliminibus actum; sed privata munificentia *Centurionis Cohortis Equestris* (Ryttmästare) Nob. D. *Patricii Ogilvie*, librorum aliquam copiam Bibliothecae Academicae a. 1680 accessisse, ex Actis liquet <sup>5)</sup>; quorum indicem conficere Bibliothecarius jussus est, et pro quibus gratias Senatus Acad. literis ad D. *Ogilvie* datis, debitas egit. Quot aut quibus ille libris penum nostrum ditaverit, certo investigare non potuimus; in eo autem numero fuisse libros circiter XX Anglicos, in recentiori typis impresso Catalogo (de quo mox) adductos, qui in superiori non comparent, probabile est, quorum uni nomen etiam sua manu inscripsisse deprehenditur <sup>6)</sup>. Anno sequente suum in musas nostras amorem libris quibusdam bonis largiendis, Rectoratu abiens, declaravit etiam Maxime Rev. D. D. *Johannes Gezelius, filius, S. Theologiae tum Professor, Episcopus* deinde Aboënsis meritis suis eminentissimus <sup>7)</sup>; cujus muneris non

<sup>4)</sup> Prot. a. 1681, d. 24 Jun.

<sup>5)</sup> Prot. a. 1680, d. 3 Mart.

<sup>6)</sup> Scil. *A Commentarie of M. Dr. Luther upon the Epist. to the Galathians*. Lond. 1635 4:o. Cui haec verba adscripta leguntur: *I have reteaned this book in memoriall from my loving friend Richard Andersson at Riga d. 10 of Nov. a:o 1645. Patrick Ogilvie*. Notum est hanc familiam ex Scotia huc accessisse (Cfr. Nob. STJERNMAN *Matricel öfwer Smea Rifes Ribberfkap och Adel*, 1 Del. p. 337). Hujus autem Bibliothecae nostrae fautoris fata curatius resciscendi, occasionem hactenus non habui.

<sup>7)</sup> Protoc. a. 1681, d. 24 Jul. Praeter *Alcoranum* MS. dedit *J. G. Dorschaei Biblia numerata, Joh. Gerhardi Locos Theologicos*, Francof. et Hamb. 1657, fol. 5 voll., et *Francisci Archi-Episcopi Rothomag. Apologiam Evangelii pro Catholicis*, Paris 1625 fol. Dederat ante jam, pro promotione ad Extraord. Professionem Theologicam a. 1676, *Dionysii Areopagitae Opp. Gr. et Lat.*, Antv. 1634 fol. Uno praeterea et altero minore volumine Bibliothecam auxisse reperitur.

leve fuit ornamentum *Alcoranus Arabicus Manuscriptus*, in forma 8:a majore, et scriptionis et papyri elegantia insignis <sup>8)</sup>, quem an. 1678 emerat Stockholmiae a. D. *Joh. Petro Kirstein* <sup>9)</sup> 100 Thaleris cupreis, ut hic, sua manu adjecta epigraphe, testatum reliquit. Tanto hic liber gratior erat, quod primus fuit codex MS. quem Bibliotheca nostra possedit, ornamento ejus adhuc integer superstes. Ejusdem quoque viri magni, tum Rectoris Academiae, consilio, paulo ante cum Curatoribus Ecclesiae Cathedralis (Kyrko-Råd) actum est, ut libri qui in Templo Cathedrali nulli usui servabantur, in Bibliothecam Academicam, commodo studiosae juventutis inservituri transferrentur <sup>10)</sup>, ubi (quibusdam exceptis, qui sub duplici fuga Russorum metu suscepta, aliisque Bibliothecae nostrae adversis fatis damnum passi perierunt) <sup>11)</sup> adhuc supersunt. Volumina erant LIX: scil. LII in folio, I in 4:o, VI in 8:o, haud multi quidem pretii <sup>12)</sup>.

<sup>8)</sup> Lingua Turcica exaratum dicit STJERNMAN *Ab. Lit.* p. 10. *Postquam a:o 1681, d. 29 Maji ignis et aquae pericula evaserat, Bibliothecae Acad. Aboënsis publicae a se illatum docet adjecta annotatione D. Gezelius.*

<sup>9)</sup> Vid. de eo STJERNMAN *Matrickel öfver Ridd. och Ad.* 2 Del. p. 868.

<sup>10)</sup> Prot. Cons. Acad. a. 1681, d. 8 Apr. Mutui nomine primum datos patet ex Prot. ej. anni d. 25 Sept. 1689, d. 6 Sept. Cfr. Prot. a. 1682, d. 31 Aug. et 1689 d. 12 Sept. Jus autem in illos reservatum, deinde vindicatum esse, non reperio.

<sup>11)</sup> Ex. g. *Decretum Gratiani*, et *Duranti Rationale Officior. Divinorum*, Fol., veteres editiones.

<sup>12)</sup> In his libris fuit etiam *Matthaei Vogelii Schatzkammer Heiliger Göttlicher Schrift*, Tub. 1581., Voll. IV. fol., cujus IV volumini haec verba adscripta leguntur: *Dhenne Boch haffwer Hedderlig och Höglård Man M. Gregers Kyrkoherde och Prädicant här i Åboo Stadh länett mig, att jagh uthi mitt fengelse ther uthi studere och någon roo her aff och tröst haffwa kann. Gud wärdiges mitt hjertra uplyssa, att sådantt må ske, Hans heliga namn til ähra, och migh til ewigh sallighett. Amen. Dat. Åboo then 12 Martzii a. 1601. Jörenn Påse til Hellefås. Superest adhuc index omnium horum ab Ecclesia Cathedrali Bibliothecae Acad. concessorum librorum, et a. 1681 d. 18 Maji in Bibliothecam translatorum.*



Bibliotheca his (aliisque forte <sup>13</sup>) auctibus locupletata, consultum Senatui Acad. visum fuit, Catalogum ejus renovatum publicae rursus luci committere <sup>14</sup>), quod factum initio anni 1683, quamvis titulus a. 1682 praeferat <sup>15</sup>). Bibliothecario haec cura commissa; in consilium tamen dato ei D. M. *Laurbecchio* Poës. Professore <sup>16</sup>). Ordinem etiam librorum immutari, ita ut neglecta donationum serie, secundum disciplinas tantum et voluminum formas alphabetico ordine recenserentur, Senatui nunc placuit <sup>17</sup>), sapienti quidem ratione, sed quae Bibliothecae nocuit historiae. Integer Catalogi Titulus est: *Bibliotheca Regiae Academiae Aboënsis, sive Elenchus: in quo ejusdem scriptorum et librorum cujuscunque Facultatis, certus numerus ordine Alphabetico continetur; Expressis quoque forma, loco et tempore impressionis. Aboae Fennorum excus. apud Johannem L. Wallium, Acad. Typog. anno MDCLXXXII, fol.* Collatione inter hunc et superiorem instituta, patet XXX fere hoc annorum intervallo, 234 tantum circiter voluminum accessione Bibliothecam crevisse, quorum etiam magna pars, ut ex mox allatis constat, tribus proximis annis accessit; tristis sane publicae Bibliothecae fortuna, tantoque gravior, quod hujus quoque pauxilli augmenti insignis portio nullius esse pretii deprehenditur. Periisse etiam, inprimis incendiis a. 1656 <sup>18</sup>) et 1681 urbem vastantibus, privatis commodatos

---

<sup>13</sup>) Nisi per errorem ex priori Catalogo omissa fuerunt, hoc intervallo accepit Bibliotheca Acad. etiam *Gradualis Danici*, Arhus. 1637 impressi 6 Exemplaria; quae emta non esse, satis patet, adeoque aut a D. *Ogilvie*, aut aliunde, muneri data. *Hutteri Bibliis Hebr.* quae etiam post editum primum Catalogum accesserunt, adscriptum reperitur: *Reverendiss. et Clariss. Viro D: no Davidi Chytraeo, S. Theol. Doctori etc. Domino suo honorando d. d. Elias Hutterus m. p.*

<sup>14</sup>) Prot. 1682, d. 31 Aug.

<sup>15</sup>) Cfr. Prot. 1683, d. 24 Jan. STJERNMAN *Ab. Lit.* p. 10.

<sup>16</sup>) Prot. 1682, Oct.

<sup>17</sup>) Prot. a. 1682, 31 Aug.

<sup>18</sup>) Quamvis et magna urbis pars, et aedes etiam Academiae hoc incendio devastarentur, Bibliothecam tamen nullum pas-

XII circiter libros, qui in primo Catalogo recensentur, et Catalogorum collatio, et acta Academiae docent; non multi valoris, et quorum plerique saltem, aliis eorum loco oblati voluminibus, repensi videntur <sup>19)</sup>.

### §. VIII.

Nulla deinde Bibliothecae nostrae, quoad apud hunc praefectum ejus mansit cura, augmenta accessisse reperio. Non neglexit quidem de libris novis coëmendis, exemplo antecessorum suorum, Senatam Acad. monere, ut aliquanto lautior musis nostris penus sensim appareretur; sed censum Academiae his consiliis obstare, Patres querebantur <sup>1)</sup>. Occasione, ut videtur, itineris Russici a Bibliothecario suscipiendi <sup>2)</sup> arrepta, qui prompta nimis spe lautioris obtinendi muneris deceptus, spartae renunciaverat suae <sup>3)</sup>, D. *Hahn* diploma Illustr. Cancellarii sibi paraverat (datum a. 1677, d. 27 Junii), quo in ejus locum sufficiebatur; eoque munitus, hujus Provinciae curam poposcit: quam tamen *Wallenius* Senatus Ac. opera retinuit <sup>4)</sup>. Non autem usquequa-

---

sam esse damnum, Acta et Catalogi docent, (cfr. Lit. Cons. Acad. ad Episc. *Terserum* an. 1662, d. 29 Nov. inter acta Rector. a. 1661 et 1662): quae etiam gravissimi incendii a. 1681 urbem affligentis periculum salva evasit, licet tectum aedis Bibliothecaelaesus sit, inprimis ruina turris templi Cathedralis; quod damnum, ut ex aere Ecclesiae illius resarciretur, Senatui Acad. aequum visum fuit. Cfr. Prot. a. 1681, d. 2 Jun. 1688, d. 1 Septembr.

<sup>19)</sup> Prot. a. 1683, d. 24 Jan. 1686, d. 4 Nov. 1694, d. 27 Jan.; cfr. tamen prot. a. 1691, d. 12 Oct. et 1693, d. 13 April.

<sup>1)</sup> Protoc. a. 1688, d. 27 Sept. Etiam antea, a. 1680, (cfr. Prot. d. 28 Jun.), monuisse Patres legitur de Bibliotheca augenda, quae tam longo intervallo nulla acceperat incrementa.

<sup>2)</sup> Cfr. supra § VII not. <sup>1)</sup>.

<sup>3)</sup> Scripto D. Magistro *Hahn* dato; a quo vero vicissim promissum exegerat, scripto consignatum, ne antequam ipse aliam obtinuisset stationem, provincia se deturbaret.

<sup>4)</sup> Prot. a. 1679, d. 16 Dec. 1680, d. 3 Mart., 24 April, 5 Maji.

que diligentiam ejus in sparta sua ornanda, Patribus fuisse probatam, deprehendimus <sup>5)</sup>. D. M. *Hahn* ad Professionem Physices promotus, Amanuensis Bibliothecae a. 1681 constitutus est D. M. *Andreas Merthen* Aboënsis <sup>6)</sup>; cui deinde, cum solus fere Bibliothecarii partes per aliquot sustineret annos, (ordinario praefecto aut morbo, aut curis suis Sacerdotalibus impedito, aut nescio quas ob causas Bibliothecae negotiis minus intento) decreto Senatus Acad. primo quintam, et mox dimidiam Stipendii ejus partem tributam invenio <sup>7)</sup>; Illustr. Cancellario, et Regia quoque Majestate hoc decretum confirmante <sup>7)</sup>. Quin ex commendatione Consistorii Acad. successio quoque in locum Ordinarii Bibliothecarii, quam primum is statione sua decessisset, illi promissa <sup>8)</sup>. Lites vero inter hos Bibliothecae nostrae praefectos hinc ortas, severis literis Illustr. Cancellarius ita tandem diremit, ut ordinario totum stipendium relinquendum decerneret, si partibus muneris sui ipse fungeretur <sup>9)</sup>. Itaque ab eo rursus tempore illius in se curam diligentiolem recepit <sup>10)</sup>. Post multos conatus, multasque acceptas commendationes, cum a. 1689 Pastor demum in *Girista* et *Gryta* Uplandiae *Wallenius* noster esset constitutus <sup>11)</sup> (quamquam

---

<sup>5)</sup> Prot. a. 1680, d. 28 Jun. (Inprimis incuriae ejus imputatum, quod globus major caelestis graviter laesus esset, quia humidus situ Bibliothecae aedes non satis frequenter aperto liberoque aëri permeandas permisisset: culpam autem in tectum aedis fatiscens, cujus incommodis, diuturno detentus morbo, et ab Amanuensi suo parum adjutus, mederi non potuerat, a se amovit). Cfr. Prot. ej. a. d. 7 et 10 Jul. 1682, 27 Jun. 1684, 7 Jul.

<sup>6)</sup> Prot. a. 1681, d. 16 et 23 Mart.

<sup>7)</sup> Prot. a. 1684 d. 12 Mart., 1685 d. 21 Jan., 7 Febr., Apr., 27 Jul., 1686 22 Jan., 10 Febr., 1687 5 Oct., 5 Nov., 2 Dec., 1688 28 Mart., 27 Sept., Cancellarii Lit. a. 1685 31 Mart., Regium decret. 1685, d. 23 Jul.

<sup>8)</sup> Prot. a. 1685 d. 11 Febr., 6 Maji, 1687 21 Jan., 12 et 22 Jul.

<sup>9)</sup> Lit. Canc. a. 1688, d. 20 Mart.

<sup>10)</sup> Prot. a. 1688 d. 27 Apr. etc.

<sup>11)</sup> Prot. a. 1690, d. 21 Maji.



mansit tamen hic Aboae Bibliothecaeque praefuit usque ad annum sequentem, quo morte defunctus est) successit ei in Bibliothecae praefectura D. M. *Petrus Hahn*, Physices Professor Ordinarius; cui haec Provincia assignatumque administratoribus ejus stipendium, ad spartam Professoriam adjectum; quia ob imperitiam linguae Fennicae curam Ecclesiae alicujus, earum quae Academicis, ad reditus eorum augendos concessae sunt (*Annexe-Pastorater*), suscipere non posset <sup>12)</sup>. Atque ab hoc tempore diu deinde unus Professorum Bibliothecarii quoque muneri simul praefuit. Defuncto, initio anni 1690 D. *Merthen*, in ejus locum Amanuensis Bibliothecae suffectus est D. *Johannes Flachsenius* <sup>13)</sup>, (filius Archi-Praepositi et Professoris Primarii D. D. *Jacobi Flachsenii*), cui salarii loco duplex in suprema classe stipendium <sup>14)</sup>, ut et successoribus deinde ejus, concessum; quo vero ad exterarum oras a. 1692 proficiscente, haec sparta D. M. *Gabrieli Thauwonio*, Facultatis Philosophicae simul Adjuncto, demandata fuit <sup>15)</sup>. Qui adjecto honore Professoris Philosophiae Extraordinarii, a. 1694 ad officium Academiae Secretarii admotus <sup>16)</sup>, curam tamen Bibliothecae simul retinuit, donec a. 1698 Pastor Ecclesiae Nerpensis in Ostrobotnia factus <sup>17)</sup>, Academiae valedixit.

### §. IX.

Ut pateat, quam ob causam, tot annis, tam exigua, eaque etiam fortuita, Bibliotheca Acad. habuerit incrementa, de reditibus, quibus et conservari et augeri debuit, paucis

<sup>12)</sup> Prot. a. 1689, d. 14 Maji. Et quia D. *Merthen*, ob fractas animi corporisque vires, huic muneri diligenter obeundo amplius par esse non censebatur; cujus tamen necessitatibus se prospecturum, D. Professor *Hahn* promisit. Cfr. Prot. a. 1690, d. 21 Maji, 25 Jun., 10 Jul., 19 Aug.

<sup>13)</sup> Prot. a. 1690, d. 1 et 4 Febr., 19 Aug.

<sup>14)</sup> Prot. a. 1690, d. 19 Aug.

<sup>15)</sup> Prot. a. 1692, d. 5 Jul., 14 Dec.

<sup>16)</sup> Prot. a. 1694, d. 27 Mart.

<sup>17)</sup> Prot. a. 1698, d. 2 Nov.



jam exponendum. Initio, primisque sex post fundatam Academiam annis, de Bibliotheca eidem comparanda nulla publice capta sunt consilia. Deinde vero, a. 1646, Responso Regio ad Academicorum postulata dato, 200 Thalerorum argent. annui redditus, ex praediis hunc in finem Academiae concessis percipiendi, Fisco Academico clementissime assignabantur, tam aedium Academicarum reparationi, quam Typographiae et *Bibliothecae augendae*, insumendi <sup>1)</sup>; (quare etiam Bibliothecarius D. *Kempe*, Thesauri sibi commissi augendi singularem fovens curam, a. 1652 petiisse a Senatu Acad. reperitur, ut eam frumenti partem, quae Bibliothecae deberetur, vendere sibi liceret, pecuniaque illa librariam hanc gazam augere, simul postulans, ut et superiorum annorum Bibliothecae debitorum ratio fructuum diligens exigeretur, vero suo usui impendendorum; quod tamen consilium Senatui minus probabatur, omnem hanc pecuniam in aerarium Acad. commune inferendam esse decernenti <sup>2)</sup>). Verum ex hac liberalitate Regia parum ad Bibliothecam nostram redundavit utilitatis. Quum enim, quantum cuique esset

<sup>1)</sup> Kongl. Maj:t:s Resolution på Åbo Academies Postulater, gifwen Stockh. d. 23 Oct. 1646 (vid. Acta Rectoratus an. 1640 ad 1660, fol. 8); ubi verba in § 9 haec sunt: På thet Academiae Byggingar få mycket bättre underhållas måghe, och Trycket tillifa med *Bibliotheket kunna stå til at förbättra*, då hafwer Hennes Kongl. Maj:t årligen Tuuhundrade Daler Swenskt Silfwermynt welat dertil förordna ic.

<sup>2)</sup> Prot. a. 1652, d. 17 Mart. et d. 7 Apr. quo posteriori loco ita verba jacent, quasi certa et definita frumenti portio Bibliothecae fuisset assignata, quod tamen et praxi et aliis Actorum locis repugnat; verba ipsa habent: Dito proponerade åter M. Axelius Kempe om den andel som af Staten faller til Bibliotheket, at den honom tilstållës, och göres redo af honom som wederbör, för de förra åren. Hærom sade Quaestor, at han för förra åren hafwer quittencer och wettskap opå, men det som för detta året faller til Bibliotheket, af fisco, säger han sig ej hafwa welat utom Senatus Sedel utleswerera. Sent. S. Alltså war Senatus Sentens, at Quaestor förytttrar och bortfåller Acad. Bibliothekets spannmål efter Markgången, och lesfwererar sedan pennin-garne Inspectoribus aerarii.

tribuendum usui, certis non esset terminis definitum <sup>3)</sup>, Bibliothecae id demum cessit, quod aliis superesset necessitatibus, h. e. plerumque nihil <sup>4)</sup>. Alii namque Academiae faciendi sumtus, multi erant magnique, ex hac sola pecunia erogandi; quae, si longe fuisset major, vix tamen illis omnibus suffecisset <sup>5)</sup>. Publicae praeterea calamitates accesserunt, inprimis incendium urbis gravissimum, quo a. 1656, d. 13 Maji, aedes etiam Academicae deflagrabant; cui damno reparando, non modo omnem pecuniam Academiae publicam impendere, sed etiam, exhausto aerario, aes alienum grande conflare, Patres cogebantur <sup>6)</sup>. Itaque praeter sumtus in aedes Bibliothecae primum instaurandas instruendasque factos, nec non in libros Stockholmia transferendos <sup>7)</sup>, vix aliam fere opem a fisco res libraria accepit, quam quod damna tecti aedium, in quibus satis male libri conservabantur, saepius laesi, resarta esse reperiantur <sup>8)</sup>. Reliqui conatus ad reditus Bibliothecae his temporibus augendos suscepti, aut minoris momenti fuerunt, aut successu carue-

<sup>3)</sup> Cfr. Prot. a. 1670 d. 7 Apr., 1689 d. 12 Sept. et 1692 d. 16 Nov.

<sup>4)</sup> Prot. a. 1688 d. 27 Sept., 1689 d. 12 Sept. et 1692 d. 16 Nov.

<sup>5)</sup> Prot. citt. Praeter eam pecuniam quae aedium Acad. reparationi et Typographiae necessitatibus insumebatur, ex fisco etiam stipendium alterius Praefecti reditibus Acad. exigendis, (Fogdens), Vic. Secret. Custodum etc. solvebatur. Nec fisci pecunia exacte semper rediit.

<sup>6)</sup> Cfr. Postulata Acad. a. 1664 d. 24 Jun. §. I et a. 1665 d. 30 Apr., ut et Literas Consistorii Acad. ad Episcopum Terserum a. 1662, d. 29 Nov. (inter Acta Rector. horum annorum).

<sup>7)</sup> Cfr. Lit. Cancellarii supra §. V not. <sup>12)</sup> allatas.

<sup>8)</sup> An. jam 1660 D. *Petræus* monuit de tecto Bibliothecae reparando (Prot. d. 23 Jun.); et scripto d. 4 Dec. exarato sequenti anno porro idem ursit. Vid. Acta Rector. a. 1661. Quod tamen a. 1662, fine anni adhuc perfectum non fuit (Prot. a. 1662, d. 1 Oct. et 12), magno Bibliothecae incommodo. Idem tectum rursus a. 1680 reparationis indiguit. Prot. d. 28 Jun. et 7 Jul. 1681, d. 2 Jun.

runt omni. Inter illos referas, quam supra tetigimus industriam D:ni *Kempe* in colligenda, privatorum liberalitate, tenui pecuniae summa; cujus exemplum imitari cupiit D. *Wallenius*, a Senatu tamen admonitus legibus hoc consilium repugnare <sup>9)</sup>. Posterioris generis moliminibus annumerandum, quod in postulatis Acad. S. Regiae Majestati a. 1664 insinuatis, 2 §. Academici supplicarent, ut praedium Rusticum *Paßfunda* in paroecia Nummensi situm, quod per 40 annos incultum jacuerat, Bibliothecae augendae concederetur <sup>10)</sup>; et quod a. 1679 *Depositoris* munus abrogari, reditusque ex hac caerimonia percipiendos Bibliothecae adjudicari volebant, Illustr. tamen Cancellarii approbationem non reportantes <sup>11)</sup>. Itaque a temporaria et incerta privatorum liberalitate (praeter laudatum supra August. Reginae donum) Bibliothecae nostrae tota fere sors pendebat, parca ut vidimus, in hunc, ut et reliquos musarum Aurai-carum usus.

### §. X.

Laetiores promittere in posterum Bibliothecae nostrae fortunam, ultimi exeuntis hujus seculi anni videbantur; nec fallaci plane eventu, quamvis nebulis tempestatibusque haec serenitas subinde fuerit intermixta. Itaque novam quasi ab hoc tempore inchoamus in Historia ejus epocham. In quaerendis a Regia liberalitate tenui suo thesauro librario subsidiis, Patres Academici non defatigabantur. Indicaverat illis Pastor tum primarius Stockholmiensis Max. Rev. Dn. M. *Matthias Iser*, Bibliothecam Legati defuncti Generos. D:ni *P. J. Coyet* <sup>1)</sup> esse venalem, suamque obtulerat operam in Regia Majestate oranda, ut illa publica emeretur impensa, et usibus Academiae elementer concederetur. Avide hoc consilium arripiebant Academici. Itaque et li-

<sup>9)</sup> Prot. a. 1688, d. 27 Sept.

<sup>10)</sup> Acta Rector. ejus anni.

<sup>11)</sup> Prot. a. 1680, d. 30 Aug. et 11 Sept.

<sup>1)</sup> De quo videri potest Nob. STJERNMAN *Matrickel öfver Sw. Rikets Ridd. och Adel*, 1 Del. sid. 439 seq.



teris ad Dn. *Iser* missis, eum rogabant, ut promissum suum exsolvere non praetermitteret <sup>2)</sup>, et aestate sequente, a. 1693, Stockholmiam profecturo Dn. M. *Thorstano Rudeen*, Poëseos Professori, ut ejusdem rei diligentem ageret curam, in mandatis dabant <sup>3)</sup>. Ad Episcopum quoque Rever. Dn. D. *Johannem Gezelium*, Filium, ibidem tum morantem <sup>4)</sup>, ut et Illustr. Cancellarium, Senatorem Regium Dn. Comit. *Laurantium Wallenstedt*, de hac re scriptum. Rescripsit ille, Coyetiana Bibliotheca aegre detecta, quae in aedibus Nob. *Hoghusen* delituerat, Regem Augustissimum Academicorum votis propitium videri, modo de pretio librorum conventum fuerit <sup>5)</sup>, et literis praeterea ad Upsaliensis Academiae Cancellarium (Auricarum paulo antea musarum Maecenatem) Illustr. Dn. Sen. Reg. et Comit. *Benedictum Oxenstjerna* datis jussisse, libros in Bibliotheca hujus Academiae ditioris duplos aut triplos, in quantum fieri posset, Aboënsi sorori pauperiori concedi <sup>6)</sup>; de quo tamen Regio mandato exse-

2) Protocollum Consistorii Acad. a. 1693, d. 23 Febr.

3) Ibid. d. 22 April.

4) Ibid. d. 28 Junii.

5) Ibid. d. 18 Aug. Eandem spem redux confirmavit, et catalogum se hujus Bibliothecae inspexisse dixit. Prot. a. 1694, d. 27 Mart.

6) Protoc. a. 1693, d. 18 Aug. Lubet ipsas literas Regias, ex Apographo quod inter Acta Acad. superest, apponere: CARL med Guds nåde ic. Vår synnerlige ynnest ic. Såsom hos Dß Biskopen i Åbo Doctor Johannes Gezelius tillika med twänne Professorer, å Academiens wägnar derfammastädes en underdånig ansöknung gjöra, at berörde Academie, som förtiden med mycket ringa och litet Bibliothek är försedd, må blifwa understödd med de dupletter och tripletter som wid Academien i Upsala til öfwerflöds finnas; alltså är härmed til Eder Vår Nådige wilje och befallning, det S söke bemälte Academie uti sådan deras åstundan och nödtorft at willfara, så wida giörligit må wara, wiljandes synas at Academien i Upsala wäl lærer kunna umbära och aflåta de böcker som af enahanda slag der finnas til flere än et å tu exemplar. Swar med skjer det Dß til nådigt nöje ländet. Och Wi befalle ic. Af Carlberg d. 20 Julii 1693.

CAROLUS.

C. Piper.



quando, non videtur esse diligentissime cogitatum, ut infra docebitur. Illustr. quoque Academiae nostrae Cancellarius Senatui Acad. respondit, se de Coyetiana illa Bibliotheca inquisivisse, sed neque de possessore neque de pretio ejus adhuc certi quidquam rescire potuisse; exspectare tamen responsum Dni. *Coyet*, Vic. Praesidis Tribunalis Wismariensis, qui possessor ejus perhibeatur, ad quem literas de ea re dedisset 7). Justa igitur spe excitati Patres Academici, Dn. *Matthiam Swederum*, Juris Professore, anno sequente Stockholmiam iter susipientem, inter caetera Academiae negotia hoc etiam sollicitè curare jusserunt, publico eam ob caussam sumtu subnixum 8). Annuit quidem clementer Regia Majestas Academicorum petitioni 9); sed ad exitum tamen perduci res non potuit. Quare Dn. Professore *Rudeen*, Stockholmiae versanti, a. 1695, haec cura rursus commissa, (sociam ei adjungente operam, dum ibidem degeret, Rev. etiam Episcopo 10), qui eam ob caussam ad sequentem usque aetatem, anni 1696, ibi commoratus est, non sine nova Academiae impensa 11). Scripsit ille quidem, Bibliothecae saepius nominatae percensendae (*inventering*) mox factum iri initium 12), ut pretium ejus statui posset; sed non multo post significavit, non placere amplius Illustr. Cancellario Bibliothecam emi Coyetianam, ut corruptam, verum ad alias animum applicuisse 13); qui ipse etiam literis Senatui Acad.

7) Litt. Cancell. a. 1693, d. 4 Aug.

8) Prot. Consist. Ac. a. 1694, d. 9 Maji et 15 Aug.

9) Kongl. Maj:ts Nådiga Resolution uppå de underdånigste suppliquer och ansöknigar, som å Academiens vägnar i Åbo äre blefne insinuerade. Sifwen Stockholm den 12 Octobris a. 1694, ejus 8 moment. ita habet: När Kongl. Maj:t blifwer underrättad, huru högt det til Academiens behöf föreflagna framledne Ambassadeuren Coyets Bibliothek skötes at utbringas, efter en skälfig värdering, vill Kongl. Maj:t angående deß inlösen för Academiem, i Nåder resolvera och förordna.

10) Prot. Consist. Ac. a. 1695, d. 11 Dec.

11) Ib. a. 1695 d. 3 Nov., a. 1696 d. 14 Jan. et 26 Mart.

12) Ibid. a. 1696, d. 6 Febr.

13) Ib. d. 29 Apr.

dati rationes suas exposuit, docens res haeredum Coyetianorum ita esse implicatas, ut spes emtionis Bibliothecae istius propere concludendae, nulla adesset; dici praeterea libros esse male habitos atque corruptos: quamobrem cum significatum sibi esset Bibliothecam defuncti Historiographi Regni Nob. Dni. *Cl. Oernhjelm* venalem haberi, rogasse D: num<sup>1</sup> *Rudeen*, ut ejus sibi conditionem perspectam redderet, quem ostendere probabilem esse et bene conservatam; itaque indice ejus confecto, quem brevi speret absolutum iri, pretioque inde constituto, Regem August. clementer dati promissi sui se non neglecturum admonere, nec dubium videri quin haec Bibliotheca Academiae condonetur <sup>14</sup>). Verum hoc quoque consilium, nescio ob quam caussam, irritum fuit. Itaque ut ex promissa et tam diu frustrasperata liberalitate Regia, aliquem tamen, quamvis exiguum, Academia fructum perciperet, literis ad Illustr. Cancellarium missis Patres Acad. supplicabant, ut Bibliothecam defuncti Professoris D:ni *Dan. Achrelii*, licet voluminum numero haud quidem insignem, Regiis sumtibus publico Academiae commodo comparare, sibi permitteretur <sup>15</sup>). Sed responsum de illa re non tulerunt <sup>15</sup>). Mutata erant tempora. Interveniens morte praematura Regis August. et bellorum gravissima tempestate ingruente, omnis tandem spes, quae ex publica ditescendi liberalitate Bibliothecae nostrae affulserat, penitus evanuit, cunctaque ad eandem augendam facta haec molimina, fatali quadam fortunae adversitate, incassum ceciderunt.

---

<sup>14</sup>) Litt. Cancell. a. 1696, d. 5 Maji.

<sup>15</sup>) Erat haec sub hasta vendenda, ut fides solveretur quae pro Quaestore quodam provinciali (*Landt=Råntmästare*) Dn. Achrelius infeliciter obligaverat. Pluris vero aestimata non fuit tota ejus suppellex libraria, quam 1176 Thaler. mon. cupr. Prot. Cons. Ac. a. 1700, d. 14 Julii et d. 20 Oct., ut et Litt. ad Canc. d. 19 Julii.

<sup>15</sup>) Prot. cit. d. 19 Dec.

## §. XI.

Iisdem vero his annis, quibus falsa haec spes supellectilem Academiae librariam lautiori munere locupletandi, Patres Acad. delusit, alia, tenuiori licet, attamen solidiori ope, suffulciri coepit. Naeta enim aliquando est reditus peculiare atque proprios, ad annua atque perpetua ejus incrementa impendendos, quae ex fisci pecuniis non plus deinceps quam hactenus, id est nihil, subsidii accepit. Sanciverat videlicet literis ad Illustrissimum Cancellarium Academiae Upsaliensis datis, ejusque Academiae in commodum, Rex gl. memoriae *Carolus XI*, a. 1692 die 2 Julii, in illa tum urbe commoratus, ut ad augendam Bibliothecam publicam, singuli in civitatem Academicam recipiendi Comites et Barones 2 Thaleros Imperiales (Rifsdaler), Nobiles 1 cum dimidio, et caeteri cives 1 Thalerum Imp. penderent. Ad munera praeterea Academica admoti, Professores, Bibliothecarii et Quaestores, eodem fruente stipendio, librum 4 Thaler. Imper. pretii, Secretarii, Adjuncti et Linguarum Magistri 2 Thaleror. Imper. dare jussi sunt, ut et Doctoris in superioribus facultatibus titulo insigniti 4 Thaleros Imp. et Philosophica donati Laurea 2 Thaleros Imperiales. Delatum est Aboam aestate sequente Regiarum harum Literarum exemplum: et quamquam expressum aut peculiare nullum publice accessit mandatum, ut ab hujus quoque Academiae civibus haec lex observaretur, aequum tamen et consultum Rectoribus et Senatui Acad. visum, ut eadem hic quoque pecunia in usum Bibliothecae egentissimae penderetur; quod etiam ab a. 1693 sensim invaluit <sup>1)</sup>. Negligentia autem erat non excusanda, aequissimi et utilissimi hujus instituti a summo Magistratu nullam expetisse confirmationem aut sanctionem. Unde evenit, non modo ut Academia alterius praerogativae, Upsaliensibus camenis simul concessae, particeps non fieret, (ut nempe librorum

---

<sup>1)</sup> Prot. Consist. Ac. a. 1702 d. 12 Febr.; Litt. Consist. Ac. ad Illustr. Cancellar. a. 1705 d. 7 Oct.



et tractatum omnium Stockholmiae, Upsaliae, Arosiae et Strengnesiae impressorum, exemplar Bibliothecae Academicæ gratis traderetur<sup>2)</sup>, sed ut in pecunia etiam illa colligenda, per multos annos, magno Bibliothecae damno, magna regnaret licentia et confusio. Nulla enim primo erat fixa et stabilis ratio, ut Literae tamen Regiae jubebant, eandem exigendi; sed pro suo Rector quisque egit arbitrio. Cum fisci (sic dicti) Rectoris pecunia, plerique confunde-  
bant; et 6 Thalers cupreos (qui uno tum Thalero respondebant Imperiali) a novis civibus, Academiae nomen dantibus, exigentes, ad alias impensas publicas maximam, aut dimidiam saltim partem, plerumque insumebant, reliqua tantum parte in usum Bibliothecae attributa<sup>3)</sup>. Atque haec quoque exigua pecunia, non semper suo reservabatur usui<sup>4)</sup>. Neque etiam debita serveritate ab omnibus exigebatur; neque accurate rationes exactae pecuniae a Rectoribus poscebantur aut reddebantur<sup>5)</sup>. Praeterea loco numeratae pe-

<sup>2)</sup> Statutum hoc, Regio edicto, dato Upsaliae, eodem die ac supra laudatae litterae, die nempe 2 Julii a. 1692.

<sup>3)</sup> Vid. Protoc. Consist. Ac. a. 1700 d. 14 Julii; 1701 d. 19 Julii; 1702 d. 12 Febr.

<sup>4)</sup> Sumti ex hac pecunia 300 Thaleri Cupr. ad sumtus Dni. *Svederi*, et rursus 300 ad impensas Dni. *Rudeen*, publica Academiae negotia Stockholmiae curantium, compensandas. Prot. Consist. Ac. a. 1694 d. 15 Aug. et 1696 d. 26 Mart. (Cfr. supra §. X.) Conquestus est a. 1698 d. 6 Jun. Dn. Professor et Bibliothecarius *Hahn*, 900 Thalers Bibliothecae esse praeceptos, et ad alios usus insumtos. Prot. ejus diei.

<sup>5)</sup> Decretum quidem fuit jam a. 1700, d. 20 Jun. (cfr. Prot. hujus diei et etiam d. 14 Aug.) ut Rectores pecuniam a Novitiis Studiosis ex praescripto Litt. Reg. pendendam exigent, et Bibliothecario, rationes deinde acceptae et expensae reddituro, traderent; sed factum accurate non fuisse, ex querimoniis Bibliothecarii frequentibus patet. Prot. a. 1701, d. 3 Apr. Scripto igitur die 19 Julii rursus monuit, ut qui ab a. 1693 Rectores fuissent, nec adhuc pecuniae hujus rationes reddidissent, id quamprimum facere juberentur. Assensit Senatus Acad. et diem illis praestituit; utcumque itaque huic officio plerique satisfecerunt (neque tamen omnes), quorum rationes examinatae etiam sunt. Prot. a. 1701 d. 19 Jul. et 9 Oct. Litt. Episc.

cuniae a se collectae, libros quosdam Bibliothecae, e suis, nonnulli tradebant, non illos quidem semper optimos et carius saepe aestimatos <sup>6)</sup>. Quae omnia ex rationibus mancis, adhuc superstitionibus, patent. Aegre etiam ab iis qui vel honoribus vel muneribus aucti fuerunt Academicis, symbola Bibliothecae debita rediit <sup>7)</sup>. Deficiente justa Magistratus sanctione, liberae fere cujusdam instar collationis, non tributi imperati, omnis haec Bibliothecae solvenda pecunia habebatur; cujus exigua satis pars, quae Bibliothecario tandem tradita fuit, nec ab eo diligentissime administrabatur. Eodem usus more, libros ex suis, nec delectissimos nec aequissimo pretio, interdum Bibliothecae intulisse, rationesque minus diligenter quam par erat fecisse, reperitur <sup>8)</sup>. Itaque mederi his incommodis statuit Academiae Cancellarius, Senator Regius etc., Illustr. Dn. Comes *Gabriel Falkenberg*, magnam in ea re adhibens curam et severitatem. Cujus fidei cum flos salusque Academiae a. 1704 d. 12 Apr. fuisset commissa, anno sequente a Senatu Ac. edoceri, inter alia, de statu, redditibus et administratione Bibliothecae voluit, Catalogum ejus, cum indicato pretio, loco emtionis, et libri cujusque conditione, unaque ra-

---

Laurbecchii ad Senat. Ac. datae d. 9 Sept. in actis hujus anni. Prot. a. 1702 d. 12 Febr., anno 1704 d. 21 Jun. questus est rursus Dn. Prof. et Bibl. *Hahn*, magnam hujus pecuniae partem restare apud Rectores. Prot. ej. diei. Cfr. Prot. a. 1708 d. 22 Jun. et 17 Jul. Ita ut pateat, non diligentissimum in his rebus obtinuisse ordinem.

<sup>6)</sup> Decretum quidem fuit, ut Rectores non pro arbitrio, sed consulto Senatu libros Bibliothecae emerent (Prot. a. 1697, d. 13 Jan.); satis autem validum hoc remedium non fuit, contra illud quod indicavi malum.

<sup>7)</sup> Prot. a. 1701 d. 19 Jul., 1702 d. 12 Febr., 1708 d. 15 et 22 Jun., 31 Aug., 15 Dec.

<sup>8)</sup> Cognovisse tamen saepius pretia librorum ab eo emtorum et venditorum, Senatū reperimus. Minutum quorundam pretium a. 1701 d. 26 Sept. Decretum ut examinaretur a. 1704 d. 14 Jun., 1705 d. 27 Jan. et 2 Jun. Cfr. prott. Rationes etiam reddidisse Senatui, a. 1704, invenimus, ejus scil. pecuniae quae sibi tradita esset. Prot. 1705 d. 2 et 22 Jun., 1708 d. 17 Jul.

tiones accepti et expensi, sibi mitti jubens <sup>9)</sup>. Paruit huic mandato Senatus Academicus, et tam rationes a Bibliothecario confectas <sup>10)</sup>, quam Indicem typis impressum, ejusque supplementum manu scriptum, libros qui postea accesserant exhibens, sensim in debitum ordinem collocandos, transmisit; quorum etiam pretium et locus emtionis adpositi; (nam superiores libri, typis exscripto exhibiti catalogo, dono, ut vidimus, accepti plerique erant.) Simul etiam ostensum, nullos alios fuisse Bibliothecae redditus, quam qui a civibus Academiae, vi Literarum Regiarum, Upsaliensis Acad. Cancellario a. 1692 d. 2 Julii datarum, conferrentur: quarum observantiam, nullo quidem expresso mandato hujus quoque Lycei membris injunctam, apprime tamen et aequam et necessariam visam, adeoque inculcatam fuisse; verum ita, ut ne rei novitate juvenus deterreretur, duris praesertim Patriae temporibus <sup>11)</sup>, dimidia tantum pars summae praescriptae, initio fuerit exacta. Petebat porro Senatus Ac. ut haec lex, posthac in nostris quoque oris perpetuo observanda, publica auctoritate confirmaretur <sup>12)</sup>. Satisfactum esse primum hoc responso Illustr. D: no Cancellario videbatur. Verum triennio post, cum interim non multo accuratius res Bibliothecae administrarentur, aliis literis, quo et in ordinem Bibliotheca debitum redigeretur, et graviora in posterum mala praeciderentur, inventarium librorum a Bibliothecario confici justum completumque jussit, et rationes acceptae pecuniae expensaeque sibi mitti, documentis testimoniisque firmis munitas, ut tuto colligere ex illis posset, qua fide thesauri hujus sibi commissi curam gesserit. <sup>13)</sup>;

<sup>9)</sup> Litt. Cancell. a. 1705 d. 20 Jun.

<sup>10)</sup> Quales scil. Senatui paulo ante reddiderat; qua occasione quidam libri, aut inepti aut nimis care aestimati, a Senatu rejecti fuisse videntur, ad quos resumendos paratum se esse declaravit. Prot. a. 1705 d. 23 Jun.

<sup>11)</sup> Propter annonae saevitiam, ultimis exeuntis seculi annis, et mox secutas belli gravissimi procellas.

<sup>12)</sup> Litt. Senatus Acad. ad Cancell. a. 1705 d. 7 Oct. datae.

<sup>13)</sup> Litt. Cancellarii ad Senat. Ac. a. 1708 d. 9 Jun. Premebat hoc mandatum non solum Bibliothecarium, sed etiam eos



eandemque rem iterato mandato, non multo post, graviter ursit <sup>14)</sup>. Significavit itaque Bibliothecario Senatus Acad. ut ocuis haec mandata exsequeretur <sup>15)</sup>; qui cum et rationes et catalogos, ejusdem ac superiores indolis, Senatui Acad. tradidisset, una cum exemplo literarum quas triennio ante ad Illustr. Cancellarium datas esse diximus, ad eundem transmissi sunt <sup>16)</sup>. Sed non erant hujusmodi ut Dn. Cancellario approbarentur; itaque rescipsit mox sibi minime placere: quod in rationibus, non satis distincte digestis, neque demonstratum accurate esset in quos usus omnis pecunia Bibliothecae debita fuerit insumta, neque ullis firmatum testimoniis quid aut redierit quotannis, aut redire debuerit, et an suo quisque debito satisfecerit, sed indicatum solummodo quid a quoque Rectore Bibliothecario sit traditum. His itaque defectibus ut medela adhiberetur, po-

---

qui Rectoris munere proximis 12 annis functi fuerant. Suspicari se indicavit Dn. Prof. et Bibliothecarius *Hahn*, inimice se ab aliquo rursus apud Illustr. Dn. Cancellarium esse delatum, et in Rectorum negligentiam, qui pecuniam Bibliothecae nec accurate exegerant, nec sibi tradiderant, magnam a se culpaem amovit. Prot. Consist. Ac. a. 1708 d. 22 Jun. Quin aperte, alia occasione, a Dn. Prof. *Nesselio* hanc sibi invidiam conflata esse conquestus est, qui privatis inductus offensis, fidem suam apud Illustr. Cancellarium labefactaverit. Prot. a. 1709 d. 13 Apr.

<sup>14)</sup> Litt. Cancell. a. 1708 d. 13 Jul.

<sup>15)</sup> Litt. ad Cancell. a. 1708 d. 20 Jul. et ad Prof. et Bib. *Hahn* eod. die scriptae.

<sup>16)</sup> Litt. ad Cancell. a. 1708 d. 14 Sept. Cfr. Prot. a. 1708 d. 22 Jun. et 31 Aug. Occasione tamen hac, rursus de pecunia Bibliothecae accuratius sibi tradenda, Bibliothecarium monuisse, quamvis non magno successu, reperimus. Prot. a. 1708 d. 15 et 22 Jun., 17 Jul., 31 Aug. Decretum etiam prudenter fuit, Rev. Episcopo et ProCanc. monente, ut Rectores, quam a novitiis studiosis collegissent in Bibliothecae usus pecuniam, statis temporibus, quater quotannis, Bibliothecario traderent numeratam, liberque pararetur in quem et studiosi singuli datae, et Bibliothecarius a se acceptae summam, propria manu inscriberent. Prot. a. 1708 d. 17 et 20 Jul., sed executioni minus diligenter fuit mandatum. Cfr. Prot. a. 1708 d. 11 Novemb.

stulavit. Inventarium autem omnium librorum completum accuratumque denuo posebat; quod ut confici posset, e numero Professorum certos eligi jussit, qui Bibliothecam diligenter percenserent, libros omnes emtos accurate aestimarent, justumque in ordinem redactum librorum omnium indicem, suisque subscriptis nominibus firmatum, sibi transmitterent; qui si ineptis aut inutilibus libris oneratam Bibliothecam reperiissent, pretio repetito, illis qui tradiderant eosdem redderent<sup>17)</sup>. Ob dies breviores obscurioresque, haec Bibliothecae percensio ad vernale tempus anni sequentis rejecta est<sup>18)</sup>, et deinde D:nis D. *Petro Hielm* Medic., *Israeli Nesselio* Eloq. et *Abrahamo Alamo* Ling. S. S. Professoribus, hoc negotium commissum<sup>19)</sup>, qui aestate proxima, a. 1709, illud perfecerunt<sup>20)</sup>. Quod autem ante finem hujus anni, nec rationes quas postulaverat accuratiores, nec acta institutae recensionis, cum Illustr. Cancellario communicarentur, longius illi res trahi videbatur; quare severis literis ut maturaretur monuit; in quibus addidit, ut et amissorum librorum ab iis ratio posceretur, quorum culpa perierant, et

---

17) Litt. Cancell. a. 1708 d. 8 Dec. Unde verba sequentia, quibus mentem suam de ratione Bibliothecam nostram sapienter augendi, explicat graviter, adponere lubet: *Swarmid måste observeras, at et Academißt Bibliothek förnämligast derföre är invättadt, at deruti må finnas de böcker som kunna wara de Studerande til nytta, jämwäl oå at sådane böcker icke fåfängt för Bibliothekets contante medel dit samlas, som hwar och en Professor och studerande sjelfwe kunna äga, utan fast mera bör efterträctas, at til Bibliotheket uphandlas de nödigaste och nyttigaste böcker som finnas kunna, och således deß ringa medel wäl och nyttigt användas til det som bäst kan behöfwas.*

18) Litt. Consistorii Acad. ad Illustr. Cancellarium d. 15 Dec. a. 1708 et Prot. ej. diei.

19) Recusare quidem hanc provinciam voluit Dn. Prof. *Nesselius*, sed postulante inprimis Bibliothecario adjuncta illi fuit. Prot. a. 1709 d. 8 et 24 Apr. et 28 Maji. Paratum se esse ad libros recipiendos qui rejicerentur, Dn. Prof. et Bibliothecarius *Hahn* dictitavit. Prot. a. 1708 d. 15 Dec., 1709 d. 8 et 13 Apr.

20) Mense Junio et Julio. Cfr. acta hujus recensionis, quae supersunt.

Bibliothecarius deinceps ad rationes accepti et expensi accuratas, ex tenore Constitutionum Academicarum quotannis reddendas, adigeretur <sup>21)</sup>). Curam igitur acriorem iniecit Senatus Acad. ut ad exitum haec res perduceretur, et rationes tandem Bibliothecarii diligentiores, a se examinatas probatasque <sup>22)</sup>), una cum indicibus librorum accuratis, ad Illustr. Dn. Cancellarium transmisit; simul docens, et quibus membris suis curam Bibliothecae percensendae dedisset, et quid ab illis praestitum: scil. totam Bibliothecam fuisse diligenter perlustratam, pretia librorum et emtorum et perditorum accuratius aestimata, inutiles et ineptos repudiatos, eorumque loco alios meliores receptos <sup>23)</sup>). Atque etiam qui huic negotio praefuerant, literis ad eundem datis, operae suae rationem reddebant <sup>24)</sup>). Docent haec acta,

<sup>21)</sup> Litt. Cancell. a. 1710 d. 15 Febr.

<sup>22)</sup> Cfr. Prot. Consist. Ac. a. 1710 d. 18 Apr., 25 et 30 Jun. Superest harum rationum exemplum authenticum; ex iis liquet, pecuniam aut libros constituti in Regiis literis valoris, Bibliothecae ab iis debitos qui muneribus Academicis admoti fuerunt, aut Doctoris titulo condecorati, ab anno usque 1693, satis accurate hac occasione fuisse praestitos; a Magistris, ab anno demum 1700; a novitiis, quod ante aetatem anni 1695 collectum fuit, omissum est; ab eo enim demum tempore, ad aetatem anni 1709 quod intercessit intervallum, hae rationes complectuntur. Quid interim quovis anno a novitiis redire debuerit, non demonstratur; tantum quid a quovis Rectore acceperit, Bibliothecarius certis documentis probat. Indicavimus supra, quam incerta lege haec pecunia initio exigeretur. Itaque jam summus rigor aut accuratio locum amplius habere non potuit. Suam tamen opem Senatus Acad. Bibliothecario ad eam pecuniam, quae in Bibliothecae usum collecta fuerat, nec sibi adhuc tradita, accipiendam, praestitit. Prot. a. 1710, d. 15 Apr.

<sup>23)</sup> Moram autem excusavit, quod quibus haec cura fuit commissa, aliis praeterea laboribus distinerentur. Litt. Senatus Acad. ad Cancell. a. 1710 d. 30 Jun.

<sup>24)</sup> Excusabant se, quod omnes inutiles libros severissime rejicere non potuissent, quia difficile fuit tam longo tempore perturbatam rem, uno conatu in ordinem debitum restituere; uti nec libros omnes, ante plures jam annos Bibliothecae traditos et usu deinde tritos, pro praesenti illorum conditione, Bibliothecario renitente, aestimare potuerunt. Omnia tamen haec iudicio Illustr.



rationesque adhuc conservatae, ex quo reditus hosce Bibliotheca habere coepit, ad aetatem anni 1709, adeoque se decem annis integris, in ejus usum incrementumque cessisse Thalers cupreos 3728 cum quadrante; tenuis sane summa, et qua magna quidem librorum copia comparari non potuit. Accessisse autem hac pecunia reperimus volumina circiter 190, (scil. 83 in fol., 72 in 4:o, 33 in 8:o et 2 in 12:o) praeter Globum coelestem et terrestrem, diametri unius prope pedis, et Radium Astronomicum <sup>25</sup>). Hic igitur jam nostrae Bibliothecae ex proprio fundo fructus fuit; duplo utique uberius futurus, si hi reditus accurate exacti administratique fuissent. Verum spinis initio ager obsitus erat. Tantum autem abfuit, ut hac opera vel Bibliothecarii vel delegatorum ad Bibliothecam in ordinem redigendam Professorum, Illustr. Cancellarius contentus adhuc esset, ut severiora etiam ad scopum suum attingendum adminicula, adhibenda esse censeret. Datis enim ad Rev. Episcopum et Pro-Cancellarium literis, non modo conquestus est se rationes a Bibliothecario obtinere quales poposcerat non potuisse, sed etiam significavit, se utrique Theologiae Professori, D:nis M. M. *Ingemundo Bröms* et *Hermanno Ross*, in mandatis dedisse, ut in auxilium adseito Vice-Bibliothecario M. *Johanne Pihlman*, Bibliothecam sollicito recenserent, eoque peracto opere,

---

Cancellarii subjiciebant. Inventarium novum se non confecisse narrabant, sed typis impressum secutos catalogum, cui adjectum accuratum supplementum; quae vero ad librum quemque annotanda essent, in Protocollo observasse, quod una ad Illustr. Cancellarium mittebant. Litt. Professorum D. *Petri Hielm*, *Isr. Nes-selii* et *Abr. Alani* ad Canc. d. 7 Julii a. 1710.

<sup>25</sup>) Qui jam, temporis injuria concontractus est, et Globi isti in usum Scholae Cathedralis nuper ex decreto Senatus Academicum venditi. Libri partim, ut diximus, a Rectoribus et Bibliothecario e suis traditi, partim ex defunctorum Professorum D. D. *Eliae Tillands* et *Magni Steen* relictis librariis emti; pauci a Bibliopolis Germanis, merces suas huc transvehentibus comparati. Opera quidem nonnulla, nova inprimis, egregia sunt; sed multa etiam levis pretii, et quibus facile Bibliotheca publica caruisset.

rationes a Bibliothecario accuratas, firmis munitas atque sufficientibus documentis (verificationer) exigent, et donec eas praestitisset, pecuniam Bibliothecae omnem, quae vel apud ipsum superesset, vel interim reditura foret, administrandam reciperent, cujus diligentes deinde ab illis reddendae essent rationes<sup>26)</sup>. Haec eadem etiam literis ad dictos Professores Fac. Theol. missis explicuit, illisque injunxit; ex quarum principio liquet-, ansam hujusmodi consilii ipsos Illustr. Cancellario dedisse, et de administratione Bibliothecae minus diligenti aliquid ad eum retulisse<sup>27)</sup>. Consultum sibi videri iisdem significavit literis, libros inutiles et ineptos, quibus Bibliotheca laboraret, omnes vendi, et pecunia inde collecta alios utiliores praestantioresque comparari; quo vero commercio non multum sane Bibliothecae res fuisset aucta. Ut jussui Illustr. Cancellarii satisfaceret, sub feriis aestivalibus opus aggredi, constituti censores decreverunt, literisque datis et exemplo adjuncto mandatorum Ill. Cancellarii, eam rem D:n Prof. et Bibliothecarium *Hahn*, infirma valetudine ruri in praedio suo detentum edocuerunt, ut et praestituto tempore, si per valetudinem liceret, ipse adesset rogantes (aut alium suo loco statureret), et rationes exactas accepti et expensi ab aestate a. 1709, quam primum conficeret, sibi que una cum pecunia collecta, ad novos quosdam libros maxime necessarios emendos insumenda, quantocius traderet<sup>28)</sup>; quibus, fidem suam multis contestatus et de inimicorum questus acerbitate, se obsecundaturum respondit<sup>29)</sup>. Verum hac aestate nihil tamen actum, morbo ut videtur D:ni *Hahn* impediante<sup>30)</sup>. In

<sup>26)</sup> Litt. Cancell. ad Episc. et Pro-Canc. D. D. *Joh. Gezelium*, datae Stockh. a. 1712 d. 30 Febr.

<sup>27)</sup> Ab anno enim 1709 Bibliothecarius nullas rursus rationes reddiderat; nec ulli libri accessisse videntur. Quare de hac re sine dubio conquesti sunt.

<sup>28)</sup> Litt. Facultatis Theol. ad D. Prof. et Bibl. *Hahn*, datae a. 1712, d. 29 Apr.

<sup>29)</sup> Supersunt hae literae, datae Maji a. 1712.

<sup>30)</sup> Acta mox indicanda. Cfr. Prot. Consist. Ac. a. 1722 d. 26 Maji.

fine anni tandem convenerunt delegati, in aedibus Bibliothecae, novumque et diligentius adornatum catalogum condere, atque proximo mense Januario libros recensendi operam inchoare, decreverunt; D:no quoque Bibliothecario, rationes requisitas se quamprimum prolaturum, promittente <sup>31)</sup>. Laudabili etiam industria eos opus fuisse aggressos, testis superest Catalogi novi, secundum classes et genera scientiarum disciplinarumque diligenter dispositi, principium, (Theologos et ad apparatus Theologicum pertinentes libros in Folio, partemque librorum hujus classis in 4:o complectens) quem absolvere hostilis vis in has oras ingruens, et musas nostras solum vertere initio sequentis cogens aestatis, prohibuit; quam causam fuisse laboris sui interrupti, in annotatione huic fragmento, die XV mensis Maji A. 1713 subscripta, laudati supra docent Professores. Itaque scopum suum propius attingere Illustr. Cancellarius non potuit; cujus postea severitatis aciem calamitas publica obtudit. Neque rationes alias superiorum annorum, quam quas supra memoravimus, obtinere potuit; quae pro annis quoque quatuor ante fugam Academicorum proximis, tardius redditae, et more sine dubio simili fuerunt <sup>32)</sup>; parumque ex his Bibliotheca lucrata est Academica <sup>33)</sup>. Majorem utique ἀποβεία

<sup>31)</sup> Acta hac occasione, d. 15 Dec. a. 1712 consignata.

<sup>32)</sup> Protoc. Cons. Acad. a. 1713 d. 13 Maji nullas adhuc tum rationes a Bibliothecario post a. 1709 fuisse redditas, indicat. Confectas tamen postea fuisse, et 500 aut potius 206 thaleros cupreos, quos se Bibliothecae debere agnovit, apud Quaestorem Acad. depositos, rursus vero Stockholmiae, sub fuga, auctoritate D:ni Prof. *Ingemundi Bröms*, Acad. tum temporis Rectoris, Bibliothecario traditos, narratur in Litt. Consist. Acad. ad Illustr. Cancellarium, datis a. 1723 d. 4 Apr. et a. 1724 d. 5 Febr. Cfr. Prot. a. 1723 d. 20 Nov. a. 1724 d. 10 Jan. et 25 Aug. Mortuo D:no Prof. et Bibl. *Hahn*, de hac pecunia repetenda consilia quidem fuisse capta, post reditum in Finlandiam Academicorum, reperimus; quo autem successu, nescimus: aes enim grande alienum reliquerat. L. L. c. c. et Litt. Cons. Acad. ad Direct. Dn. *Joh. Pihlman* d. 18 Julii a. 1723.

<sup>33)</sup> Nescio an quatuor nova volumina his annis coëmpta. Quaedam contra Bibliotheca amisit, pro quibus an pretium re-



Illustr. Cancellarii Bibliothecae nostrae et efficaciorē promittere opem videbatur, quam sic quidem re ipsa experta fuit. Jecit tamen fundamenta accuratioris in posterum administrationis, et majori forte cum fructu in futuris averruncandis malis, quam superiori vixque jam reparabili damno resarciendo, acrior statim defigenda fuisset cura. Id mirari maxime subit, Literarum Regiarum, quae fundamentum horum Bibliothecae redituum erant, diligentiorē observationem non fuisse inculcatam, aut de exigenda hac pecunia accuratius explicatiusque praeceptum, ut ita prima causa morbi tolleretur. Verum neque huic malo medela sine dubio fuisset defutura, nisi tristes Civitatis res Camoenis etiam nostris silentium et exilium interim indixissent.

## §. XII.

Ex Fiscī Academici pecunia, quæ ad alios semper usus impendebatur <sup>1)</sup>, nihil opis Bibliotheca aut hoc intervallo aut postea accepit. Privatae etiam liberalitatis pauca admodum eaque tenuia, experta fuit documenta. Nominandi tamen nobis sunt Pro-Tribunus Fortissimus atque Nobiliss. Dominus *Christophorus Horn* <sup>2)</sup>, Collegii Antiquitatum Asses-

---

stitutum sit, ignoro. Scripto monente vic. bibliothecario Dn. M. *Joh. Pihlman*, ut pecunia Bibliothecae debita, quae adhuc apud quosdam restaret, accurate exigeretur, decrevit Senatus Acad. exspectanda esse feliciora tempora. Prot. d. 10 Jun. a. 1713.

<sup>1)</sup> Vid. §. praeced. IX. cfr. Prot. d. 20 Nov. 1723 et d. 10 Jan. a. 1724.

<sup>2)</sup> Dono misit ille Bibliothecae nostrae V Volumina Russica in folio, ad Liturgiam ejus Ecclesiae omnia pertinentia, quae armis, inter reliqua hostium spolia, occupaverat. Adjecta illis haec epigrapha sua manu reperitur: Dieses Buch habe ich unterschriebener in der blutigen action und glorieusen victorie, so der Hochwohlgebohrne Herr General-Major und Vice-Gouverneur Graff *Adam Ludvig Lewenhaupt* wieder den Moscovitischen General Feld-Marschallen *Knees Boris Petrovitz Scheremetthoff* bey Gemauerthoff auf der gränze von Curland d. 16 Julii A:o 1705, tapfer und heldenmüthig besochten, erobert, welches zu Gottes und der Königl. Aboischen Academie Ehre, zum beständigen andenken schicken wollen.

sor Nobil. D:nus *Elias Brenner* <sup>3)</sup>, et libris sub hasta dividendis Stockholmiae Praefectus (*Bof-Auctionist*) Dn. *Richardus von der Hardt* <sup>4)</sup>, qui singuli de re nostra libraria atque adeo de musis nostris bene mereri, laudabiliter studuerunt. Vestigia tandem reperimus librorum intra Patriam impressorum, vi mandati Regii nostrae quoque Bibliothecae Academicae gratis transmissorum <sup>5)</sup>; ex quo concesso sibi jure, nostrum quidem Lyceum neque primis his annis neque postea unquam plenum percipere fructum potuit, maxima inde jactura mulctatum. Tarde etiam illud vindicatum esse invenio. Quamquam enim anno jam 1699 legebatur in Senatu Academico decretum Regium, quo Lundensi Academiae idem tributum fuit Privilegium quo Upsaliensem septennio ante ornatam fuisse indicavimus <sup>6)</sup>, nullum tamen initum consilium videtur, nostris quoque Camoenis illud asserendi, antequam Litteris Cancellariae Regiae anno 1707 die 16 Febr. datis, singulis 4 Regni Academiis expresse vindicaretur; cui itaque favori illam quam tetigimus, quinquennio post et semel tantum factam, exiguam sine dubio, accessionem, Bibliotheca nostra debuit.

---

*Christer Horn* von Liesniemi, Commandirte Obrist-Lieutenant von Obrist *Clodts* Regiment, in der Bataillon Gemaurthoff. Vid. etiam Prot. Cons. d. 5 Sept. a. 1705. et Litt. Senatus Ac. ad Nob. D: num *Horn* eod. d.

<sup>3)</sup> Misit opus suum *de Nummis Sveo-Gothicis*, et *Jos. Thun vitam Palmsköldii*. Prot. d. 11 Nov. 1708. Litt. Cons. ad Ass. Brenner dat. eod. d.

<sup>4)</sup> Auxit ille Bibliothecam nostram primum 17 voluminibus (quibus, nescio), Prot. Cons. d. 17 Jul. a. 1708 et Litt. Cons. Ac. ad eundem d. eod. atque deinde mox 6 aliis libris Theologicis in 4:o. Prot. ej. a. d. 9 Oct. et Litt. Cons. ad eund. eod. d. eo contra mactatus favore, prout ipse petiverat, ut exemplar singulorum librorum et dissertationum acciperet, quae ex Typographia Academica prodirent.

<sup>5)</sup> Prot. Consist. Ac. d. 10 Maji a. 1712, et Litt. Senat. Ac. ad Secretarium Reg. Nobiliss. Dn. *Palmsköld* datas ej. mensis die 22, quibus gratiae ei aguntur quod libros et tractatus varios domi impressos, vi edicti Regii Bibliothecae Acad. transmisisset.

<sup>6)</sup> Supra §. XI. p. 43.

## §. XIII.

Praefuit toto hoc tempore Bibliothecae Dn. Professor et Bibliothecarius *Hahn*, ita tamen ut maximam curae partem Amanuensibus, s. ut vocabantur Vic. Bibliothecariis, relinqueret. Hi autem hoc ordine hanc ornarunt spartam. Dn. *Thauvönio* successit Dn. M. *Wilhelmus Wargentin* <sup>1)</sup>, qui a. 1702 Sacellanus Ecclesiae Cathedralis Svecanae hic Aboae factus, successorem habuit Dn. M. *Gustavum Haks* <sup>2)</sup>. Cum per quinquennium hac esset functus cura, Quaestor hic Academiae a. 1708 constituitur <sup>3)</sup>; moxque suffecit in ejus locum Senatus Acad. Studiosum Dn. *Erlandum Ståhlfoth*; quod tamen cum minus placeret Illustr. Cancellario, ejus auctoritate cessit haec provincia Dn. M. *Johanni Pihlman* <sup>4)</sup>, cujus fidei curaeque concredita mansit, donec saevissimi belli fluctibus paulatim subsidere incipientibus, exules nostrae musae a. 1720 de reditu in Patriam, reparandisque rebus suis afflictis, cogitare coeperunt. Auctus interea etiam fuit, anno 1713, simul dignitate et munere Secretarii Academiae <sup>5)</sup>, et utramque spartam diligenter ornavit. Qui antea quotannis constitui solebant e Professoribus Inspectores Bibliothecae <sup>6)</sup>, minus jam necessarii, monente Bibliothecario, ha-

1) Prot. Consist. Ac. d. 2. Nov. a. 1698.

2) Prot. C. Ac. d. 18 Dec. 1702, et d. 14 Febr. a. 1703.

3) Prot. d. 15 Jun. a. 1708.

4) Cum et hic et D:nus *Pihlman* suam in hac provincia administranda operam simul offerrent, favit Senatus Ac. illi, qui itaque aggressus jam fuit muneris curam. D:nus autem *Pihlman* Notarius Stipendiariorum constitutus fuit. Re vero ad se evocata, quod fieri antea solitum non erat, Illustr. Cancellario convertere hunc ordinem placuit. Prot. Consist. Ac. a. 1708 d. 17 et 26 Julii, et 9 Octobr. Cfr. Litt. Cancellarii ad Senat. Ac. d. 13 et 22 Sept. a. 1708. Decrevit hac vice Senatus Ac. ut etiam Vic. Bibliothecarius fidejussores praestaret, nec antequam id promisisset, ad muneris curam admissus est D:nus *Pihlman*. Prot. Consist. a. 1709 d. 26 Apr. et 28 Maji. An revera praestiterit, nescio.

5) Prot. d. 20 Jan. a. 1713.

6) Cfr. supra §. III. et IV.



bebantur, cum ex Professorum ordine unus Bibliothecae ordinarie praeesset <sup>7)</sup>; adeoque hic mos cessavit. Catalogo non alio Bibliotheca toto hoc tempore instructa fuit, quam illo typis impresso ejus supra mentionem fecimus <sup>8)</sup>, non illo quidem commodissimo <sup>9)</sup>; adjectae huic sensim appendices, libros postea comparatos complectebantur. De appendice hac typis imprimenda, aliquoties quidem decretum fuisse reperio <sup>10)</sup>; sed mansit tamen res infecta. Quod idem accidit consilio postea capto, de toto Catalogo prelo rursus subjiciendo <sup>11)</sup>.

<sup>7)</sup> Prot. d. 22 Jun. a. 1699 et d. 26 Jun. a. 1700.

<sup>8)</sup> §, VII. p. 32.

<sup>9)</sup> Iisdem laborat incommodis, quae in primo reprehendimus typis evulgato Bibliothecae nostrae Catalogo, supra §. V. not 21); sub alienis interdum nominibus auctores adferuntur; quaedam Scripta quae cum aliis eodem compacta volumine reperiuntur, omissa plane sunt; ita ut non maxima diligentia in eo conficiendo fuerit adhibita.

<sup>10)</sup> Prot. a. 1700 d. 14 Julii, et a. 1701 d. 8 Jan. Incrementum Bibliothecae insignius non fuerat, quam ut una plaga (arf) novis libris enumerandis suffectura videretur.

<sup>11)</sup> Prot. a. 1708 d. 9 Oct. Hujusmodi interim, partim impressos et partim scriptos Catalogos, ita ut indicavimus confuse confectos, et Illustr. Cancellario (cfr. supra §. XI. p. 45 et 46) transmissos reperimus, et Cel. D.no *Eliae Obrecht*, Professori Skyttiano Upsaliensi, cui generalem in omnes Bibliothecas Regni Inspectionem Sacra Regia Majestas mandaverat (cfr. Nob. CELSI Reg. Bibliothecae Stockholmensis Historia §. XXXVIII.), et qui itaque ut diligentes hujus quoque Bibliothecae indices et Catalogi sibi mitterentur, literis ad Senatum Acad. die 6 Febr. a. 1695 datis, rogaverat. Prot. Cons. Ac. d. 12 Mart. et 4 Apr. a. 1695. Non tamen nullam de supellectili nostra libraria curatius administranda Senat. Ac. fovisse curam, docet Prot. Cons. d. 19 Jul. a. 1701, ubi decretum legitur, ut Bibliotheca perlustraretur, et Catalogus in meliorem ordinem redigeretur. Monuerat etjam antea Rev. D. Episcopus et Pro-Cancellarius, cum de confuso librorum Bibliothecae ordine Patres querentur, eos in singulis facultatibus debere suis numeris quosque notari, et ab ipso Bibliothecario in Catalogum referri. Prot. d. 13 Maji a. 1699. Sed effectus tamen nullus haec consilia consecutus est.

## §. XIV.

Hostilium indies armorum metu crescente, et periculo non jam e longinquo Musarum hanc sedem minitante, de Bibliotheca Academica in tutiorem transportanda locum, consilia agitari merito coepta sunt. Monuit scripto Senatium Ac. de hac re Dn. Vic. Bibliothecarius M. *Joh. Pihlman*, anno jam 1710, rogans, ut cum Actis supremi quod hic floret Dicasterii Regii transferendis navis publica esset concessa, Patres de simili favore Academiae quoque suppellectili librariae impetrando, apud Illustr. Cancellarium mature agerent, asseresque interim cistis conficiendis, in quibus libri conderentur, pararent. Probavit consilium ejus Senatus Ac. et literis ad Illustr. Cancellarium datis, nutum ejus exploravit <sup>1)</sup>; qui responso misso hanc curam Senatui Acad. injunxit, ut ipse statueret, in quam partem, sive in Ostrobotniam, sive in aliam regionem tutam, thesaurus Academiae literarius prudentissime esset asportandus; itaque Bibliothecarii ea res diligentiae et fidei fuit commissa <sup>2)</sup>. Neque tamen necesse fuit hoc exsequi consilium, antequam aestate anni 1713 nulla amplius spes superesset hostibus resistendi; quibus ad urbem appropinquantibus, a D:no *Pihlman*, praesente D:no Professore *Bröms*, secundum ordinem Catalogorum libri in cistis hunc in finem fabricatis repositi sunt, et navi Stockholmiæ salvi atque incolumes transvecti <sup>3)</sup>.

---

<sup>1)</sup> Protoc. Consist. Acad. a. 1710 d. 20 Jul. Litt. Consist. ad Cancell. eodem die datae.

<sup>2)</sup> Protoc. d. 28 Sept. a. 1710.

<sup>3)</sup> Prot. a. 1720 d. 18 Mart. et 26 Maji. Falso itaque rumore deceptus est Maxime Reverend. D:nus Dr. NORDBERG, qui in *Historia sua Regis Caroli XII. partis post. Cap. 17. §. 86.* praedae hostibus cessisse Bibliothecam nostram narrat, et Petropolim abductam. Det förnämsta bytet, inquit, som de (Russi) gjorde, var Academiens Bibliothek, hwiffet fördes til Petersborg. Atque in eodem errore audivi alios etiam esse nonnullos. Certum autem est, ne unicum quidem librum Bibliothecae Publicae, in hostium venisse potestatem. Observat etiam Nob. ARCKENHOLTZ *Mem. de la Reine Christine* T. I. p. 309 not. \*.

Hic in quadam aedium urbis publicarum (Stads-Huset) depositi, dispersis mox Academiae membris, cistis suis inclusi per integros annos septem, intacti manserunt, humiditate loci, situque, ingens interea passi damnum<sup>4)</sup>. Paucissimi Professorum, neque illi perpetuo, Stockholmiae versari poterunt, adeoque huic malo medelam adhibere, defectu imprimis aedis commodioris in qua collocari libri et exsiccari possent: praeterea adversis victi rebus, et exules aegerrime ipsi vitae subsidia invenientes, animum despondebant; publica Academiae res luctu et squalore obtectata jacuit.

### §. XV.

Diuturno et tristissimo bello paullatim desaevente, cum pacis spe animus musis quoque nostris rediit, et spes patrios aliquando lares revisendi. Congregari itaque rursus Academici nostri, dispersi hactenus, et rei suae publicae agitare curas coeperunt. Convenientibus Stockholmiae, initio anni 1720, Professoribus nonnullis, mox primis illorum consilii Bibliothecae conditio materiem praebuit. Praefectus ei ante paucos dies fuerat D:nus M. *Andreas Pryss*, poëseos Professor et Senior Facultatis Philosophicae<sup>1)</sup>, loco demortui Professoris et Bibliothecarii *Hahn*. Novo huic Bibliothecario, cujus in gazam nostram librariam eximia sunt merita, auxilio vice-Bibliothecarius sive Amanuensis constitutus est Studiosus Dn. *Carolus Arosius*<sup>2)</sup>, Dn. *Pihlman*, cum supplendus esset ordo Professorum, ad Professionem Historiarum et Philo-

4) Prot. d. 18 Mart. a. 1720.

1) Diplomate regio, dato die 7 Jan. a. 1720, quo die VI etiam novi Professores constituebantur, in locum eorum, qui tempore fugae aut obierant, aut ad musas Upsalienses etc. transiverant. Respicere scil. rursus coepit Regia Majestas camoenas nostras afflictas et exules, belli finiendi spe propius relucente. Prot. Consist. Acad. a. 1720. d. 26 Jan.

2) Quia praesens Stockholmiae esse potuit. Prot. d. 17 Mart. a. 1720; cfr. Litt. Consist. Ac. ad Illustr. Cancell. die eod. datas,



sophiae Practicae paullo ante promoti<sup>3)</sup>. Hi ut situ et humiditate infestatae subvenire possent Bibliothecae, loco erat aptiore et spatiosiore opus, ubi libero exponi aëri atque explicari libri possent; qui jacuerant haecenus, uti indicavimus, cistis suis inclusi, in loco humili et solo vicino, aedis publicae, in suburbio australi sitae. Ad necessarias itaque pro Bibliotheca conservanda impensas, fundis omnibus atque redditibus propriis spoliati, a Regia Majestate per Illustr. suum favētissimumque Cancellarium (Dn. Senatorem Regni, Comitem *Carolus Gyllenstjerna*) pecuniam rogabant Academici; summamque, quam petierant, 600 Thalerorum cupreor. impetrarunt<sup>4)</sup>. Itaque in borealis suburbii parte (på Sådugårdslandet) aedes conductae sunt commodiores, in maris vicinia, ut et ab incendiis essent tutiores, et ad Bibliothecam in Fenniam aliquando transportandam aptius sitae; in has libri aestate ejusdem anni translati sunt, et in repositoriis hunc in finem confectis collocati; situ absterso, madidisque voluminibus exsiccatis. Demandata quidem fuit D: no *Joh. Thorwöste*, Phys. Professori nuper creato, et Stockholmiae constanter versanti, provincia Bibliothecam accurate, una cum Praefectis ejus percensendi; illo autem hunc refugiente laborem, soli hi libros secundum Catalogum typis impressum recensuerunt, et quod index nullus jam haberi posset voluminum quae postea accesserant, novum condere aggressi, quotquot reperierunt, in illo typis vulgato non observata, in hunc retulerunt<sup>5)</sup>. Atque hoc loco res erant Bibliothecae

<sup>3)</sup> Prot. d. 17 Mart. a. 1720. Non multo autem post pauperibus et exulibus nostris musis valedicens, ad aliam proficuumque magis stationem migravit, Director factus instituti navibus per brevia et syrtes ducendis Stockholmiae dicati, (Directeur mid Söts-Contoret). Prot. a. 1722 d. 16 Apr. Litt. Cons. Ac. ad Ill. Cancell. d. 5 Feb. a. 1724.

<sup>4)</sup> Prot. d. 18 Mart. a. 1720 et 20 Nov. a. 1723. Litt. Consist. Ac. ad Ill. Cancell. d. 22 Sept. a. 1721. Acta recens. Bibliothecae a. 1726 factae.

<sup>5)</sup> Acta Recens. Bibl. a. 1726. Quos in veteri typisque impresso Catalogo memoratos libros, ob confusionem hujus Catalogi (supra §. XIII. not. <sup>9)</sup>) reperire nescientes, deperditos pri-

nostrae, donec aestate anni 1722 Aboam transveheretur <sup>6)</sup>; ubi in Templo, ut videtur, urbis Cathedrali, cistis recondita suis asservabatur, donec aedes Bibliothecae, ab hostibus male habita, repararetur <sup>7)</sup>; in quam tandem, post longum et triste exilium, nescio utrum eodem aut sequente demum anno illata, et in pristinum diligenter fuit redacta ordinem. Damna interea haud levia fuisse passam, ex dictis facile colligitur. Nihil de eo dicam, quod per integrum novennium nullis neque redivisibus neque incrementis aucta fuerat; plurimi praeterea libri graviter laesi, alii penitus corrupti fuerunt <sup>8)</sup>; quod fatum experti etiam sunt Globi isti insignes, quibus Augustae fundatricis liberalitas Lycei nostri librarias auxit opes <sup>9)</sup>.

## § XVI.

Ut igitur haec repararentur damna, de novis fractae calamitatibus rei suae librariae lucrandis incrementis, non minus sollicitam, quam de veteri suo conservando penu, Patres Academici curam injecerunt. Cum itaque Pernavien-  
sis Academia eodem ac nostra percussa fuisset procella, nec

---

mum putabant, eos (exceptis qui Aboae jam antea perierant) D:nus *Pihlman* adesse, sensim demonstravit, cui ob alias muneris occupationes praesenti esse constanter, non licuit. Acta citt. Rationes quoque acceptae et expensae, posterioribus annis quibus D:nus *Hahn* Bibliothecae praefuerat, pecuniae, Senatui idem Academico exhibuit, et quae ad hanc rem illustrandam porro pertinere, communicavit. Prot. a. 1724 d. 10 Jan. Litt. Consist. Ac. ad Illustr. Cancell. a. 1724 d. 5 Febr.

<sup>6)</sup> Navem publicam (en Fron-Galio) ad Bibliothecam transvehendam, curante Illustr. suo Cancellario, Academici, ut petiverant, acceperunt. Vide Prot. d. 16 Apr. a. 1722. Litt. Consist. ad Ill. Cancell. eod. die datas, et Litt. commeatus (Paß) ab Illustr. Cancellario d. 3 Jul. ej. anni datas D:no Professori et Bibl. *Pryss* atque D:no Vic. Bibl. *Arosio* (qui eadem navi transvecti sunt), inter Acta Consist. servatas.

<sup>7)</sup> Prot. a. 1722 d. 16 Apr.

<sup>8)</sup> Acta Recens. Bibliothecae a. 1726. Cfr. supra §. VII. p. 31 not. (11).

<sup>9)</sup> Cfr. supra §. V. p. 23. not. (15).

ullo jam restitutionis spe teneretur, de suppellectili ejus libraria, Holmiam itidem transvecta, in solatium perpessarum aerumnarum obtinenda, suasu Reverend. Episcopi et Pro-Cancellarii D. D. *Hermani Witte*, qui et suam in hac re illis pollicitus est operam, apud Illustr. suum Cancellarium egerunt; eo has aequiore jure sibi concessum iri sperantes similis naufragii tabulas, quod Regium jam antea promissum Monarchae gl. memoriae *Caroli XI.* acceperant, non adhuc impletum, de Bibliothecae nostrae inopia elementer sublevanda (cfr. supra §. X. p. 40. not. <sup>9</sup>). Retulit Illustr. Cancellarius rem ad S. Regiam Majestatem; sed repulsam tulit, hac addita ratione, quod cum Regia Stockholmiensi Bibliotheca Pernavienses libros conjungere Regiae Majestati placuisset <sup>1</sup>). In memoriam sibi aliud deinde decretum Academici nostri revocabant, in musarum nostrarum favorem ad eodem Rege gl. m. factum, (supra itidem a nobis memoratum, §. X. p. 39, not. <sup>6</sup>), ut libris duplis tripisque Bibliothecae Academicæ Upsaliensis, nostra sublevaretur res libraria; itaque et Rev. Episcopus atque Pro-Cancellarius, Upsaliam proficiscens de hac re se diligenter acturum spondit, et Illustr. Cancellarius, votis Senatus Acad. annuens, cum Upsaliensium camoenarum Maecenate Illustr. D:o Comite et R. Senatore *Gustavo Cronhjelm*, nostrorum Patrum petitionem literasque communicavit; sed nullus alius erat horum moliminum fructus, quod facile praevideri poterat, quam ut Upsalienses ignotum sibi esse Regium quo nostri niterentur decretum responderent, et duplos suos triplosque libros partim esse jam divenditos, partim in usus Bibliothecae suae necessarios, propediem dividendos <sup>2</sup>). De libris

<sup>1</sup>) Prot. Consist. Ac. a. 1721 d. 22 Sept. Litt. Consist. ad Illustr. Cancellar. eod. die exaratae, et responsum ejus d. 27 Oct. ej. anni datum. Item Decretum Regium d. 16 Oct. ej. anni factum. Cfr. Nob. *CELSIUS* l. c. §. XLIV. p. 187 seqq. ubi de pretio quoque et conditione Pernaviensis hujus Bibliothecae edocemur; quam anno jam 1717 Regiae Stockholmiensi adjunctam fuisse ibidem ostendit.

<sup>2</sup>) Prot. Consist. d. 22 Sept. a. 1721. Litt. Consist. ad



tandem duplis Bibliothecae Regiae Stockholmiensis obtinendis, omnes in penu nostro librario exiguo augendo industriae nervos intendentes, Patres nostri, diu intermissum rursus suscitabant consilium; sed aequè infelici successu<sup>3)</sup>. Impressorum intra patriam librorum, quosdam tamen Bibliotheca accepit nostra, licet non sine labore<sup>4)</sup>; sed exiguis

---

Cancell. d. 16 Octob. a. 1721. Litt. Comitis et Senat. Reg. D:ni *Cronhjelm* ad Consist. Acad. Aboense d. 25 Nov. a. 1721 dat. Quod in dubium vocare viderentur Upsalienses fidem Litterar. Regiar. saepe laudatarum, quas nostri urgebant, de originali earum investigando sermo quidem fuit injectus; sed iis vel maxime repertis, parum inde emolumenti erat sperandum. Cfr. Prot. a. 1721 d. 12 Oct, et 1724 d. 18 Febr.

<sup>3)</sup> Quamvis acriter hoc consilium urgerent, D:o Episcopo et Pro-Cancellario etiam studia eorum excitante. Prot. d. 1 Dec. a. 1726. Litt. Senat. Acad. ad Episc. D. D. *Witte* dat. die 26 Oct. ej. anni, quo die etiam ad Dn. Bibliothecarium Reg. *Henr. Brenner* de adjuvando eodem consilio scripserunt. Cfr. Prot. d. 24 Jan. a. 1727. Ad Illustr. quoque Cancellarium similiter litteras de eadem re miserant d. 18 Apr. a. 1728, qui rescripsit d. 3 Maji ej. a. Regiam Cancellariam decrevisse libros duplos Bibliothecae Regiae esse auctione vendendos, ut ea pecunia alii possent comparari, eidem Thesauro librario augendo utiles. Tamen a. 1731 de eadem re apud S. Regiam Majestatem agebant rursus, et postulatis suis ad Comitiam ejusd. anni hoc petium adnectebant; sed decreto Regio, die 15 Maji a. 1732 dato, repulsam ferentes, dimittere hanc tandem spem sunt coacti.

<sup>4)</sup> De historia et antiquitatibus Patriae, sub finem superioris seculi, publica partim auctoritate et impensis, edita opera, quotquot distracta adhuc non erant, nonnullosque alios minoris momenti libros, Illustr. Cancellario Regiaque Cancellaria favente, et operam quoque conferente Nobil. tum Archivi Regii Secretario Dn. *Joh. Fred. von Schantz*, accepit tandem a. 1725 Bibliotheca Academica. Prot. d. 20 Dec. a. 1725. Cfr. Litt. Ill. Cancell. d. 10 Dec. ej. a. Fugae tempore nihil hujusmodi opis accessit afflictæ Academiae. De hoc jure suo consequendo, et in postulatis ad Comitiam anni 1723, et in litteris ad Ill. Cancellarium datis a. 1724, d. 11 Mart. Academici supplicaverant. Rescripsit hic quidem (d. 11 Maji), Regiam Cancellariam Typographos officii sui admonuisse; sed nihil effectum, antequam novis literis Academici, sequentis anni d. 19 Oct. rursus causam suam Ill. Cancellario commendarent. De Typographorum quorundam con-

his non multum crevit subsidiis. Parcissima fuisse in rem nostram librariam privata quoque reperitur liberalitas, toto quo D:nus *Pryss* Bibliothecae praefuit triginta prope annorum intervallo; praeter immortalia enim et Musis Auraicis desideratissima nomina Illustrissimorum Comitum et Regni Senatorum D:nor. *Claudii Ekeblad* et *Caroli Gustavi Tessin*, quorum ille Rectoratu decedens elegantissima *Taciti* operum editione <sup>5)</sup>, hic Cancellariatus curam auspicans nitidissimorum Auctorum Classicorum Latinorum collectione <sup>6)</sup> gazam nostram librariam ditavit, tria tantum adferre valeo, Celeberrimi D:ni D. *Hermanni Dieterici Spöring* <sup>7)</sup>, Medicinae Professoris ad Regium hoc Lyceum meritissimi, et Adm. atque Max. Reverendorum D:ni M. *Gregorii Arctopolitani* <sup>8)</sup>

tumacia et inertia querebatur Dn. *von Schantz* in responso suo dat. d. 26 Nov. ad Regiae Cancellariae Litt. dat. d. ej. mens. 19. Deinde diu nihil rursus, aut raro certe accepit harum rerum Bibliotheca; ut ex Litt. Consist. ad Ill. Canc. d. 27 Jan. a. 1728, postulatis ad Comitia a. 1731, Litt. Cons. ad Ill. Canc. d. 23 Mart. 1738 et d. 10 Dec. 1739 patet. Anno vero 1741, adjuvante Nob. D:no *And. Ant. von Stjernman*, Archivi Regii Secretario, Cancellaria Regia monente, aliquid accessit tandem nobis rursus, Prott. 16 Maji a. 1740, et d. 7 Jul. a. 1741. Itaque penuria laborat Bibliotheca scriptorum quae superioribus annis intra patriam prela subierant.

<sup>5)</sup> Venetiis 1707 et 1708, voll. IV. 4:o (in usum Delphini). Sua manu in margine testatus est. Cfr. Protoc. d. 18 Jun. a. 1726.

<sup>6)</sup> *Phaedri Fab.* Lutetiae Paris. 1742, *Lucretius* ib. 1744, *Virgilius* ib. 1745, voll. 3, *Horatius* ib. 1746, omnes in 12:o sumptibus Coustelierii; *Salustius* ib. 1744, *Cornelius Nepos* ib. 1745, sumptibus Mich. Steph. David. *Catullus, Tibullus et Propertius* Lugd. Bat. 1743 eadem omnes forma et nitore. Cfr. Prot. a. 1746, d. 16 Jul. et Litt. Ill. hujus nostri Cancell. dat. d. 27 Jun. ej. anni.

<sup>7)</sup> Intulit Bibliothecae MS:tam suam Descriptionem Metallorum Hercynicorum (*Beskrifning öfver de Hartziffe Bergwårken*) Fol. Prot. d. 10 Dec. a. 1739.

<sup>8)</sup> Bibliothecae dono dedit editiones duas Bibliorum Hebraicorum *Eliae Hutteri* cum Cubo Alphabet. Hamb. 1587 et 1596 fol. (quorum prius exemplar, ab editore dono datum Ce-

Praepositi et Pastoris Lojoënsis atque D:ni D. *Georgii Nordberg* <sup>9)</sup> Pastoris Eccl. St. Clarae Stockholmiensis, quibus gratam ob auctam suam supellectilem Bibliotheca nostra debet memoriam.

### § XVII.

Quod post relictos domesticos lares et perpessa sub exilio suo tot incommoda, Bibliothecae conditio publico nomine accurate adhuc non fuisset examinata, necessarium Patribus visum est a. 1726, Rectore tum Academiae Illustri Comite D:no *Claudio Ekeblad*, (Senatore deinde Regis Regnique, et Academiae nostrae Cancellario) hunc tandem laborem suscipere. Datum itaque fuit hoc negotium D:nis M. M. *Algotho Scarin*, Hist. et Phil. Practicae, atque *Nicolao Hasselbom*, Matheseos Professoribus <sup>1)</sup>, qui diligenter illud perfecterunt; ut ipsa Acta, quae supersunt, demonstrant. Patuit tunc, quam gravia incommoda ex superioris temporis calamitate librarium quoque nostrum penu sensisset, quibus medelam adhibendam, laceris et affectis voluminibus reparandis, ostenderunt; nonnullis quae omne respuerent auxilium, ex Bibliotheca rejectis. Remisit hac occasione D:nus *Arosius*, qui munere et stipendio Adjuncti Facultatis Philos. nuper fuerat auctus <sup>2)</sup>, (quod utramque ei concedere simul nollet Illustr. Cancellarius Provinciam), eam curarum Bibliothecae partem quae Amanuensi incumberet, D:no *Johanni Ross*, filio Archi-Praepositi et Primarii Theol. Professoris D:ni M. *Hermannii Ross* <sup>3)</sup>; quem Consistorii quoque Aca-

lebrī Theologo D. Chytraeo olim fuerat; supr. § VII p. 32 not. <sup>13)</sup>, ubi hoc exemplar cum altero ejusd. editionis, per errorem confusum fuit) et *Joh. Claji* Evangelia annivers. quadrilingua Lips. 1593 8:o (Prot. a. 1740, d. 16 Maji) cum annot. margini Biblior. edit. posterioris adscripta.

<sup>9)</sup> Historiae suae de rebus gestis R. *Caroli XII* exemplar nitide compactum misit. Prot. a. 1741, d. 15 Jul.

<sup>1)</sup> Cfr. Prot. d. 18 Maji a. 1726.

<sup>2)</sup> Acta Recens. Bibl. a. 1726. Prot. ej a. d. 5 Jan. et 26 Febr. Litt. Cancell. d. 11 Febr. a. 1726.

<sup>3)</sup> Prot. et Litt. citt.



demici Amanuensem s. Vic. Secretarium anno sequente Patres constituerunt <sup>4)</sup>. Sed vitam haud multo post cum morte commutavit. Successorem itaque in cura Bibliothecae nactus est Dn. *Andream Pryss*, filium Professoris et Bibliothecarii natu maximum, <sup>5)</sup> qui ultra viginti annos in tenui hac statione mansit. Renovatus interim fuit Patris et filii conjuncta cura operaque vetustus librorum Bibliothecae Catalogus, et Appendices omnes in unum tandem hunc universalem fusae Indicem <sup>6)</sup>; qui paullo ante mortem Bibliothecarii repetita industria perfectus absolutusque, quantae eo decedente fuerint Bibliothecae opes, quibusque sub ejus administratione accessionibus locupletatae, liquido demonstrat <sup>7)</sup>. Praeter hunc Catalogum, alphabetico ordine libros secundum quatuor sic dictas Facultates (Historicis tamen peculiari etiam assignata classe) exhibentem, neque a vitiis superiorum typisque impressorum immunem Indicem <sup>8)</sup>, alium etiam realem, ad imitationem Catalogi *Bibliothecae Thuanae* <sup>9)</sup>, monente et sociam quoque operam offerente D: no Professore *Scarin*, Senatu Academico probante, ultimis vitae annis Dn. Prof. et Bibliothecarius concinnare coepit; quem tamen absolvere, morte senem intercipiente, prohibitus fuit <sup>10)</sup>. Accurate de caetero habitam Bibliothecam, et administratam diligenter, hoc intervallo, acta confirmant <sup>11)</sup>.

<sup>4)</sup> Prot. d. 27 Sept. a. 1727.

<sup>5)</sup> Prot. d. 16 Dec. a. 1727.

<sup>6)</sup> Prot. d. 17 Sept. et 18 Oct. a. 1746. Cfr. Acta Recens. Bibl. a. 1748; de quibus infra.

<sup>7)</sup> Collatus scil. cum vetusto catalogo, et indice librorum quos administrante D: no *Hahn*, Bibliothecae accessisse, ad a. 1709, rationes ejus demonstrant. Inter annos enim 1709 et 1720 non multum crevisse Bibliothecam certum est, adeo ut pauci libri qui accesserunt, non multum turbent calculos. Cfr. Acta Recens. a. 1748.

<sup>8)</sup> Supra § XIII p. 55, not. <sup>9)</sup>.

<sup>9)</sup> Ab *Ismaële Bullialdo* digesti. Vid. MORHOFF *Polyhist. Lîter.* T. I. Lib. I, c. 5, § 11.

<sup>10)</sup> Prot. a. 1744, d. 12 Mart. et a. 1748 d. 17 Mart. Acta recensionis Bibliothecae a. 1748 factae. Prot. a. 1748 d. 15 Dec.

<sup>11)</sup> Vide Acta citt.

## § XVIII.

Ab omni spe dejecti Patres nostri Academici, librorum insigniori accessione Bibliothecae suae promptius locupletandæ, ad fundum proprium, quamvis pauperem, excolendum, reditusque ejus qua possent diligentia augendos, animum appulerunt. Suadente igitur Bibliothecario, in postulatis Academiae ad Comitata Regni anno 1723 missis, inter alia petebant, ut privilegium exclusivum imprimendorum librorum Fennicorum, Academiae concederetur <sup>1)</sup>, inde proventuro lucro rebus Bibliothecae angustis consulturi <sup>2)</sup>. Verum opposuit se huic consilio Rev. Episcopus, eo ipse privilegio ornari, ut antecessor in munere suus, optans, et in partes suas Ill. quoque Cancellarium pertraxit <sup>3)</sup>. Usus autem ea praecipue est ratione, quod sumtibus in hanc rem necessariis neque Bibliothecae neque Academiae opes sufficienturae essent sustinendis; unde majorem hinc jacturam esse rei Academicæ metuendam quam fructum sperandum contendit <sup>4)</sup>. Et quamvis in proposito persisterent suo Academicorum plurimi, hujusque incommodi evitandi facilem esse rationem existimarent <sup>5)</sup>, vicit tamen Dn. Episcopus <sup>6)</sup>;

<sup>1)</sup> Quale antea obtinuerat Rev. Episcopus et Pro-Canc. D. D. *Joh. Gezelius* et quo tum fuit munitus Typographus Dn. *Merckell*; cujus vero opera, quod linguae ignarus vitiose admodum libros omnes ederet, minime contenti nostrates erant. Exspiraturum autem brevi erat ejus privilegium, Cfr. Litt. Ill. Cancell. ad Consist. Ac. d. 18 Mart. a. 1723 et Litt. Consist. Ac. ad Episc. et Pro-C. D. D. *Witte* d. 26 Mart. a. 1723.

<sup>2)</sup> Ipsa haec postulata, inter Acta hujus anni. Cfr. Prot. Consist. Ac. a. 1723, die 16 Febr.

<sup>3)</sup> Prot. Consist. Ac. dat. d. 26 et 30 Mart. Litt. Ill. Cancellarii ad Consist. Ac. dat. d. 18 Mart. a. 1723.

<sup>4)</sup> L. l. c. c.

<sup>5)</sup> Prot. Consist. d. 30 Mart. Litt. Consist. ad Ill. Canc. et ad Rev. Episc. d. 26 Mart. a. 1723. Litt. Cons. ad Dn. Prof. *Schulten* Stockholmiæ versantem, d. 4 Apr. ej. a.

<sup>6)</sup> Privilegio hoc, (ut primum jus D:ni *Merckell* extinctum foret utendo) auctus fuit, die 9 Jul. a. 1723.

<sup>7)</sup> Cfr. Litt. Senatus Ac. ad Dn. Professor *Schulten* citt.

neque constat mihi an postulatam hoc eorum, ad Regiam Majestatem Ordinesve Regni relatum omnino fuerit<sup>7)</sup>. Cessit autem postea, paullo ante mortem, sponte hoc privilegium Acad. nostrae Rev. idem Episc., relicta etiam ejus vidua hanc cessionem approbante; quapropter confirmationem Academici Sacrae Regiae Majestatis petierunt<sup>8)</sup>. Denegata vero illis fuit<sup>9)</sup>. Ex postea autem clementissime Academiae concessio privilegio, Typographiaeque Aboensi collato, Catecheses et Cantionum Sacrarum publicarum libros Fennicos imprimendi<sup>10)</sup>, quamquam res Academica in genere fructum cepit, Bibliotheca tamen nihil nacta est emolumenti<sup>11)</sup>. Sed haec licet prima spe Bibliotheca excideret, non signore tamen de novis illi subsidiis quaerendis Academici laborare pergebant cura. Ad sequentia enim Comitata anni 1727 missis postulatam, a Bibliothecario rursus consignatis, petebant supplices, ut et alter Praefectus redditibus Academiae exigendis (Fogden), cui ex Fisco Academico, perpetua Bibliothecae jactura hactenus prospicere necessum fuerat (cfr. supra § IX p. 37 not. 5), stipendio augetur publico et tenuis sane illa pecunia, quae ex censu capitacionis (Manta[s]-penningar) quotannis rediret, ab hominibus jurisdictioni Academiae subjectis, Bibliothecae nostrae sublevandae concederetur<sup>12)</sup>. Annuere posteriori petitionis parti placuit Regiae Majestati Regnique Ordinibus, Illustr. Academiae nostrae Cancellario, Comite et Regis Regnique Sena-

---

quibus rogatur, ut si desideria Academiae Rev. Episcopus proferre nollet, is eadem Academicorum nomine produceret.

<sup>8)</sup> Litt. Consist. Ac. ad Ill. Cancell. a. 1728 d. 28 Jun.

<sup>9)</sup> Decreto Senatus Regni d. 1 Oct. a. 1728, Rege Augustissimo tum absente, facto; ea adducta ratione, quod Gl. M. Rex *Carolus XII* d. jam 15 Maji a. 1715 statuisset nulla concedenda esse privilegia excl. imprimendorum Bibliorum, librorum Sacrarum Cantionum, publicarum etc.

<sup>10)</sup> Dato d. 20 Nov. a. 1741.

<sup>11)</sup> Quamquam, ut in Typographiam hactenus facti sumtus Bibliothecae commode impendi possent, inter rationes hujus adepti privilegii, adfertur.

<sup>12)</sup> Ipsa postulata inter Acta hujus anni.



tore D:no *Arvido Horn* efficaciter rem promovente; unde 100 circiter Thaleror. Argenteor. annuus reditus Bibliothecae nostrae adfluxit <sup>13</sup>). Cum praeterea in lege recentissima Gymnasiis Scholisque Patriae regendis anno 1724 d. 4 Feb. lata, (*Rha Gymnasii- odj Schole=Ordnungen*) ejusque Cap. V § 3 certi reditus a Clero Dioecesano conferendi, augendis Bibliothecis Gymnasticis essent assignati <sup>14</sup>), aequum visum fuit Academicis, ut cum nullum in Aboensi Dioecesi exstet Gymnasium, in commodum Bibliothecae Academicae haec pecunia insumeretur; Regiaque hoc etiam consilium eorum auctoritate clementer fuit confirmatum <sup>15</sup>). Quin iisdem quoque Regiis Literis, (die 6 Febr. anni 1730 datis) mandatum fuit, ut 6 illi oboli monetae argent. (6 öre S:mt.), quos inscribendum Scholae Aboënsi Cathedrali quemque pendere puerum oportet <sup>16</sup>), in usum Bibliothecae nostrae cederent; quod jus cum vindicare Bibliothecarius Senatusque Acad. neglexissent, reprehensionem Regiae Camerae Revisionis non effugerunt <sup>17</sup>). Tenues hos reditus, Scholae quidem Cathedrali, ut maxime ipsi necessarios, Rectores ejus asserere conati sunt, Consistorio quoque Ec-

<sup>13</sup>) Regium Decretum d. 17 Aug. a. 1727 datum. Litt. Consist. Ac. ad. Illustr. Cancellar. d. 18 Apr. a. 1728. Cfr. postul. citt.

<sup>14</sup>) Ad munera videlicet promoti. Bibliothecae pendere debent Episcopi 12, Archi-Praepositi 4, Praepositi 3, Rectores Scholarum, Lectores, Pastores et paroecciarum et Legionum 2, Sacellani majorum Ecclesiarum 1 cum dimidio, minorum 1 Thaler. monetae argent. Ex libraria praeterea cujusque Praepositi et Pastoris demortui supellectili. mitti debet bonus liber; et sacris initiatus ordinibus quisque augere Bibliothecam debet 1 Thalero mon. arg.

<sup>15</sup>) Prott. Consist. Ac. a. 1728 d. 11 Maji, et a. 1729 d. 3 Nov. Litt. Consist. Ac. ad Ill. Cancell. datae d. 22 Nov. a. 1729. Decretum Regium dat. die 6 Febr. a. 1730.

<sup>16</sup>) Ex praescripto Novae Ordinantiae Gymnasticae et Scholasticae (*Rha Gymn. odj Schole=Ordn.*) Cap. V § 3.

<sup>17</sup>) Prott. Consist. Ac. d. 8 et 15 Nov. a. 1740. Litt. Regiae Camerae Revisionis ej. a. d. 6 Oct. datae.

clesiastico illis favente<sup>18)</sup>; sed nihil mutare Sacrae Regiae placuit Majestati<sup>19)</sup>. Ex parvis his rivulis, (et quos supra § XI p. 42, indicavimus), omnes hactenus stati Bibliothecae nostrae reditus confluerunt (de quibus infra accuratius et ex instituto), ex summa sua inopia et paupertate, rei nostrae Academicae literisque molestissima, nisi efficaciore liberalioreque publica suffulciatur ope, haud facile elucaturae.

### § XIX.

Ne autem his etiam exiguis Bibliotheca, ut superioribus annis, defraudaretur redditibus, laudabili et Senatus Academici et Bibliothecarii prospectum est diligentia. Deceverunt itaque Academici, ut nemo posthac musis nostris initiandus, plena quam Literae praescribunt Regiae, pecuniae summa Bibliothecae pendenda, quod hactenus saepe factum fuerat, exsolveretur<sup>1)</sup>. Monente etiam Rev. Episcopo et Pro-Cancellario<sup>2)</sup>, jussit Ill. Cancellarius cistam

<sup>18)</sup> Prott. Consist. A. a. 1740 d. 11 Dec. a. 1741 d. 10 Febr. 4 Apr. et 19 Maji. Litt. Ill. Cancell. ad Consist. Acad. d. 14 Nov. a. 1755.

<sup>19)</sup> Litt. Reg. ad Cons. Eccl. Ab. d. 6 Apr. a. 1756, et Litt. Ill. Cancell. ad Consist. Ac. d. 4 Jun. ej. a.

<sup>1)</sup> Prot. Consist. Ac. a. 1726 d. 16 Jun.

<sup>2)</sup> D. D. *Herm. Witte*, qui ob motam sibi de privilegio imprimendorum librorum Fennicorum litem, minus placido hoc fecisse in Senatum Acad. et imprimis Dn. Bibliothecarium, animo videtur. Itaque defendit fidem administrationis suae, post reditum musarum nostrarum in Fenniam, Senatus Ac. egregie. Tres claves cistae, in qua asservanda esset pecunia Bibliothecae, fieri Dn. Episcopus voluit, earumque duas aut sibi aut duobus e numero Professorum tradi, et pecuniam omnem mox, ut reditura esset, in illam inferendam; sed Rectori merito hanc curam injunxit Ill. Cancellarius. Hoc autem ex hac lite commodi ortum est, quod nulla posthac talis metuenda fuit, qualis circa initium hujus seculi, licentia, cujus omnis etiam suspicio periculi sublata. Cfr. Litt. Ill. Cancell. a. 1723 d. 27 Maji, cui adjecta ipsa erant monita D:ni Episcopi. Prott. d. 11 Jun. et 11 Nov. ej. a. Litt. Ill. Cancell. d. 11 Dec. a. 1724. Litt. Consist. ad eund. d. 18 Jan. a. 1725 et Prot. ej. d.

confici, in aerario Acad. asservendam, duabusque aperientem clavibus, quarum unam Rector Academiae, alteram Bibliothecarius custodire debuit; in qua bis quotannis, pecuniam Bibliothecae redientem, recondere Bibliothecarium oportuit, non nisi utroque conscio erogandam; rationes quoque ejus Rectori sua fide firmare injunctum, quae a Quaestore et Senatu Acad. examinatae, Regiae tandem Revisionis Camerae acri subiciebantur censurae<sup>3)</sup>. Qui modus Bibliothecae pecuniam administrandi accurate servatus est, donec totius sic dicti Status Academici ratione immutata emendataque, horum, ut et reliquorum Academiae reddituum cura in Camerarium Academiae tota transferretur<sup>4)</sup>. Eadem industria fideque, quae collecta fuit pecunia, libris partim novis coëmendis, partim cum Stockholmiae tum hic Aboae distractarum Bibliothecarum fragminibus excipiendis impensa est<sup>5)</sup>, quibus sensim et facie laetior et usu fructuosior evasit, multum licet adhuc ab eo remota splendore librorumque praestantium copia, quae justis musarum nostrarum satisfaceret desideriis.

## § XX.

Quod autem situs humilis aedium, in quibus haec Bibliotheca Academica asservata fuerat, et aëris humiditas inde existens, libris plurimum nocuerat<sup>1)</sup>; necessarium

<sup>3)</sup> Cfr. l. l. mox citt. et citanda.

<sup>4)</sup> Cfr. Cel. Dn. BILMARK *Hist. Acad. Aboënsis*, P. II. § VI p. 30 sq.

<sup>5)</sup> Libros emtos reperimus ex Bibliothecis Rev. D:ni D. *Iser*, (Litt. Senatus Ac. ad Dn. *Björklund* d. 9 Oct. et 1 Dec. a. 1725) Generos. Tribuni *Gyllengrip*, (Litt. Consist. Acad. ad Secret. Regium D. Bar. *Lillie* d. 3 Febr. a. 1737 et ad Dn. *Joh. Welin* die 26 Maji a. 1737) Celeberrimor. Professorum D:ni *Haartman*, Prot. Consist. Acad. d. 20 Aug. a. 1735 (cfr. Prot. d. 26 Apr. a. 1738) et D:ni *Björklund*, Prot. d. 10 Febr. a. 1747. Cfr. praeterea Prot. d. 27 Febr. a. 1725 et d. 15 Octob. a. 1726.

<sup>1)</sup> Cfr. supra § IV pag. 18 et § VIII p. 34, not<sup>5)</sup>; Prot. Consist. Acad. d. 4 Apr. a. 1737. In Litteris itaque ad Illustr.



tandem, summo sane merito visum fuit, ut gravi huic incommodo, novis exstruendis aedibus, quantocius subveniretur<sup>2)</sup>. Favet huic consilio, quod vicinum erat pristino Bibliothecae atrio Campanarium vetus Templi Cathedralis, inutile jam et aerario ejus oneri potius quam commodo. Hoc igitur, modica impensa pauperisque Academiae opibus accommodata huic usui aptandum, ut Academici a Concilio quod res Templi Cathedralis curat (Domkyrko-Rådet) peterent, Professores qui in Consistorio suffragia ferebant Ecclesiastico, auctores erant. Quo consilio probato, cum Gubernatore quoque Provinciae Aboënsis Generosissimo literis Patres egerunt, ut sua apud Senatum Urbicum commendatione et auctoritate interposita, rem adjuvaret<sup>3)</sup>. Mole igitur illa vetere impetrata<sup>4)</sup>, ab Architecto diligenter inspiciendam et una cum adjacente Bibliothecae camera delineandam, addita etiam novi quod meditabantur aedificii designatione, Academici curabant: quas figuras, cum totius consilii sui ratione diligenter explicata, ad Illustriss. Aca-

---

Dn. Cancellarium d. 2 Febr. a. 1738 datis, merito conqueritur senatus Acad. „huru som denne Academiens Bibliothek af sångliga tider tillbafa varit och ännu är, uti ett hwalf wid Domkyrkan, mycket illa logeradt, i så måtto at böckerne til hand och eljest tagit mycken ffada af fultighet, ehuru man sådant beslitat sig om at förökomma; til at förtiga den olägenhet, hwilken dem uti et så fultigt rum möter, som hafwa nödigt af Bibliotheket sig at betjena.“

<sup>2)</sup> Anno jam 1726 in deliberationem venerat, utrum aedes Bibliothecae libris servandis essent idoneae; sed ea quidem tempestate, furno ferreo parando et pavimento altius tollendo, incommodis posse obviam iri, Academici putabant. Prot. Consist. Acad. d. 4 Maji 1726. Repetitae querelae, de damno libris ex humiditate aëris in atrio depressiore, enato, consilium tandem de novis aedibus exstruendis extorsere. Vid. Protoc. Consist. Acad. d. 18 Jan. a. 1735.

<sup>3)</sup> Prot. Consist. Ac. d. 3 Jan. a. 1735, et Literae Senat. Ac. ad. Gen. Maj. et Gubern. Dn. Bar. *Uxkull* d. 12 Jan. ej. a.

<sup>4)</sup> Erant tamen primum qui proponerent, ut supra Sacrarium Templi Cathedralis (Säferstian) potius aedes novae, Bibliothecae cessurae, exstruerentur. Cfr. Prot. Consist. Ac. d. 12 Sept. a. 1735.

demiae Cancellarium transmiserunt, rogantes ut illud auctoritate sua vellet confirmare; materiam interim ad aedificandum necessariam, comparantes <sup>5)</sup>). Approbatione muniti Maecenatis sui <sup>6)</sup>), opus strenue aggressi sunt, cujus peculiarem suscepit curam D. M. *Nicolaus Hasselbom*, Matheseos Professor, tantaque maturabant industria, ut aestate proxima anni 1738, aedes fere usui paratae essent <sup>7)</sup>), cum, gravi ex improvise calamitate incidente, labor impensaque omnis in fumum subito abiret. Fulmine videlicet turris Templi Cathedralis die 18 septembris vesperi fuit incensa; quo incendio non tectum modo templi conflagravit, sed novae etiam Bibliothecae aedes, cum proxima iis Schola Cathedrali, intra duarum horarum spatium haustae sunt. Nimia Templi Cathedralis vicinia etiam nunc aedibus Bibliothecae nocuit; turris enim collapsa, non tantum ruina sua tectum novi aedificii confregit, sed incendio quoque suo involvit. Insigni rei Academicæ fortuna, nondum in novas aedes libri transferri potuerant, sed in Auditorio Maximo asservabantur, quo fervente aedificationis opere perlati fuerant; postea in Auditorio Mathematico, donec pro-

<sup>5)</sup> Prot. Consist. Ac. d. 17 Jan. a. 1738, et Litt. ad Ill. Cancellarium d. 2 Febr. ej. a.

<sup>6)</sup> Litt. Ill. Cancellarii d. 10 Mart. a. 1738, et Litt. Senatus Acad. responsoriae d. 23 Mart. ej. a.

<sup>7)</sup> Veteris Campanarii, tribus tabulatis constantis, altitudine paullum imminuta, forniceque ejus sive infima contignatione, Templi Cathedralis usibus relicta, super hanc et adjacentes ei pristinas Bibliothecae aedes atria duo exstructa sunt, laeta satis, angulum tamen, situ id loci postulante, inter se efficientia, exiguo interjecto vestibulo, in quod gradus e vicina assurgebant platea, quam fenestrae etiam spectabant omnes, nimia vicinia Templi Cathedralis, a cujus turris substructione, oppositus paries angusta via separabatur, lumini ab ea parte officiente. Ad eandem hanc ideam hodiernae etiam deinde aedes exstructae sunt; nec muro tantum solido, sed tecto etiam interiore coctis lateribus quadratis constrato (*Brandtaf*) contra ignis vim, simileque illi quod priores expertae sunt, periculum, quoad fieri potuit, munitae fuerunt. Cfr. Literae Senatus Acad. ad Ill. Cancellarium d. 2 Febr. a. 1738.

prias sedes repetere licuit, hospitabantur<sup>8)</sup>. Interim domicilio certo aptoque Bibliotheca jam carebat, opes tenues Academiae exhaustae erant, nullaque affulgebat spes has angustias, nisi publicae munificentiae beneficio eluctandi. Itaque Illustr. Cancellarium suum Academici supplices adierunt, ut commendatione sua apud S. Regiam Majestatem, rebus musarum nostrarum afflictis subsidia pararet, petentes<sup>9)</sup>. Rem ille benigne suscepit; quae cessit feliciter adeo, ut dono 2000 Thalerorum monetae argenteae, ab Ordinibus Regni sublevarentur<sup>10)</sup>. Hoc successu erecti, animum ad aedificationem rursus Academici applicuerunt, materiam compararunt, opus urserunt, ita ut tandem, circa finem anni 1741, novis Bibliotheca inferri posset sedibus<sup>11)</sup>, quas hodieque occupat. Satis quidem in illis hactenus laxae atque commode habitavit; si vero uberiora, quod speramus, capere pergit incrementa, brevi angustiores videbuntur. Viciniam praeterea turris Templi Cathedralis vehementer timendam esse, tristis docuit experientia<sup>12)</sup>. Gravi etiam et utentibus et praefectis est incommodo, quod nullum adsit

<sup>8)</sup> Litt. Senatus Ac. ad Ill. Cancellarium d. 21 Sept. a. 1738. Prot. Consist. Ac. d. 28 Jun. et 2 Sept. ej. a.

<sup>9)</sup> Litt. Senatus Ac. ad Ill. Cancellarium d. 21 et 28 Sept. a. 1738. Insumtum fuerat in hanc infelicem aedificationem, et quod ex concessis a. 1727 ab Ordinibus Regni, in aedium Academicar. ab hostibus male habitarum reparationem, 1000 Thaleris monetae arg. superfuit, et quod ex ordinariis fisci Acad. redditibus, aliisque nonnullis subsidiis fortuitis confici potuerat. Cfr. Litt. Senatus Ac. ad Ill. Cancellarium d. 23 Mart. a. 1738. Prot. C. Ac. d. 22 Mart. ej. a.

<sup>10)</sup> Praeterquam quod ex silvis publicis, omnis qua opus fuit materia lignea gratis concederetur. Litt. Ill. Cancellarii d. 16 Febr. a. 1739. Cfr. Litt. Senatus Ac. ad Ill. Cancellarium d. 2 Jan. ej. a.

<sup>11)</sup> Prot. Consist. Ac. d. 15 Nov. a, 1738 et d. 15 Febr. a. 1742. Vetus atrium Bibliothecae postea Scholae Palaestrae usui concessum fuit, conclavi exiguo excepto, quo pro aerario Academia utitur. Cfr. Litt. Senatus Ac. ad Ill. Cancellarium d. 5 Mart. a. 1747, et Prot. C. Ac. d. 2 Dec. 1743.

<sup>12)</sup> Annorum 1681 (Cfr. supra § VII p. 33, not. <sup>18)</sup>) et 1738.



conclave asperis nostris hiemibus calefaciendum; ejus penuria, vel sanitatis, vel studiorum, vel librorum damno jam est redimenda.

## § XXI.

Vix autem in novas aedes Bibliotheca publica immigraverat, cum novis procellis exorientibus novisque imminentibus periculis, emigrandum illi rursus, solumque adeo vertendum fuit. Bellum videlicet infaustum, cum Russis circa haec tempora susceptum, cum infeliciter adeo administraretur, ut ab hostium vi major indes metus ingrueret, timendumque videretur ne totam brevi Finlandiam inundarent, de Bibliotheca Academica conservanda atque in tutiorem locum transportanda, Patres Academici consilia inire coeperunt. Itaque non cistas modo quibus, si opus foret, condi libri possent, parari curarunt, sed et crescente magis magisque metu, iis eisdem includi <sup>1)</sup>; atque cum in tanta civium multitudine qui se suaque in tutiora loca transferre parabant, navium penuria esse metuenda videretur, ad Illustr. Academiae Cancellarium scripserunt, ut publica aliqua navis, si necessitas postularet, ad penum Academiae librarium in Sveciam transportandam, quod et in superioris fugae calamitate contigerat, sibi concederetur <sup>2)</sup>. Mox etiam tristis docuit eventus, metum Academicorum curamque intempestivam aut vanam non fuisse. Itaque Stockholmiam tota supellex nostra libraria iterum transvecta fuit <sup>3)</sup>. Foeda autem tempestate, singulari Numinis beneficio, mox cessante, salva rursus ad pristinas sedes Bibliotheca Academica, cum Patrum civiumque integro coetu rediit, laetioribusque deinceps fatis, Divina in Patriam nostram beneficentia, usa est.

<sup>1)</sup> Prot. Consist. Ac. d. 10 et 26 Maji, nec non d. 12 Jun. a. 1742.

<sup>2)</sup> Prot. Cons. Acad. d. 26 Jun. a. 1742, et Litt. ad Ill. Cancellarium eodem die datae.

<sup>3)</sup> Cfr. Prot. Consist. Ac. d. 3 et 14 Julii a. 1742,

## § XXII.

Rebus Academiae in consuetum coactis alveum, et tranquille ad votum fluentibus, facultas nata fuit Patribus, curam de augendo sensim publico suo sapientiae thesauro, feliciter continuandi. Pro reddituum itaque tenuitate, praestantium número librorum egregie crevit. Inprimis opportunitate itineris, quod apud exteros agebat Dn. M. *Carolus Abrahamus Clewberg*, designatus Linguar. S. S. Professor, peritus ipse librorum iudex et conquisitor, ad Bibliothecam insigni accessione ornandam Academici usi sunt<sup>1)</sup>. Sed interea e vivis excesserat meritissimus ejus hactenus Praefectus D. M. *Andreas Pryss*<sup>2)</sup>, qui a Professorio munere vacationem nactus, Bibliothecae tamen curam retinuerat. Hanc postea, donec successor seni mortuo esset datus, administrandam suscepit, qui et aegrotante D: no *Pryss* eam jam aliquamdiu gesserat, Dn. D. *Hermannus Dietericus Spöring*, Medicinae Professor et Academiae eo tempore Rector; verum ipse gravi non multo post implicitus morbo, praemature vitam cum morte commutavit<sup>3)</sup>. Novus itaque mox Bibliothecarius constituendus fuit. Sancitum autem fuerat in nova lege reddituum Academiae disponendorum<sup>4)</sup>, Ordinum Regni suffragiis et Regia confirmatione munita, ut Bibliothecae administratio posthac semper Philosophiae Professore primo, s. gesti muneris aetate maximo, committeretur, qui curam alicujus Paroeciae, illarum quibus ut Pastores praesunt nonnulli Academici (Praebende-pastorater), non suscepisset; cui, in aucti laboris mercedem L tantum thalerorum monetae arg. auctum stipendium annuum, assignatum fuit, e CL illis qui ad Bibliothecarium, vi primae

1) Prot. Consist. Ac. a. 10 Febr. a. 1747. Litt. Senatus Ac. ad D. Prof. *Clewberg* d. 10 Febr. et 20 Jun. ej. a.

2) Die 21 Oct. a. 1746.

3) Prot. Consist. Ac. d. 16 Febr. a. 1747, Litt. Senatus Ac. ad Ill. Cancellarium d. 20 Junii a. ej. et Prot. C. Ac. d. 17 Mart. a. 1748.

4) Åbo Academies Stat af den 22 Sept. år 1743.

institutionis pertinuerant<sup>5)</sup>. Ordine itaque ad Dn. M. *Algothum Scarin*, Historiarum et Philos. Practicae Professore, devoluto, Senatu Acad. commendante<sup>6)</sup>, ille Diplomate ill. Cancellarii huic curae praeficitur<sup>7)</sup>. Quamobrem ut conditio Bibliothecae, suae fidei committendae, diligenter antea examinaretur, a Senatu Academico petiit; quod negotium Dn. M. *Carolo Friderico Mennander*, Scientiae Naturalis, et Dn. M. *Carolo Mesterton*, Logices atque Metaphysices, Professoribus mandatur<sup>8)</sup>. Itaque initio mox anni sequentis, die 23 Januarii, in aedes Bibliothecae convenientes, accuratum quidem ob tempestatem incommodam, librorum omnium recensum instituere non tum potuerunt, sed obiter tamen atque pro usu praesenti, lustrarunt. Questus est hac occasione novus Bibliothecarius graviter, ut saepe alias<sup>9)</sup>, quod a praedecessore suo concinnatus sibi relictus non esset Librorum Catalogus qualem Constitutiones Academicae postulant, secundum disciplinarum ordinem accurate dispositus, qualem jussu Illustr. Senatoris et Comitum *Falkenberg* conficere coeperant D. D. Professores *Bröms* et *Ross*<sup>10)</sup>, qualemque ad normam Catalogi Bibliothecae Thuanae concinnandi sociam ipse operam obtulerat<sup>11)</sup>. Indicem etiam Auctorum Alphabeticum desiderari monuit; unico tantum, eoque parum commodo Catalogo, de quo supra § XVII p. 64 diximus, utriusque jam generis vicem male gerente. De *Indicibus* autem sic dictis *Realibus* imprimis laboravit; eorumque commode conficiendorum spe-

<sup>5)</sup> Cfr. supra § V p. 20.

<sup>6)</sup> Prot. Consist. Ac. d. 20 Jun. a. 1747, et Litt. Senatus Ac. ad Ill. Cancellarium d. 20 Jun. et d. 21 Sept. ej. a.

<sup>7)</sup> Litt. Ill. Cancellarii ad Senat. Acad. d. 21 Oct. a. 1747.

<sup>8)</sup> Prot. Consist. Ac. d. 19 Dec. a. 1747.

<sup>9)</sup> Prot. Consist. Ac. d. 16 Mart. et 20 Jun. a. 1747; d. 17 Mart. et 15 Dec. a. 1748, d. 25 Mart. a. 1751. Cfr. Prot. d. 15 Apr. a. 1751.

<sup>10)</sup> Cfr. supra § XI p. 51.

<sup>11)</sup> Cfr. supra § XVII p. 64. Adde Prot. Consist. Ac. d. 17 Sept. a. 1746.



cimen ostendit <sup>12)</sup>, quod, ut et alia quaedam Bibliothecarii consilia, delegati probabant. Itaque sparsa nonnulla, ad

<sup>12)</sup> Quale etiam anno sequente (Vid. Prot. Consist. Ac. d. 31 Maji a. 1749) Senatui ostendit Academico, quo illud commendante, illustr. quoque Cancellarii meruit approbationem. Litt. ill. Cancellarii d. 13 Jun. a. 1749. Tribus autem voluminibus hunc Catalogum constare voluit; uno libros in folio (quod vocant), altero 4:tae formae, tertio 8:vae et minoris, complectente; posterioribus autem his II voluminibus 4:tam formam dedit, incommodo consilio, quod minorum librorum longe major est multitudo. Hos porro Catalogos ea ratione censuit concinnandos, ut novis libris accedentibus, suis quique locis commode possent inscribi; itaque plagulis e sede sua facile eximendis, novasque inter se porro admittentibus, confici voluit. Neque negare potest, commodam hoc consilio rationem institui, integras Bibliothecae in quovis disciplinarum genere opes distincte semper spectandas sistendi. Verum quod simul ursit, ut eodem etiam ordine libri in Bibliotheca collocarentur, minus placet; novis enim accedentibus voluminibus, subinde ordo Bibliothecae, perpetuo labore, mutandus esset; et ubi certi, perpetui, suisque numeris signati loci singulis libris non tribuuntur, repertu saepe erunt difficiles. Alphabeticus index nullum alium praestat usum, quam ut doceat librum in Bibliotheca haberi; locum ejus exacte indicare nequit. Realis ope Catalogi librum investigare, molesti saepe laboris est, dubiumque haud raro manet, ad quam classem et cohortem referendus sit relatusve fuerit, quod frequenter a judicio et arbitrio conficientis indicem, diverso ab ejus qui librum quaerit sensu, plurimum pendet. Nisi peculiare praeterea conditum fuerit Bibliothecae *Inventarium*, hujusmodi Reales Catalogi opes ejus haud praestabunt a dispereundi periculo legitime tutas; ad istius vero Inventarii ductum libri si collocentur, locum suum perpetuo servaturi, et facillimo negotio recensus Bibliothecae, quoties opus fuerit, institui potest, et Alphabetico Indice locum cujusque indigitante, libri promte investigari; potest etiam ligaturae diversae et externae speciei in libris collocandis ratio aliqua commode haberi, quoniam in publica ordinanda Bibliotheca, nec quid oculis magis placeat, negligendum prorsus esse videtur. Series autem librorum systematica et in quaque disciplinarum parte copia, cum ex Indice reali optime queat percipi, opus non est, ut eodem etiam ordine sint in Bibliotheca collocati. Caeterum supersunt hi a D:no *Scarin* inchoati Catalogi, in quos ipse partim, partim vicarii Bibliothecarii D:ni *Haartman* et *Hylleen*, ipso Bibliothecae curam gerente, libros sensim accedentes retulerunt. Ad totam vero Biblio-

fata Bibliothecae ejusque superiorem administrationem pertinentia compingi scripta atque documenta <sup>13)</sup> jubebant, Dissertationes Academicas hic Aboae editas, quarum paucissimis Bibliotheca gaudebat, diligenter colligi atque conservari, librum e charta pura commodum confici, in quo volumina Professoribus mutuo data atque ab iis restituta accurate annotari deberent, instrumentum vel signum (Stämpel) comparari pro idonea libris Bibliothecae deinceps accessuris nota imprimenda <sup>14)</sup> etc. Librorum intra patriam

thecam, hujusmodi Catalogorum conficiendorum consilium, extendere se velle quod saepe dixit, illud effectu caruit; non enim adornatus est ad hanc rationem Index ille Realis, (de quo mox), quem condidit Dn. *Haartman*; itaque nec plane sibi satisfacere significavit Dn. *Scarin*, sed aliis praeterea ad suam ideam concinnatis opus esse. Prot. Consist. Ac. d. 9 Jul. a. 1756. Nescio autem cur ad hanc mox rationem, quam sc. meliorem judicavit, adornari laborem D:ni *Haartman* non curaret; haud enim sane hic illum latuit. Postea nonnisi Catalogis his D:ni *Scarin* pro annotandis libris recentius comparatis Bibliotheca gavisa est; in quos postquam libros qui ad tempus absoluti novissimi recensens Bibliothecae, d. 29 Oct. a. 1773, ad Bibliothecam sensim accesserant omnes inscripsissem, paginasque suis numeris singulas signassem, filum per folia ductum atque sigillo Academiae munitum fuit; consilio capto his deinceps non utendi. Qui ante administrationem Bibliothecae a D:no *Scarin* susceptam, ad penum Academiae librarium pertinuerant libri, et ad *Pryssiani* Catalogi seriem in minori Bibliothecae atrio erant collocati, iis suo manere loco immotis permisit; sensim accedentibus voluminibus, in majus atrium translatis.

<sup>13)</sup> Decretum etiam fuit, ut ex Protocollis Senatus Ac. et Literarum vel Regiarum, vel quas ad Senatum Ac. dederunt Ill. Cancellarii, voluminibus, Amanuensis Consistorii Acad. ea transcriberet, in Bibliothecae usum asservanda, quae ad ejus res atque administrationem pertinerent; et adprobavit hoc consilium Senatus Acad. (Prot. d. 17 Mart. a. 1748), sed perfectum non fuit.

<sup>14)</sup> De hujus instituti usu jam ante monuerat Dn. *Scarin*, Prot. Consist. Ac. d. 19 Dec. a. 1747. Cura rei sibi commissa, tria hujusmodi instrumenta aurichalchina Bibliothecae comparavit, pro signandis majoris minorisve formae voluminibus, conspicuendam praebentia *Lyram Apollinis*, adjecta epigraphe: *Otium Sapientis*. Cfr. Prot. Consist. Ac. d. 6 Aug. a. 1748 et Acta

typis excusorum paucis Bibliothecam ditatam fuisse, deprehensum est; aedes ipsas a Russorum dominatione parum damni cepisse <sup>15)</sup>, etc. His omnibus Senatui deinde Acad. expositis, sua ille auctoritate Delegatorum acta confirmavit, duobusque supra indicatis Catalogis tertium etiam adjiciendum esse censuit, in quo libri quique unde, quando et quo pretio ad Bibliothecam accesserint, annotaretur <sup>16)</sup>. Salubri quoque consilio et Bibliothecariis commodissimo, hac occasione Patres decreverunt, ut cura pecuniae quae ad Bibliothecam redit Academicam colligendae et asservandae, rationumque accepti et expensi conficiendarum, posthac omnis ad Camerarium Academiae, cujus fidei tota est commissa reliqua rei Musarum nostrarum pecuniariae ratio, deferretur <sup>17)</sup>. Ita enim magnarum multarumque difficultatum, molestiarum et turbarum materia sublata fuit <sup>18)</sup>. Autumno deinde proximo, iidem delegati, quam initio anni inchoaverant thesaurum Academiae librarium recensendi operam accuratius et ex instituto continuabant, singula ad ductum Catalogorum examinantes volumina, laesa annotabant, atque quantum fieri posset reparanda decernebant <sup>19)</sup>, eorundem librorum altera et tertia exempla vendenda <sup>20)</sup>,

recensionis Bibliothecae accuratioris ej. a. Postea tria nova hujusmodi signa, (Stämpel) eandem figuram verbaque eadem experimentia, dono Bibliothecae transmisit Ill. Musarum nostrarum Maecenas, Regis Regnique Senator etc. Dn. Comes *Tessin*, quibus adhuc utimur. Cfr. Prot. Consist. Ac. d. 28 Jul. a. 1761.

<sup>15)</sup> In minori Bibliothecae atrio haecenus omnibus libris satis fuerat spatii; cujus pavimento nocuerant Russi, qui pro horreo ad salsamenta servanda usi fuerant; sed leve damnum erat.

<sup>16)</sup> Cfr. Prot. Consist. Ac. d. 17 Mart. a. 1748, et Acta ipsa hujus recens. Bibliothecae, ibi integra legenda.

<sup>17)</sup> Cfr. supra § XIX p. 69, qui locus hinc explicandus.

<sup>18)</sup> Cfr. supra § XI et Prot. Consist. Ac. innumeris fere locis.

<sup>19)</sup> Quod superioris fugae tempore damnum ceperant, nondum reparatum fuerat. Cfr. supra § XVII, et Acta ipsa posterioris hujus recens. Bibliothecae.

<sup>20)</sup> Adeo quidem rigide in hoc negotio versati sunt, ut quasdam etiam diversas editiones librorum, minoris pretii aut



incompleta autem opera supplenda sciscebant. Nullam librorum, post recensionem Bibliothecae proximam (cfr. supra § XVII), eandem passam fuisse jacturam, liquido constitit<sup>21)</sup>. Haec etiam delegatorum acta, in Senatu Acad. postmodum recitata, approbationem ejus confirmationemque meruerunt<sup>22)</sup>; plenamque jam Bibliothecarius suscepit hujus provinciae suae administrationem<sup>23)</sup>.

### § XXIII.

Non multo post, qui Amanuensis sive vic. Bibliothecarii partes haecenus sustinuerat Dn. M. *Andreas Pryss*, hac decedens statione<sup>1)</sup>, successorem habuit Dn. M. *Jacobum Haartman*, Episcopum jam Aboensis Dioeceseos Reverendiss. Academiaeque nostrae Pro-Cancellarium, qui diligenter atque accurate eandem per V annos spartam ornavit<sup>2)</sup>. Ejus labore atque industria concinnatus tandem fuit desideratus toties Index librorum Bibliothecae plenus atque accuratus, secundum seriem disciplinarum formarumque, aetatem denique auctorum et editionum diligenter dispositus; e quo tuto simul cognoscere licet, quibus eo tempore Bibliotheca gauderet opibus, quibusque adeo, post *Pryssianum* Catalo-

momenti, ejiciendas judicarent. Sed adhuc divenditi superflui hi libri non sunt, e quibus venditis nec magna pecunia speranda est. Tantam autem si adhibere delegati voluissent severitatem, quantam inculcabant Literae Ill. Cancellarii Comitis *Falkenberg* (cfr. supra § XI, p. 47.), magna pars librorum superiori seculo et ante restauratam Academiam partorum, ejicienda fuisset; itaque donec meliorum copia ampliore ditata fuisset Bibliotheca, hos retinendos censuerunt. Cfr. supra §. XI, not. (24), p. 48.

<sup>21)</sup> Vid. Acta Recens. Biblioth. a. 1748, d. 6 Oct. seqq. institutae.

<sup>22)</sup> Prot. Consist. Acad. d. 15 Dec. a. 1748.

<sup>23)</sup> Juramentum tamen Bibliothecarii non praestitit nisi biennio demum serius. Prot. Consist. Ac. d. 13 Sept. a. 1750.

<sup>1)</sup> Postquam Conrector fuisset constitutus Scholae Cathedralis Aboënsis. Prot. Consist. Ac. d. 28 Augusti a. 1750.

<sup>2)</sup> Prot. Consist. Ac. d. 28 Aug. et 13 Sept. a. 1750; nec non d. 13 Sept. a. 1755. Cfr. Prot. d. 9 Jul. a. 1756.

gum confectum, creverit auctibus <sup>3)</sup>). Merito itaque hic labor Senatui Academico, quo susceptus fuerat auctore, probabatur <sup>4)</sup>). D: no *Haartman* a. MDCCLV de hac statione decedente, suffectus est ejus in locum Dn. M. *Henricus Hylleen* <sup>5)</sup>), *Log. et Mataph. Docens*, qui eundem per IX annos occupavit. Ipse Dn. *Scarin*, aetatis ingravescentis pressus pondere, laborumque in juventute Academica assidue instituenda exhaustorum requiem tandem desiderans, vacationem utriusque muneris sui a. MDCCLXI a. S. Regia Majestate petiit, votique compos factus, ac Consiliarii etiam R. Cancellariae dignitate elementissime auctus <sup>6)</sup>), reliquam aetatem sibi vixit.

<sup>3)</sup> Superiorum praeterea Catalogorum correctis vitiis, librorum tituli plene et diligenter exhibentur, tabulae aeneae et effigies adjectae numerantur etc. Ad *Thuanae Bibliothecae* rationem serviliter non est conformatus, sed pro nostrae usu Bibliothecae, commodiori adornatus consilio, classium ordinumque et coarctata et emendata distributione. Verum quod captum simul fuerat consilium, ut ad ejusdem indicis ductum libri quoque ipsi in pluteis collocarentur (cfr. supra §. XXII. not. 12) p. 76 sq.), illud hoc peperit incommodi, ut quoties temere olim plures in unum codicem compacti essent tractatus, diversi saepe argumenti, hi non nisi uno illo loco ad quem primus tractatus pertineret, recensentur, adeoque aliqui in vera materiae suae sede frustra quaesiti, in aliena seriem systematicam interrumpant. Sed videlicet opus est, praeter *realem* hunc Catalogum, alio etiam *Inventario*, ad cuius seriem libri collocentur, ac ubi necesse fuerit, recognitio Bibliothecae commode instituatur. Vid. supra l. c.

<sup>4)</sup> Protoc. Consist. Acad. d. 13 Sept. a. 1755. Missum etiam exemplar ejus ad Cancellariam Regiam fuisse, docet Protoc. Consist. Acad. d. 9 Jul. a. 1756.

<sup>5)</sup> Placuit Senatui Ac. ut ille ad vices Secretarii Acad. gerendas, hac ope tum indigas, salarium tamen suum retinens transferretur, (quod et Illustr. Cancellario probabatur); nec multo post dignitate auctus fuit Professoris Extraordinarii Historiae Litterariae. Itaque cessit prior sua sparta Dn. *Hylleen*, cui interim fuerat commissa. Prot. Cons. Ac. cit. Litterae Illustr. Cancellarii Acad. d. 16 Octobr. et Prot. Cons. Ac. d. 9 Dec. a. 1755.

<sup>6)</sup> Diplomate Regio d. 14 Sept. hujus anni dato. Stipendium etiam, quoad vixit, integrum ei concessum. Cfr. Prot. Consist. Ac. d. 1 Oct.

## § XXIV.

Nullum quidem vel per XIV hos annos, quibus ab illo res nostra libraria administrata erat Praefecto, vel postea etiam, consilium reperiri felix potuit, redituum unde amplianda ornandaque sit, valde tenuium augendorum <sup>1)</sup>; sed hi tamen, diligenti prudentique adhibita cura, pulchre Bibliothecam locupletandi Patribus Acad. materiem pepererunt. Praeter libros recens editos undique coëmptos <sup>2)</sup>, melior pars suppellectilis literariae quam reliquerat vita decedens Dn. *Spöring*, Academiae comparata est <sup>3)</sup>. Accessit quoque, ut

<sup>1)</sup> Cum de redivibus, qui ad Bibliothecam Acad. pertinerent, ut edoceret postulasset Illustr. Cancellarius, huic suo obtemperantes mandato, ac ostendentes quam hi tenues essent, simul ut de ope aliqua iis paranda benignam foveret curam, rogabant. Litt. Senatus Ac. ad Illustr. Cancell. d. 16 Sept. a. 1746. et d. 20 Jun. 1747. Sed fructus hinc nullus provenit. Quod vero libri, ex librario penu quem Pastores Ecclesiarum Dioecesis Aboensis ex vita decedentes relinquebant, Bibliothecae nostrae debiti, partim negligentius traderentur, partim minoris essent usus, ac duplorum ac triplorum numerum frustra augerent; Senatu Acad. petente, Consistorium Ecclesiasticum literis ad Clerum datis huic persvasit, ut pretio dato, libros parandi curam Academicis permetterent, idque pretium locupletiorum Pastores parocciarum 24 vel 30 thaleris cupreis numeratis solverent: sanxit praeterea, ut haec pecunia a Praepositis colligeretur, et ad Notarios Consistorii Eccl. transmitteretur. Quae ratio postea obtinuit. Litt. Cons. Acad. d. 31 Aug. et Respons. Cons. Eccles. d. 4 Octobr. a. 1758. Cfr. Prot. Cons. Ac. d. 17 Jan. a. 1751, d. 23 Mart. a. 1753, et d. 31 Oct. a. 1758.

<sup>2)</sup> Cum librorum ab exteris oris adportandorum pretium, vectigali pendendo (Consumptions-accisen), vehementer intendere-tur, petentibus Academicis, Illustriss. Cancellarius a S. Regia Majestate nostris eandem ab hoc vectigali immunitatem obtinuit, quae Upsaliensibus jam antea, Litteris Regiis d. 3 Febr. a. 1748 datis, concessa fuerat. Cfr. Litt. Senat. Ac. ad Illustr. Cancellarium, d. 4 Apr. 1749; Litt. Regiae ad Cancellariam Regiam ac Collegg. Camer. et Commencior. d. 30 Maji 1749; et Litt. Illustr. Cancellarii ad Cons. Acad. d. 13 Jun. ej. a.

<sup>3)</sup> Pro libris his emendis, adjecta Collectione sua minerarum et conchyliorum, depensi sunt 1200 thaleri monetae cupreae. Prot. Consist. Ac. d. 21 Jun. 1749.



exemplo Serenissimae Reginae *Ludovicae Udabricae*, pro summo in musas favore, *Dactylithecae Zanettianae* (Augusto Suo Nomini inscriptae) splendido munere librarium nostrum penum munifice augmentis <sup>4)</sup>, pulchro eum privata liberalitas studio complexa sit. Qui hoc tempore summae rei nostrae Academicae praefuit, faventissimus Maecenas, Illustriss. Regis Regnique Senator Dn. Comes *Carolus Gustavus Tessin*, non tenera modo gazae hujus literariae semper cura tangebatur <sup>5)</sup>, sed elegantissimo quoque *Operum Q. Horatii Flacci*, aeneis tabulis incisorum exemplo, nitide compacto, ipse auxit <sup>6)</sup>. Beneficentiam praeterea experta fuit Gubernatoris, ea tempestate, Ditionis Aboënsis et Björneburgensis, una cum Alandia, Praesidis jam R. quod rei Metallicae praeest Collegii, Illustr. Comitiss. Dn. *Johannis Georgii Lilienberg* <sup>7)</sup>,

<sup>4)</sup> *Gemmae antiquae Ant. Mariae Zanetti. Antonius Franc. Gorius notis Latinis illustravit; Italice illas notas reddidit Hieron. Franc. Zanettius. Venet. 1750 Fol. c. Tabb. aen. LXXX. Exemplar splendide compactum. Cfr. Prot. Consist. Ac. d. 20 Aug. a. 1752.*

<sup>5)</sup> Non modo edoceri cupiit de conditione Bibliothecae nostrae, ejusque redditibus, Catalogum librorum sibi mitti jussit, libros non nisi optimos emendos svasit, ac ut tenuis pecunia, usibus Bibliothecae destinata accurate colligeretur, (communicatis etiam cum Senatu Acad. Litteris Regiis d. 10 Mart. a. 1749 datis, Rectoribus hanc curam severe injungentibus) monuit, nec non ut magna in libris commodandis cautio et prudentia adhiberetur; sed consilio quoque et auctoritate ubique Senatui Acad. adfuit. Cum ex inspecto Catalogo Bibliothecae reperisset, librorum ad Scientiam Naturalem et Mathesin pertinentium inopia illam inprimis laborare, huic defectui ut quantocius mederetur, Academicos admonuit. Etc. Cfr. Litt. Illustr. Cancellarii d. 27 Jun. a. 1746, d. 21 Oct. a. 1747, d. 13 Jun. a. 1749, et d. 10 Dec. a. 1750.

<sup>6)</sup> Lond. 1733 et 1737 editor. opera *Jo. Pine*, Voll. II. 8:o maj. Litt. Illustr. Cancellarii d. 13 Maji a. 1754. Protoc. Cons. Acad. d. 11 Jun. ej. a.

<sup>7)</sup> Bibliothecae nostrae dono dedit *Itinerarii Motrayani* eleganter compacti, voll. II. (*Aubry de la Motraye's Travels through Europe, Asia, and into part of Africa. Lond. 1723 Fol. Tabb. Geogr. et aen. LIV.*)

Nobilissimi R. ejusdem Collegii Assessoris Dn. *Emanuelis Swedenborg* <sup>8)</sup>, Aedificiis Regiis Praefecti et R. Majestati a. Symphonia Summi (Hof-Intendent och Capellmästare) Amplissimi D:ni *Johannis Helmich Roman*, ab stirpe oriundi Fennica <sup>9)</sup>; Actoris illo tempore caussarum Militarium (Rigts-

<sup>8)</sup> Parte Operum suorum Theologicorum s. Apocalypticorum maxima, Bibliothecam nostram liberaliter auxit; quorum volumina VII, (nempe *Arcana caelestia, quae — sunt detecta — in Genesi, una cum mirabilibus quae visa sunt in mundo spirituum et in caelo angelorum*, Partes IV, 1749—1752, 4:o; et *Arcana Caelestia — in Exodo, una cum mirabilibus* etc. Partes III, 1753; 1754, 1756 4:o) cum Illustr. Cancellario Dn. Comiti TESSIN huc mittenda tradidisset, suo aere munificentissimus Maecenas nitide compingenda curavit, antequam Aboam transmitterentur. Prot. Cons. Ac. d. 9 et 28 Jul. a. 1761. Accesserunt postea Bibliothecae Academicae mirabilium horum operum plures partes: *De nova Hierosolyma et ejus doctrina caelesti: ex auditis e caelo* etc. Lond. 1758, 4:o; *De caelo et ejus mirabilibus et de inferno, ex auditis et visis*. Ib. 1758, 4:o; *De telluribus in mundo nostro solari, quae vocantur Planetae: et de telluribus in caelo astrifero* etc. ex auditis et visis. Ib. 1758, 4:o; *De equo albo, de quo in Apocalypsi, Cap. XIX. Et dein de verbo et ejus sensu spirituali s. interno, ex arcanis caelestibus*. Ib. 1758, 4:o; *Sapientia Angelica de Divino amore et de Divina sapientia*. Amst. 1763, 4:o; *Doctrina novae Hierosolymae de Domino*. Ib. 1763, 4:o; *Doctrina vitae pro nova Hierosolyma ex praeceptis Decalogi*. Ib. 1763, 4:o; *Doctrina novae Hierosolymae de fide*. Ib. 1763, 4:o; *Continuatio de ultimo judicio et de mundo Spirituali*. Ib. 1763, 4:o; *Apocalypsis revelata* etc. Ib. 1764, 4:o; *Sapientia Angelica de Divina providentia*. Ib. 1764, 4:o; Item (praeter Opera Metallurgica Fol. et minores quosdam tractatus, 8:o) *Regnum animale, Anatomice, Physice et Philosophice perlustratum*, Partes III, Hagae Comit. 1744 et Lond. 1745, 4:o; et *De cultu et amore Dei* etc. Lond. 1745, 4:o. Ita ut non ubivis tam locupletem singularis Scriptoris operum collectionem reperias. Cfr. *Aminnelse-Tal öfver Assessoren — Em. Swedenborg — af Sam. Sandel*. Stockh. 1772, 8:o.

<sup>9)</sup> Musicorum modorum atque operum, (Musicalier), partim aeneis tabulis incisorum, partim calamo consignatorum, pulchram collectionem, dono Academiae nostrae misit, maximus sua aetate in patria Musicus. Cfr. de meritis ejus: *Äreminne öfver Hof-Intendenten — Herr Johan Helmich Roman, — Af Abr. M. Sahlstedt*. Stockh. 1767, 8:o Prot. Consist. Ac. d. 2 Nov. 1749.

Fiscal), jam vero Judicis Territorialis Helsingiae Borealis, Amplissimi atque Consultiss. D:ni *Svantonis Myrin*<sup>10</sup>); nec non Patroni caussarum apud summum quod hic Aboae sedet R. Dicasterium agendarum, Spectatissimi D:ni *Adolphi Jacobi Neuman*<sup>11</sup>). Librorum intra Patriam typis vulgatorum, partem quidem sensim transmissam esse reperimus; sed adeo tamen negligenter et parum accurate, ut non desset larga Academicis querelarum materia<sup>12</sup>). Interim ex omnibus his fontibus tantum sensim confluit librorum, maximam partem utilium atque etiam praestantium, ut publicae jam Bibliothecae honore, nec usu nec ornatu prorsus indigna, suppellex Academiae libraria censenda esset<sup>13</sup>).

## § XXV.

Oblata fuit decessione Cel. *Scarini* vacua Bibliothecae administrandae provincia, (ad normam legis supra commemoratae<sup>1</sup>) Professore in Facultate Philosophica primo; quo illam recusante, ac altero etiam abnuente, in se hanc recepit curam Dn. *M. Petrus Adrianus Gadd*, Chemiae Professor, ordine his proximus: ac Diplomate igitur Illustriss. Acad. Cancellarii confirmatorio, die XXVIII Jan. a. MDCC-LXIII dato, munitus fuit<sup>2</sup>). Ut autem, ejus conditionis

<sup>10</sup>) Scriptis ad res maxime Svecicas illustrandas pertinentibus, ultra L, plerisque raris admodum (*numis* etiam praestantibus), Bibliothecam Acad. auxit. Prot. Cons. Ac. d. 7 Sept. 1751.

<sup>11</sup>) Libris ad Chemiam et Metallurgiam pertinentibus compluribus, Bibliothecam Acad. locupletavit. Protoc. Consist. Acad. d. 17 Sept. a. 1761.

<sup>12</sup>) Cfr. Protoc. Consist. Ac. d. 10 Aug. et 8 Dec. a. 1752.

<sup>13</sup>) Tertia fere parte aucto, intra XX annorum spatium, voluminum numero, minus Bibliothecae atrium, quod totam hactenus suppellectilem Acad. librariam ceperat, ei recipiendae jam non sufficit: itaque transtulit in alterum atrium Dn. *Scarini* libros omnes, qui se praefecto accesserant.

<sup>1</sup>) Cfr. supra §. XXII, p. 74 sq.

<sup>2</sup>) Protoc. Consist. Ac. d. 11 Nov. a. 1762, et d. 17 Mart. a. 1763. Litt. Illustriss. Cancellarii d. 28 Jan. a. 1763.



quantique pretii esset thesaurus fidei suae committendus, pateret, mandatus fuit a Senatu Acad. illius percensendi labor D:no *Mesterton*, qui etiam ante annos XV sociam eidem peragendo praestiterat operam: quem quidem aggressus<sup>3)</sup>, ultra tamen non continuavit, quam ut libris qui in primo servarentur Bibliothecae atrio, ad ductum *Pryssiani* Catalogi perlustratis, qui praesto non essent, diligenter notaret<sup>4)</sup>. Ad accessionem temporis *Scariniani*, quae in altero atrio, secundum ordinem indiculorum novorum collocata erat, nescio quibus impeditus obstaculis, operam suam non extendit. Non diu autem spartam suam ornaverat novus Bibliothecarius, antequam alias muneris partes assiduam magis curam deponere sentiens, quam ut sibi satis otii ad res Bibliothecae pro voto curandas superesset, Senatui Acad. significaret optare se, ut hanc curam in amicum suum Dn. *Hylleen*, qui et his studiis se totum dedisset multosque per annos Bibliothecae custodiendae operam navasset, et hoc laborum praemio fortunaeque adminiculo dignus esset, transferre sibi liceret; velle se annum etiam illud stipendium L thalerorum, quod huic muneri adsignatum esset, illi concedere: spem se fovere, si res ad Illustriss. Cancellarium Acad. referretur, fore ut benigna sua commendatione apud S. Regiam Majestatem efficeret, ut officium Bibliothecae tuendae, quod aucta insigniter copia librorum, multo jam diligentiore operosioreque curam postularet, a Professoria sparta, ut olim separatum, suo praefecto committeretur, eadem qua Professores dignitate, ut in reliquis patriae Academiae, ornato<sup>5)</sup>. Non abnuit Senatus Acad. spe adductus stipendii tenuis Bibliothecario relictis, alio consilio augendi; ac rem Illustr. Cancellario demonstravit<sup>6)</sup>, qui ad Regiam Majestatem retulit, eo successu, ut rata esse in perpetuum

<sup>3)</sup> Diebus 24 et 31 Oct. 3, 4, 7, 10 et 11 Nov. a. 1763.

<sup>4)</sup> Quorum adest index accuratus; plerique postea restituti: pauci desiderantur, nescio ubi inveniendi, aut a quo restituendi.

<sup>5)</sup> Cfr. Litt. Reg. d. 27 Jun. a. 1703 et d. 14 Oct. a. 1740.

<sup>6)</sup> Prot. Consist. Acad. d. 13 Dec. a. 1763.

juberetur: ita tamen, ut et hac occasione et postea semper, quoties novus Bibliothecarius constituendus esset, Cancellarius Acad. viros tres, huic muneri obeundo idoneos proponeret, ut ex illis eligendi quem probaret maxime, S. Regiae Majestati facultas esset; quae eadem ratio reliquis jam patriae Academiis scita erat<sup>7)</sup>. Jussit igitur Illustr. Cancellarius (meritissimus de musis nostris Heros Regis Regni-que Senator Dn. Comes *Claudius Ekeblad*), ut quos sua dignos commendatione Academici judicarent, indicarent sibi; quorum acceptis nominibus, tribusque eorum Regiae Majestatis electioni a se oblatis, demandata fuit haec cura, Illustriss. hoc Maecenate favente, D: no *Hylleen*<sup>8)</sup>, eidem cui et antecessoris sui beneficentia et Academicorum vota destinaverant. Vacuum factum fuit, eodem fere tempore, Adjuncti in Facultate Philosophica munus. Hanc igitur arripientes occasionem, Patrum Academicorum plerique, commodam offerri putabant rationem perexigui quod Bibliothecario cesserat stipendii augendi, si Adjuncti, qui tot curis laboribusque stans, quot Professorum ordo, districtus non esset, officium, cum Bibliothecae praefectura conjungeretur; quo facto, ac C thalerorum salario, quo ille fruitur, Bibliothecario attributo, hic tantundem recuperaturus foret stipendii, quantum ei primitus assignatum fuerat<sup>9)</sup>. Istam vero sententiam, cum ad Illustriss. Cancellarium perscrip- sissent, assensu ejus excepta non fuit; quod nec minui numerum Academicorum munerum pluresque in unum curas cumulari vellet, et hoc consilium cum rationibus superioris decreti minus consentire putaret. Potius igitur ex restitu-

<sup>7)</sup> Prot. Consist. Ac. d. 7 Maji a. 1764 Litt. Regiae ad Cancell. Acad. Aboëns. d. 21 Mart. a. 1764. Litt. Cancellarii ad Cons. Ac. d. 13 Apr. a. 1764. Cfr. Litt. Regiae ad Cancellarios Acad. Ups. et Lund. d. 24 Apr. a. 1745.

<sup>8)</sup> Litt. Cancellarii d. 13 Apr. a. 1764. Juramentum Bibliothecarii praestitit locumque in Senatu Ac. obtinuit, sequente demum anno, Dn. *Hylleen*, missa quaestione de solenni ejus introductione mota. Cfr. Prot. Consist. Acad. d. 19 Mart. a. 1765.

<sup>9)</sup> Litt. Consist. Ac. ad Illustr. Cancellarium, d. 30 Oct. a. 1764. Cfr. Prot. Cons. Ac. ej. d.

torum nuper Academiae praediorum, per errorem aliquamdiu amissorum, fructibus, tantidem valoris, hoc C thalerorum annuum augmentum, stipendio Bibliothecarii esse comparandum censuit <sup>10)</sup>: quos vero, cum reliquorum Academicorum salariis supplendis deberi, Consistorium Acad. pugnasset, caussamque tandem, Ordinum Regni suffragiis obtinuisset <sup>11)</sup>; nullo hactenus incremento stipendiolum Bibliothecarii augeri potuit. Recepit Bibliothecam novus Praefectus, nulla illius publica intercedente recensione, custodiendam; quod ejus curandae per plures annos socius, conditionem ejusdem satis nosset. *Amanuensis partes mihi mandatae sunt* <sup>12)</sup>; quibus per octennium vacavi. Praefuit Bibliothecae Acad. Dn. *Hylleen* ad a. MDCCLXX; quo pauperrimae stationis pertaesus, Illustr. Cancellario benefice commendante <sup>13)</sup>, Pastor Ecclesiarum *Hollolesium* in Tavastia a Regia Majestate clementissime constitutus, musis Auraicis valedixit.

## § XXVI.

Brevi, quo rem nostram librariam Dn. *Gadd* curavit, tempore, crescere pulchre perrexit <sup>1)</sup>. Quumque publicam Bibliothecam, (quae majoris molis, pretii ac splendoris operibus, librisque usus constantioris, aut minus obviis, inprimis censi debet), compendiis disciplinarum proponendarum, et lucubratiunculis facillime parabilibus, aut vita famaue ephemera florentibus, onerare turpe sit <sup>2)</sup>, in nostra

<sup>10)</sup> Litt. Ill. Cancellarii d. 12 Dec. a. 1764.

<sup>11)</sup> Cfr. Cel. BILMARK *Hist. Acad. Aboënsis*, P. II, § VI, p. 32 et 35 sq.

<sup>12)</sup> Prot. Consist. Ac. d. 12 Oct. a. 1764.

<sup>13)</sup> Dedit hoc precibus Senatus Academici. Cfr. Prot. Consist. Ac. d. 28 Jun. 6 et 18 Sept. a. 1770. Litt. Ill. Cancellarii d. 21 Jul. et Sept. ej. a.

<sup>1)</sup> Cfr. Prot. Cons. Ac. d. 1 Febr. a. 1762, et d. 22 Apr. atque 22 Oct. a. 1763.

<sup>2)</sup> Pecuniam his emendis consumere, quae utilioribus libris comparandis impendi debeat, atque in praestantiorum scriptorum penuria, hujusmodi abundare libellis, quibus, nisi eximiae sint



vero paupertate etiam stultum, quae vix libros in quovis literarum genere praestantissimos ac maxime necessarios sensim comparandi nobis copiam praebet; decrevere Patres Academici, (quod saepius Litterae Illustriss. Cancellariorum inculcaverant <sup>3)</sup>, ut tenuis Bibliothecae pecunia non facile nisi scriptis majoribus carioribusque coemendis impenderetur <sup>4)</sup>: quod tamen sapiens consilium, uti non antea, ita nec postea, satis diligenter servatum fuit. De obtinendis scriptis intra patriae fines in lucem emissis, quod pro more, rarius et negligentius Academiae transmitterentur, Bibliothecario monente Senatus Acad. litteris apud Illustr. Cancellarium rursus egit: quo rem graviter urgente, severis Regiae Cancellariae Literis Typographis injunctum fuit singulis, ut ad normam edictorum superiorum, semestri quovis indices scriptorum a se impressorum quorumlibet accuratos conficerent, atque cum his una, imperata libri scriptive cujusque exempla bis quotannis, intra finem mensium Maji et Septembris, Archivi Regii curatoribus traderent: contumacibus, si vel alterutram neglexissent officii partem, mulcta 100 Thalerorum argent. constituta <sup>5)</sup>. Neque tamen impediri potuit quo-

---

dignitatis, vix in ditissimis Bibliothecis locus conceditur, parum sane decet. Cujus enim Bibliothecae opes ad omnia scripta, etiam bona, sufficiunt coemenda? Rarius autem obvia, quae pretio non carent, quorumque colligendorum privatis literarum amicis neque facultates neque occasio nisi parcissime contingunt, in publicis Bibliothecis merito quaeruntur; adeoque, ubi favet opportunitas, acquirenda sunt: ita tamen, ut praerogativae, voluminibus singularum disciplinarum primariis, pretiosioribus, primaeque necessitatis debitae, nulla hinc injuria confletur.

<sup>3)</sup> Cfr. supra § XI, not. 17), et § XXIV not. 5).

<sup>4)</sup> Qualia, privato cuique Academico, vel doctori vel juveni studioso, pro suo usu cuncta comparandi, vel facultas vel voluntas, rarius solet contingere. Decreverunt igitur Patres, ne liber novus 3 aut 4 thaleris Imperialibus vilior, facile emeretur. *Protoc. Consist. Acad.* d. 22 Apr. a. 1763.

<sup>5)</sup> Cfr. *Prot. Consist. Acad.* d. 17 Maji a. 1763, et d. 22 Dec. a. 1764. *Litterae Regiae Cancellariae*, d. 16 Febr. a. 1707 et d. 16 Nov. a. 1764 nec non *Ordo et norma Typographis praeser.* (Boftryckeri-Reglem.) d. 12 Aug. a. 1752. Art. 3 § 1.

minus Bibliotheca jacturam hoc nomine etiam postea sit passa; nisi diligentia curaque pertinaci et molestissima, comoda fere hinc speranda superante, exactissime vix cavendam.

### § XXVII.

Haud defrixit, quo Bibliothecae praefuit Dn. *Hylleen* sex annorum spatio, studium novis illam incrementis locupletandi. Quoniam igitur Bibliopola et peritia et opibus instructo debitis, gravissimo musarum nostrarum incommodo urbs careret, consilium ceperunt Academici, Bibliothecario suadente ac operam suam offerente, libros necessarios partim in Germania <sup>1)</sup>, partim (quod feliciter successit) in Batavia <sup>2)</sup>, ad quas oras nostrarum urbium naves quotannis proficiscuntur, coëmendi; delectis quibuscum in illis locis rem sibi esse praecipue vellent. Eaque via Bibliothecae multa accesserunt praeclara volumina. E relicta praeterea egregia supellectili libraria b. Theologiae Professoris Dn. *Caroli Abrahami Clewberg*, pulcherrimo aucta fuit incremento <sup>3)</sup>; quod longe etiam amplius futurum fuisset, aliquanto majore consilio curaque adhibitis. Liberalitatis autem privatae,

<sup>1)</sup> Prot. Consist. Ac. d. 19 Mart. 1765. d. 21 Mart. a. 1766 etc.

<sup>2)</sup> Prot. Consist. Ac. d. 21 Mart. a. 1766. Expertae sunt musae nostrae, in hoc adjuvando negotio, favorem singularem alumni quondam sui, Illustr. Liberi Baronis Dn. *Caroli Johannis Creutz*, Legati tum R. Svecici apud Ordines Foederati Belgii. Cujus adhuc fructu utimur.

<sup>3)</sup> Cfr. Prot. Cons. Ac. d. 12 Nov. a. 1767. Catalogus Bibliothecae hujus Clewbergianae, typis expressus, quam merito totius acquirendae debuisset consilium iniri, satis docet: raro in nostris oris similis continget opportunitas, literis Graecis, Orientalibus ac Theologicis bene consulendi. Acquisiti tamen inde sunt Bibliothecae publicae complures egregii libri, Auctores Graeci, Msc. quidam libri Arabici (minoris licet pretii) etc. Ex relicto penu librario b. Medicinae Professoris D. *Johannis Leche* libri etiam quidam, ad Historiam Naturalem spectantes, Bibliothecae Ac. comparati sunt. Cfr. Prot. Cons. Ac. d. 12 et 19 Mart. a. 1765.

*Stålhandskianum* munus si exceperis, tanta nunquam, quanta his annis, Bibliothecae nostrae contigerunt documenta. Insigni enim illam *Codicum Manuscriptorum* dono, hujusmodi maxime cimeliorum inopem, liberalissime ornavit faventissimus tum Academiae Cancellarius, Illustriss. Regis Regni-que Senator, etc. Liber Baro Dn. *Carolus Hermelin* <sup>4)</sup>; splendidissimo *Antiquitatum Herculaneusium* opere, in memoriam curae musis nostris fovendis datae, benefice auxit desideratissimus tot nominibus illarum tutor Illustriss. Comes Dn. *Claudius Ekeblad*, turbis temporis a Rep. administranda tum remotus <sup>5)</sup>; librorum egregiorum ac partim rarissimorum co-

<sup>4)</sup> Prot. Cons. Ab. d. 3 Nov. a. 1767. Erant voll. XXI in folio, et III in 4:o, pleraque membranis perscripta. Inter haec: *Senecae Quaestiones Naturales*, et *Senecae Declamationes* (scriptae, ut in fine voluminis significatur, *Constanciae tempore Concilii generalis sub anno Domini 1418*); *Ciceronis Orationes*, Voll. III; *Ejusd. Libri de Oratore* (Codex Chartaceus, scriptus Bononiae 1451); *Justiniani Imperatoris Codex repetitae Praelectionis*, cum glossa marginali; *Petrarchae quorundam clarissimorum heroum Epythoma*; *Jo. Boccacius de Casibus virorum illustrium: Questiones disputate per Doctores Bononienses*; *Chronica Poloniae* ab a. D. 1406 ad a. 1444 (Codex Chartaceus, Latine scriptus); it. aliud volumen, *res Borussicas et Polonicas* anni 1511 sqq. persequens (Cod. Chart. Germ.); etc. Recentioris aetatis esse, vel hinc liquet; de quibus infra ex instituto exponemus. Spolia esse Belli Polonici, superiore seculo a nostris gesti, videntur.

<sup>5)</sup> Prot. Consist. Acad. d. 8 Aug. a. 1769. Prima nempe IV volumina, una cum *Bayardi Catalogo* (T. I.) beneficentiae hujus Maecenatis debemus; qui sua manu haec adscripsit verba: *Holmiae die X Aprilis MDCCLXIX. Opus hoc, munificentia Serenissimi Regis utriusque Siciliae sibi dono datum, Regiae Academiae Aboënsi in tesseram amicitiae perpetuo duraturae, et ut monumentum qualecunque negotiorum antehac communium, transmittit Claudius Ekeblad.* (V et VI volumen splendidi operis debet Bibliotheca Academica liberalitati Maecenatis, qui post illum curam rei nostrae Academicae suscepit et adhuc gerit, Illustriss. Senatoris Regis Regni-que, R. Cancellariae Praesidis etc. Dn. Comitum *Ulrici Scheffer*; cujus plura etiam in librarium nostrum munificentiae documenta, celebrandi materia suppetit, suo loco nequaquam dimittenda). Unde patet, de hac re male edoc-



pia, Codicibus aliquot Msc. aliisque ornamentis munifice ditavit Auraicarum Camoenarum grande decus, Episcopus tum Aboënsis Dioeceseos Academiaeque nostrae Pro-Cancellarius, Archi-Episcopus jam et Pro-Cancellarius Upsaliensis Lycei, Reverendissimus Dn. Dr. *Carolus Fridericus Mennander* 6). Quibus Bibliothecae nostrae benefactoribus, sin-

tum fuisse b. D: num *Björnståhl*, qui in Septembri a. 1771 nulum adhuc putaret hujus operis exemplar in Sveciam pervenissi. Cfr. *Ejusd. Itin.* P. I. Epist. XX p. 236 sq.

6) Prot. Cons. Ac. d. 9 Dec. a. 1766. Erant Voll. XXVII in Folio, L in 4:o, LXXXII in 8:o et min. forma. Inter quae habebantur: *Roma Sotterranea di Ant. Bosio*, Rom. 1692; *Sert. Ursati* monumenta Patavina, Pat. 1652; *Car. Patini* Imperatorum Romanorum Numismata, Argent. 1671 (cum eff. auctoris); *Pet. Apiani et Barth. Amantii* Inscriptiones S. Sanctae Vetustatis, Ingolst. 1532; *Terentius* cum directorio etc. Argent. per Jo. Grüniger, 1496; *Horatius* ib. 1498; *Ovidii Fasti*, Venet. per Jo. Tacuinum de Tridino, 1502; *Ejusd. Epistolae Heroïdes*, ibid. 1501; *Martialis* cum Comment. Calderini et Merulae, per Jac. Pentium de Leuco 1503; *Begeri Numismata Pontificum Rom. et Ejusd. Lucernae veterum sepulchrales*, pluraque alia opuscula; *Index auctorum damnatae memoriae* — editus auctoritate D. Ferdinandi Martins Mascaregnas, Ulysipp. 1624; *Praetorii orbis Gothicus*, Oliv. 1688; *Linnaei Hortus Cliffortianus*; *Dyalogus Creaturarum moralizatus*, Stockh. 1483; *Mariana* de rebus Hispaniae, Mogunt. 1595; *Svammerdam* Historia Insectorum, Lugd. B. 1685; *Cinnamus* de rebus gestis Joannis et Manuelis Comnenorum, Ultraj. 1652 Etc. Etc. Inter Codd. Msc. erant *Biblia Lat.* vulgatae versionis, membranis eleganter scripta, *Ol. Petri* Chronica rerum Svecicarum, etc. Ornavit praeterea atrium Bibliothecae, *Capite C. Julii Caesaris*, e marmore, *Gladiatore Romano* ex aere, et *Mercurio* e plumbo expressis, operis antiqui signis. Hoc autem munus alio, non minus splendido, idem beneficentissimus Maecenas sexennio post cumulavit; dono Bibliothecae nostrae datis voll. in Fol. XXVI, in 4:o LXXXI, in 8:o et min. forma CCXXII. Cfr. Prot. Cons. Ac. d. 20 Nov. a. 1772. Inter haec reperiuntur *Biblia Svecana*, Ups. 1541; *Biblia Germ. Lutheri*, per Jo. Lufft, Vittenb. 1541; *Cumdi* Bibliotheca Patrum, Lugd. 1588, Tomi IV; *Clemens Alexandrinus* Gr. Florent. 1550; *Missale Aboëense*, Lub. 1488; *Ant. a Wood* Historia et Antiquitates Universitatis Oxoniensis, Oxon. 1664; *Spon* Histoire de Geneve, Gen. 1730, Voll. II; etc. etc. Adeo

gulari munificentia socium se adjunxit, meritissimus ac scientissimus Rei Nummariae atque totius adeo Rei Antiquariae Svecicae Antistes et arbiter, Nobilissimus Cancellariae Regiae Consiliarius et Eques de Stella Polari Dn. *Carolus Reinholdus Berch*, pulcherrimo transmisso dono librorum, maximam partem Historicorum atque Antiquariorum<sup>7)</sup>; uti etiam Decade voluminum, primo post inventam artem Typographicam semiseculo impressorum, penum nostrum librarium amice auxit Historicorum monumentorum quae ad res Patriae illustrandas pertinent, diligentissimus peritissimusque conquisitor et collector Spectatiss. Dn. Secretarius *Sigfridus L. Gahm*<sup>8)</sup>. Praeter minores quasdam accessiones singulorum librorum<sup>9)</sup>. Quibus rebus omnibus ita Bibliotheca nostra crevit, ut et splendore, et quem litterarum amicis atque cultoribus praestat, usu, pristinam multum jam superet tenuitatem.

---

ut hujus benefactoris sui munificentiae, supellex nostra libraria accessionem voluminum prope D, praeter Codices Msc. et alia ornamenta, debeat.

<sup>7)</sup> Prot. Cons. Ac. d. 8 Aug. a. 1769. Auxit primum Bibliothecam nostram voluminibus CXXXIII; quibus ultra LXXX postea alia adjecit, ita ut numerum CCXX impleverent. (Cfr. Prot. Cons. Ac. d. 25 Jun. a. 1772). Inter quae numerabantur: *Begeri* Thesaurus Brandenburgicus Gemmar. et Numismatum Graecorum, Colon. March. 1696; *Ejusd.* Spicilegium Antiquitatis, ib. 1692; *Hütfeldi* Chronica Regni Danicae, Havn. 1652; *Le Clerc* Histoire des Provinces unies des Pays-Bas, Amst. 1723; *Mabillon* de Re Diplomatica, Paris. 1681; *Ulfstae versio Evangeliorum Gothica*, cum interpr. et annot. Er. Benzellii, Oxon. 1750; *Pomp. Gauricus* de Sculptura, *Demontiosius* de veterum Sculptura etc., et *Abr. Gorlaei* Daetyliotheca, Antv. 1609; *Spon* Recherches curieuses d' Antiquités etc. Lyon 1683; etc. etc.

<sup>8)</sup> Prot. Cons. Ac. d. 9 Apr. a. 1769.

<sup>9)</sup> Quos Auctores ipsi liberaliter Bibliothecae dono dederunt, etc. ut sua ad rem militarem pertinentia opuscula, extra Patriam typis impressa, Illustriss. Dux Exercitum Regni supremus Dn. Comes *August. Ehrensvärd*, Generosiss. Generalis Major et summus Rei Munitariae Praefectus Dn. *Axelius Magnus de Arbin*, ac Nobiliss. Centurio Major *Ol. de Stierneman*.

## § XXVIII.

Successor abeunti, ad Ecclesiae Hollolensis, quae sibi demandata fuerat curam capessendam, Bibliothecario, constitutus fuit, Diplomate Regio d. IV Dec. anni ejusdem MDCCLXX dato, Dn. M. *Laurentius Olai Lefren*, Facultatis Philosophicae ad hanc Academiam hactenus Adjunctus ordinarius. Qui cum plenam gazae hujus librariae tutelam suscipere nollet, nisi accurate antea recensitae, atque ut leges jubent moresque, a delegatis huic negotio viris, publice sibi traditae, eamque operam aëris inclementia, ante reditum mitioris anni temporis, aggredi vetaret; ope quidem atque consilio, administrandae ejusdem laborem interim jovit, sed omnes subire muneris partes non potuit. Reliquas igitur sustinere Amanuensis interea debuit; cumque absentia Bibliothecarii prioris, et alia quaedam impedimenta, moram aliquantisper objicerent, spesque successori suo mox affulgeret, inopem hanc stationem cum alia fortunatiore commutandi; festinare nihil placuit. Nec de spe sua vel reliqui Academici vel Bibliothecarius deciderunt; qui non multo post Professor Linguarum Sacrarum ad hanc Academiam creatus <sup>1)</sup>, praefectura Bibliothecae abiit. In cujus locum mihi, qui Amanuensis partes per VIII annos peregeram, Illustrissimo Musarum nostrarum Tutore ac Maecenate benigne commendante, Bibliothecarii munus administrandum S. Regia Majestas clementissime concessit <sup>2)</sup>. Amanuensem vero Bibliothecae Senatus Academicus constituit adjutoremque dedit Dn. M. *Henricum Alanum*, qui Logicam atque Metaphysicam, hactenus juventutem Academicam docuerat <sup>3)</sup>.

## § XXIX.

Quo autem conditio Bibliothecae, quam per plures annos Senatus Academicus suo perlustrandam nomine non

1) Diplomate Regio die 6 Apr. a. 1772 dato.

2) Dipl. Reg. d. 11 Nov. ej. a.

3) Prot. Cons. Ac. d. 4 Febr. a. 1773.



curaverat, exactius innotesceret, tutiusque constaret quas opes jam Bibliothecarius tuendas accepisset; hoc petente, decretum fuit, ut quam primum tempestatis ratio permitteret, studiosa tandem accurataque librorum omnium recensio institueretur: quod negotium mandabant Academici Dn. M. *Jacobo Haartman*, Theologiae, et Dn. M. *Johanni Bilmark*, Hist. et Phil. Practicae, Professoribus <sup>1)</sup>. Rem itaque vere proximo aggressi, sequente autumno perfecerunt; diligentissime hac cura functi, prout ipsa acta luculenter docent <sup>2)</sup>. Curaverat interim Bibliothecarius, quantum in se esset, ut necessarii praesto essent indices atque subsidia alia, e quibus cum de praesenti Bibliothecae statu, tum de superiore ejus administratione, accuratum ferre delegatis iudicium liceret: qui rationem operae suae Senatui Ac. reddentes, et eam et iudicia sua illi adprobarunt <sup>3)</sup>. Bibliothecarius hinc, in *Catalogo Alphabetico* librorum omnium quot possideret Bibliotheca, diligenti condendo, primam versari debere curam suam ratus, (quod superior ille neque aptus esset, neque satis curate concinnatus, neque jam plenus <sup>4)</sup>), atque sine hac tamen ope difficillima Bibliothecae administratio usque valde incommodus videretur), collega suo operam quoque tribuente, perfecit; cujus tamen alterum atque emundatius exemplum totum perscribendi facultatem tempus non permisit <sup>5)</sup>. Deinde, quod hujus Cata-

1) Prot. Cons. Ac. d. 13 Mart. a. 1773.

2) In Bibliotheca asservata. Videri etiam potest Pr. Cons. Ac. d. 18 Apr. a. 1777, et d. 18 Maji ej. a.

3) Prot. Cons. Ac. d. 18 Apr. a. 1777.

4) Quod post a. 1748 suppletus non fuerat; alio consilio Bibliothecariis magis placente. Cfr. supra § XXIII not. <sup>12)</sup>. De superioris etiam illius Catalogi vitiis quibusdam, diximus supra § XVII, p. 64, et § XII not. <sup>9)</sup> qui neque plane *realis*, quem vocant, neque plane *alphabeticus* fuit; neutro igitur consilio satis aptus, quod et secundum sic dictas Facultates, atque formas librorum, et alphabeti etiam ordinem, simul esset dispositus.

5) Hanc vero operam, laudabili diligentia peregit postea, Amanuensis Bibliothecae admotus officio, Dn. M. *Gabriel Tidgren*.

logi usum, et libros quosvis promte inveniendi rationem, impeditiorem fore putaret, nisi stabilis atque haud facile mutandus cuique locus volumini assignaretur; ordinem eorum in loculamentis suis collocandorum, quem *realem* vocant, sive ad seriem disciplinarum atque argumentorum accommodatum, incommodiorem judicavit <sup>6)</sup>: ejusque judicii sui rationibus Senatui Acad. expositis, veniam nactus est, nullo nisi ad formam et ligaturam habito respectu, et libros qui nunc adessent digerendi, et sensim accedentes prioribus mox adjiciendi, loculamenti numerique signo et nota cuique inscriptis, et Alphabetico simul Indici appositis <sup>7)</sup>. Voluminis cujusque loco ita in perpetuum definito, *Catalogum* confecit opum totius Bibliothecae, eadem illas serie exhibentem, qua in loculamentis digestae jam visuntur, ac iisdem signis, notis numerisque, quibus ipsi libri distinguuntur, distribute instructum; ad cujus deinceps ductum, recensio Bibliothecae, quoties opus foret, celeriter ac commode institui posset, et in quem libri postea accedentes, simulac suis reponerentur loculis, eadem lege sensim essent inferendi <sup>8)</sup>. Praeterea *Diarium* condidit, in quo, qui libri,

<sup>6)</sup> Judicii ejus rationes expositas vide supra § XXIII not. 12). Addimus, in Bibliotheca nostra, in quam ex complurium privatorum penoribus librariis, parsimoniae cuidam, nimio saepe studio, litantium, plerique fere libri pervenerunt, multa esse volumina, plures diversi plane argumenti tractatus complexa: quae nec permittunt opes Bibliothecae tenues omnia dissolvere, ac separatim quemque tractatum jungendum curare, nec operae semper pretium est. Spatia autem vacua hic illi inter libros variasque eorum classes et ordines relinquere, praeter alia incommoda, loci etiam angustia in nostra Bibliotheca non permittit; per adjectas vero Appendices (quod hic antea moris fuit) molestiam immutandi saepius loci librorum totius Bibliothecae declinare, idem est ac ex una plures, incommodo admodum consilio, Bibliothecas creare.

<sup>7)</sup> Prot. Cons. Ac. d. 13 Mart. a. 1772.

<sup>8)</sup> Hocce Catalogo cum illis collato Indicibus, ad quorum ductum recensio Bibliothecae a. 1773 institutus fuit, ac consensu suo cum iis explorato; certus ille in posterum testis existimari debet opum quas tum Bibliotheca possedit universarum.

quando, unde, aut quo pretio ad Bibliothecam publicam accessissent, ex quo sibi ejus cura commissa fuit, breviter significaret; a successoribus porro, chronologica continuandum serie. Quod autem Dnn. Professoribus, quos nuper laudavimus, commendantibus, Senatui Ac. placeret, ut Index etiam alius conderetur librorum quos Bibliotheca possedit, cum illi recensum ejus agerent, omnium, ordine eodem quo comparati essent, quantum res jam permetteret, exhibitorum<sup>9)</sup>, accuratissime deinceps, secundum seriem temporis quo novi libri accessissent, a Bibliothecae praefectis semper continuandus, *Inventarii* nomine ad opes librarias Academiae tutas praestandas inserviturus; neque Bibliothecario otium superesset, aliis laboribus, qui promtius exposcere diligentiam suam viderentur, impedito, hunc

Ac si etiam qui postea accesserunt libri, e Diario in illum accurate translati, instituta comparatione deprehenderentur, fidesque Diarii explorata esset; ad illum totius Bibliothecae recensum, non tuto minus quam commode institui deinceps semper posse, quoties necesse haberetur, Bibliothecario visum fuit. Quae caussa est, cur hunc Catalogum *Inventarii* nomine supra p. 76, not. 12). significarem. Hujus Catalogi primum Tomum, libros exhibentem in minore Bibliothecae atrio asservatos, plene absolvit Bibliothecarius; alterum aequae adornare concinne, tempus non permisit, cujus partes ultimas industriae successorum curatus, ad reliquarum similitudinem concinnandas, relinquere necesse fuit.

<sup>9)</sup> Nempe in hunc unum Indicem exscriptos conjungere placuit 1:o Catalogum a. 1655 typis impressum, de quo supra p. 25. 2:o Indicem librorum, quos a. 1682 accessisse, post illum catalogum editum, ex altero typis impresso Catalogo (de quo supra p. 32), facta utriusque comparatione patuit. 3:o Accessum librorum quem ad a. 1748 Bibliothecae contigisse, collatio Pryssiani Catalogi (cfr. p. 64) cum superiori isto instituta docuit. 4:o Indicem incrementi, quo Bibliothecam a. 1754 fuisse auctam, comparatio Haartmanniani Catalogi (cfr. p. 79 sq.) cum Pryssiano ostendit. 5:o Indices librorum ex libraria copia D:ni *Clenberg* emtorum, nec non a D:nis *Mennander*, *Berch* et *Gahm* donatorum. 6:o Index librorum reliquorum, qui ad finem anni 1773, ab absoluto Haartmanniano Catalogo accessisse reperti sunt.



suscipiendi: demandatus is fuit Dn. M. *Gabrieli Tidgren*, Hist. et Eloqu. Docenti, a quo etiam concinnatus adest. *Reali Catalogo*, apprime licet necessario, conficiendo manum admovere, brevitatis temporis Bibliothecario non permisit, ad aliam stationem non multo post admoto<sup>10)</sup>: quem laborem, propediem, illorum industria, quibus nunc thesauri nostri librarii cura commissa est, et strenue susceptum et perite iri perfectum, confidimus.

### § XXX.

Faventior quae adfulgere Bibliothecae nostrae coepit fortuna, ita per hos quoque annos propitiam illi se praebuit, ut spe prope nostra majoribus augetur incrementis. Non enim emtis tantum, vel a Bibliopolis vel occasione auctionum quarundam librariarum<sup>1)</sup>, voluminibus ditata fuit et numerosis et pretiosis, sed privatorum etiam beneficentia egregie crevit. Ut enim singulorum librorum dona<sup>2)</sup>, aut

<sup>10)</sup> Eloquentiae Professor, Regio Diplomate d. 10 Dec. a. 1777 dato, clementissime constitutus.

<sup>1)</sup> Ita comparati sunt Bibliothecae nostrae, libri ex divenditis librariis opibus Professorum nostratum Dnn. *Mesterton* et *Wallenii*; Archiatri Regii etc. Nobiliss. *Rosen v. Rosenstein*, Rev. Episc. et Pro-Canc. *Engeström* etc. maxime autem ex hastae subjecta egregia Bibliotheca Dir. D:ni *Laur. Salvii*.

<sup>2)</sup> Sic Dono dedit Bibliothecae nostrae R. Dicasterii Aboënsis Praeses Illustriss. Dn. Lib. Baro *Axelius Gabriel Lejonhufvud A. Gellii Noctes Atticas*, impr. Parhisiis per Nic. de Pratis, folio; Consiliarius R. Collegii Cameralis Nobiliss. Dn. *Ericus a Wetterstedt* librum ab Augustiss. Rossiae Imperatrice publici Juris factum, et quatuor linguis editum: *Instruction - - pour la Commission chargée de dresser le projet d' un nouveau Code de Loix*. Petrop. 1770 4:o; Oeconomiae ad R. hanc Acad. Professor Maxime Rev. Dn. Dr. *Petrus Kalm Versionem Fennicam*, jam raram, *Psalterii Davidici* et quarundum aliarum partium Biblicar. V. Test. ab Episc. olim Aboënsi M. *Mich. Agricola* editarum, Stockh. 1551 et 1552 4:o; Vexillifer turmae Equestris Nobil. Dn. *Car. Örnstedt Scheffellii Vitas Professorum Med. Gryphiswaldensium*, 4:o. Et sic porro. Manuscripto etiam Codice, in folio, manu eleganti Svecice exarato, et ad artem mi-

pauciora minusque pretiosa volumina muneri data, non commemorem<sup>3)</sup>; experta fuit Bibliotheca Academica munificentiam Illustrissimi Acad. nostrae Cancellarii, Regis Regni-que Senatoris, Cancellariae Regiae Praesidis Ordinumque Regionum Equitis et Commendatoris D:ni Com. *Ulrici Schef-fer*, et splendidum *Ekebladianum* munus suppletis, et aliis quoque novis donis librarium nostrum penu ditantis<sup>4)</sup>;

litarem pertinente (rörande den mindre detaljen med et Regemente til fot) figurisque adpictis ornato, in memoriam Patris sui, cujus industriae debetur, locupletarunt Bibliothecam Acad. Haeredes Centurionis Nobiliss. ac fortitudinis laude incliti Dn. *Andr. Georgii Wetterhoff*; alio Codice Ms. nempe *Claudii J. Prytz* Tractatu Historico-Politico de Jure Publico Regnorum Sveciae Gothiaeque, Svethice, in folio, manu etiam elegante exarato, auxit Bibliothecam nostram, Scholae tum Trivialis Wasensis Rector, S. Theologiae jam ad hanc Acad. Professor, Maxime Rev. Dn. M. *Christianus Cavander*; tertius accessit ex supellectili Nobiliss. Centurionis D:ni *Johannis Engman*, acta continens, in folio, (Concept-Protocollerne) a Patre suo Dn. *Andrea Engman* olim consignata, ut Notario Judicii (Commissorial-Rättens) a. 1677 constituti, cui in magos et sagas quaestio commissa fuit: non inutile perlectu volumen, ad ejus temporis mores, ingenique humani historiam cognoscendam. Raritatis causa etiam commemoranda est plagula chartacea nigri coloris, literis albis Tanguticis inscripta, precum quasdam formulas continens, ad religionem Dalai-Lamaiticam pertinentes; quam, in veteri Templo *Ablakit* Mogolorum idololatrarum, apud flumen *Irtysch* sito (LX milliaria Russica, *Verst*, a Castro *Ustkamenogorska* remoto) repertam, Bibliothecae nostrae Acad. in memoriam literarum a se hic olim cultarum, dono transmisit Celeb. Academicus Petrop. Dn. *Ericus Laxman*.

<sup>3)</sup> In quem referendi sunt numerum Praepositus et Pastor Paroeciae Cronoby in Ostrobotnia Dn. M. *Gustavus Juslenius*, Dn. M. *Elias Granroth*, Sacellanus in Paroecia NyCarleby Ostrobotniae, D:ni Magg. *Matthias Calonius* Professor Juris, et *Abrah. Nicol. Clenberg* Bibliothecarius jam ad hanc Academiam, etc. quibus rara singulis quaedam volumina, penus nostra libraria, refert accepta.

<sup>4)</sup> Cfr. supra § XXVII not. <sup>5)</sup>. Hujus praeterea Maece-natis beneficio, possidet Bibliotheca nostra librum: Plans et Statuts des differens etablissements ordonnes par Sa Maj. Imper. Catherine II pour l' education de la jeunesse — ecrits — par

amice opes nostras utili dono auxit, R. quae Stockholmiae floret Scientiarum Academia <sup>5)</sup>; ex relicta libraria supellectili Illustriss. Lib. Baronis et Summi quod Aboae fulget R. Dicasterii Praesidis Dn. *Johannis Lagerflycht*, librorum aliquot Russicorum, etc. Bibliothecae nostrae accessio contigit <sup>6)</sup>; reliquis crevit quibusdam librariae gazae qua Ec-

Mr. *Betzky* et traduits — par Mr. *Clerc*. Amst. 1775, voll. II, 12:0; it. *Jo. Andr. Murray* apparatus medicaminum, Gott. 1778. 8:0. Accessit etiam ex Ejusdem liberalitate: *Mappa Japonica* viam publicam ab urbe Osatka ad sedem Regiam Jedo, spectandam sistens; explicatione lingua characteribusque Japonicis, adposita. Charta est Japonica; mappae longitudo pedum circiter 55, latitudo paullo ultra 2. In Theca lignea asservatur, cujus inscriptio testatur, fuisse olim ex India transmissam ad *Nicol. Witsium*, Illustrem illum Civitatis Amstelodamensis Consulem, de re Geographica meritissimum.

<sup>5)</sup> Ex libris qui sibi dupli contigerant, X nobis volumina dono misit; inter quae nominasse sufficiat *Thomasini* Glossarium universale Hebraicum, Paris. 1697, folio, *Hawkesworth's* account of the Voyages undertaken — for making Discoveries in the southern Hemisphere etc. Lond. 1773, voll. III 4:0 cum tabb. splendd. Cui muneri, Ejusdem Academiae Secretarius Amplissimus, ac multiplici laude cum intra tum extra patriam illustris, Dn. *Petr. Wargentini*, de suis liberaliter adjecit: *Essai* Analyt. sur les Facultés de l' Ame, par *Ch. Bonnet*, Copenh. 1760, 4:0; *Descriptiones* Animalium — quae in itinere orientali observavit *Pet. Forskål*, etc. Havn. 1775, 4:0; *Ejusd.* Flora Aegyptiaco-Arabica etc. Ib. 1775, 4:0; et *Icones* rerum naturalium quas in itinere orientali depingi curavit *Pet. Forskål*. Ib. 1776. 4:0 cum Tabb.

<sup>6)</sup> Voluminum XIII; inter quae fuerunt *Rassuschdenye* etc. f. Ratiocinatio (vel Discursus) super caussis quas habuit Petrus I Russorum Monarcha, bellum inferendi Carolo XII Svecorum Regi, etc. Petrop. 1717, folio (auct. *Pet. Schafirow?*); N. Testamentum, lingua Slavonica, Mosc. a. m. 6224, 4:0; Volumina II, alterum in Fol. alterum in 4:0, varia continentia Acta publica Russica etc. Voll. III Msc., Slavonica exarata lingua: quorum unum in Folio, (plagulis decem in medio spoliatum), ex illo genere librorum Historicorum esse videtur, quod Russis *Stepennaja kniga* audit (cfr. Schlözer Probe Russischer Annalen, I. Müllers Sammlung Russischer Geschichte V B. p. 8. seq.), atque olim ad Nobiliss. pertinuisse Consiliarium R. Dicasterii Aboensis Si-



clesia hujus urbis Cathedralis olim instructa fuerat<sup>7)</sup>; volumina aliquot accepit egregia ex liberalitate Celeberr. Dn. M. *Andrae Johannis Lexell*, Academiae Imper. Scientiarum quae Petropoli floret Socii et Astron. Professoris<sup>8)</sup>; ac munere tandem locupletata fuit amplo et copioso, ex testamento Viri Amplissimi, meritorumque et in Remp. literariam et nostras praecipue musas laude illustris, Dni *Johannis Arckenholtz*, Sereniss. Landgravio Hasso-Cassellano olim a Consiliis Aulicis, Bibliothecaeque et Gazophylacio Antiquario Cassellano Praefecti<sup>9)</sup>. Quibus omnibus rebus

*monem Lindheim*, et cum reliquis suis bonis ad Illustr. *Lagerflycht* pervenisse. Cfr. Diss. *Joh. Helsingii* de Originibus priscae gentis Varegorum, hic Aboae 1734; editam, Praes. Cel. *Alg. Scarin*, p. 56, not. r). An alterum, etiam in Folio, sed valde mancum, ex eo sit genere quod ibidem *Poviest Vremianich* dici perhibetur, definire nondum valemus. Accesserunt simul Bibliothecae nostrae alia quoque cimelia quaedam, quae jam ibidem, in memoriam illustris hujus familiae servantur.

<sup>7)</sup> Volumina VI, quaedam lacerà; inter quae Msc. continens S:ae *Mechtildis* Librum Spiritualis Gratiae, Svethico sermone versum a Fratre *Jo. Budde*, nec non S:ae *Birgittae* Viridarium, Svethice conscriptum ac ex *libris* suis *Revelationum* collectum. Uterque liber lacerus est, uno vol. chartaceo in 8:o (quod ad Fratres Coenobii Gratiaevallensis, *Nådendal*, olim pertinuisse, inscriptio adjecta docet) compactus. Accessit simul inde Bibliothecae, plagula, qua *actus inscrinationis B. Hemmingi* Ep. Ab. exhibetur; quod monumentum, typis exscriptum, brevi commentariolo illustrant binæ Diss. Dn. *Gustavi Sivers*, hic Aboae 1775 editae, Praes. Cel. *Bilmark*, 4:o.

<sup>8)</sup> *L. Euleri* Calculus Integralis, Voll. III, 4:o; *Ejusdem* Dioptrica Voll. III, 4:o; *Ejusd.* Theoria motuum Lunae, Petrop. 1772 4:o; Collectio omnium observationum quae occasione transitus Veneris per solem a. 1769 institutae fuerunt etc. Ib. 1770; 4:o; *Jo. Ge. Gmelini* Flora Sibirica, Tomi IV, 4:o c. figg. *Sam. Gottl. Gmelini* Historia Fucorum. Etc.

<sup>9)</sup> Amore Patriae flagrans singulari, atque ab amplexibus licet ejus sejunctus, optime tamen de illa mereri studens, Academiae nostrae Auraicae, in qua olim ad musarum commercium adolescens admissus fuerat, eximia beneficia jam tum cum Cassellis ageret, destinaverat; quibus post mortem Viri meritissimi, patriae interea redditi, frui Lyceum coepit nostrum. Pecuniam

effectum est, ut sola XXX novissimorum annorum incrementa, omnes jam pristinas Bibliothecae opes, et pretio et copia vincant.

videlicet 1333 Thalerorum Imperialium cum triente, ea conditione Academiae legavit, ut ex fructu ejus aliquot semper literarum studiosis, ingenii atque diligentiae quam fortunae ope liberaliore suffultis, annua subsidia per quinquennium cuique, praeberentur: Gemmis quibusdam sculptis, atque aliarum ectypis numero ultra D, arte Lippertiana in massa alba terrea pulchre expressis; Numismatum, maxime Romanorum, haud spernenda collectione, additis ectypis aliorum (a C. Julio Caesare ad Heraclium Imperat.) in cera, tenuissimis laminis stanneis obducta, expressorum; Librorum denique egregio dono Bibliothecam nostram ornavit et auxit. Inter hos Mss. erant, praeter *Epistolarum* ad Se a Viris Eruditis Illustribusque, cum civibus tum exteris, scriptarum Volumina XIII, 4:o, atque *Commentariorum Rusdorffii* (*Memoires et Negociations de Mr. de Rusdorf*) quos limatos politosque Gallice edere Noster paraverat, ipsum exemplar prototypum (conceptet) in Folio; *Bibliorum Latinorum* vulgatae versionis Codex Membranaceus, 4:o; *Alcoranus* Arabice (codex chartaceus) 8:o; *Ambassade de Mr. de la Boderie en Angleterre es années 1606, 1607, 1608 et 1609, Premiere partie*, Codex chartaceus in Folio, nitidissime scriptus; *Turcae cujusdam*, publicae rei consulti, *Consilium de administrando imperio, Sultano Ibrahimio datum*, in linguam Svecanam translatum, codex chartaceus in Folio; *Recueil de diverses Pieces* (dediés à Mr. Guillaume de Gehebe, par C. L. H. de Stockholm ce 24 Nov. 1735), Codex chartaceus in 4:o. Accedebant ex amplissima sua collectione varii generis monumentorum Historicorum, maxime ad res patriae illustrandas pertinentium, reliquiae quaedam et sparsa quasi fragmina, (longe maxima parte, antequam ad nos chartae suae pervenirent, nescio quando aut quomodo excussa, distracta atque dispersa), laboriosissimi viri manu magnam partem exscripta; e quibus duo in Folio volumina, et unum in 4:o confecimus. Impressorum librorum circa CDL Bibliotheca nostra, liberalitati ejus accepta debet volumina; quorum vero pleraque vim magnam quaeque continent scriptorum atque tractatum diversorum, minoris molis, sed memorabilium ac rariorum. Inter libros hosce erant: *Encyclopedie*, ou Dictionnaire raisonné des Sciences, des Arts et des Metiers, etc. Paris et Neufchatel 1751—1765, Voll. XVII Folio, cum Voll. V Tabularum (*Recueil des Planches*) primis, pecuniae summa ad reliqua etiam paranda, assignata; *Le Grand Dictionnaire Historique*,



## § XXXI.

Fatis atque incrementis Bibliothecae nostrae hactenus expositis; ut praesentem quoque ejus conditionem paullo accuratius describamus superest, quidque opis et subsidii

— par *Mr. Louis Moreri*, XVIII edition, Tomes VIII, Amst. 1740 Folio; item *Nouveau Supplement au Grand Dictionnaire Historique — de Mr. L. Moreri*, Tomes II, Paris 1749 Fol. *Dictionnaire Oeconomique — par Mr. Noel Chomel, IV Edition, par J. Marret* Tomes II. Commercy 1741 Fol. Item *Supplement au Dictionnaire Oeconomique — par M. Noel Chomel, — par Mr. Pierre Roger*, Tomes II. Ib. 1741, Fol. *Dictionnaire Historique — par Prosper Marchand*, Tomes II, à la Haye 1758 et 1759. Fol. *Description de la Ville et des Fauxbourgs de Paris, en vingt Planches etc.* à Paris par Jean de la Caille, 1714 Fol. *Max. Histoire generale des Eglises Euangeliques des Vallées de Piemont, ou Vaudoises, — par Jean Leger*. Leyde. 1669 Fol. *De vita et rebus gestis Clementis XI, Pontificis Maximi, Libri VI*, Urbini 1727, Fol. *Platinae Historia de vitis Pontificum Romanorum*. Coloniae 1574 Fol. *Navigatio ac Itinerarium Jo. Hug. Linscotani in — Indiam etc.* Amstel. 1614 Fol. *Argonautica Gustaviana etc.* Franckf. 1633 Fol. *Winkelmanns Beschreibung der Fürstenthümer Heßen und Hersfeld etc. I-VI Theil*; Bremen 1697, et Cassel 1754, Fol. Uebersetzung der **Allgemeinen Welthistorie**, die in Engeland — ausgefertiget worden, — vermeret von *Siegm. Jac. Baumgarten* (und *Sal. Semler*); Halle 1741 —1765, voll. XXIX 4:o. It. Sammlung von **Erläuterungs Schriften und Zusätze** zur Allgem. Welthistorie, ib. 1747—1765, voll. VI 4:o. *Pocockes* Beschreibung des Morgenlandes, — übers. von Chr. Ernst v. Windheim, Erlangen 1754 et 1755, voll. III, 4:o. *Memoires concernant Christine Reine de Suede*, par J. Arckenholtz, Tomis IV, Amst. 1751—1760, 4:o splendide compacti; *Historie de Ré Lusignani*, publicata da *Henrico Giblet Cavalier*, Libri XI, Bologna 1657, 4:o; *Deduction der unschuld Herrn Johan Reinhold von Patkul*, 1701, 4:o; *Schoepflini Vindiciae Typographicae*, Argentor. 1760, 4:o; *Robeck de morte voluntaria*, Partes II Rintel. 1736 et Marp. 1753, 4:o; *Dactyliotheca universalis*, — edidit *Phil. Dan. Lippert*, Chilias I, II, III. Lips. 1755, 1756, et 1762, 4:o; *Arlanibaei arma Svetica*, 1631, 4:o; *Guil. Serlini causae Regum heri et hodie inter se belligerantium, Galliae et Hispaniae, Sveciae et Poloniae, expositae et expensae*, 4:o; *Vita Christinae Svecorum Reginae, usque ad ejus in Brabantiam profectionem etc.* 4:o; *Caractere de la Reine Christine*



literarum studiosis jam promittat, paucis indicemus. Primum igitur Codices quos possidet Manuscriptos recensebimus; non illos aut multos sane, aut primi ordinis, pretiove ac splendore eminentissimos, sed neque contemnendos tamen, nec omnino, qui cognoscantur diligentius, indignos. Sequemur autem in illis lustrandis seriem temporis qua Bibliothecae nostrae accesserunt, inque indices ejus adscripti sunt. Ac diu nullo gavisa fuit hujusmodi ornamento; quod aut nihil hujus generis *Stålhandskius* in praeda illa Danica reperisset<sup>1)</sup>, aut Regiae Bibliothecae quae Stockholmiae instruebatur, talia Cimelia imprimis deberi existimarentur; ex qua igitur, ut etiam manu exarata aliqua nostris Musis concederentur volumina, exspectandum non erat. Referri tamen aliquo modo in hunc censum possunt exempla operum *Grotianorum de Jure Belli et Pacis*, ac *de Veritate Religionis Christianae*, quae suis ipse annotationibus, margini adscriptis, Vir Summus ornaverat, quaeque cum libris suis reliquis in Bibliothecam Reginae immigrasse<sup>2)</sup> viden-

---

— par le R. Pere *Mannerschied*, 4:o; *Tillotson's Sermons*, Lond. 1703 et 1704 voll. XIV, 8:o majore; Le spectacle de la Nature, — par Mr. l' Abbé *de Pluche*, Paris 1745—1751, voll. IX, 12:o maj. *Ejusd.* History of the Heavens, Lond. 1740, voll. II, 8:o; *Deconomische Nachrichten* (von Freyherrn von Hohenthal, etc.), Leipz. 1750—1763, voll. XV, 8:o; *Hartmanni Historia Hassiaca* in comp. redacta, Pars I, II, III, Marp. 1741, 1742 et 1746, voll. III, 8:o; *Schmincke* monumenta Hassiaca, I—IV Th. Cass. 1747—1765, voll. II, 8:o; *Ejusd.* Beschreibung der Heßischen-Hauptstadt Cassel, ib. 1767, 8:o; Le Soldat Svedois, par *Fred. Spanheim*, 1634, 8:o; Historia di Christina Alessandra, Regina di Svetia, del Conte *Galeazo Gualdo Priorato*, Venet. 1656, 8:o; Bibliotheca septentrionis Eruditi, — a *Joh. Mollero*, Lips. 1699, 8:o; *Struvii Bibliotheca Historica selecta*, — locupletavit *Chr. Gottl. Buder*, Jenae 1740, 8:o; Hispanicae Inquisitionis — secretiora — per *Joach. Ursinum*, Ambergae 1611, 8:o; *Biographia Classica*, Lond. 1750, coll. II, 12:o; Etc. Etc.

<sup>1)</sup> Cfr. supra § IV p. 17.

<sup>2)</sup> Cfr. ARCKENHOLTZ *Mem. de la Reine Christine* T. I. p. 79 sq.

tur, inde ad nos dono transmissa<sup>3)</sup>. Operis primo loco commemorati, editio est princeps, Paris. a. 1625 luci commissa, apud *Nicolaum Buon*, 4:0; de quo volumine supra jam egimus<sup>4)</sup>. Annotationibus quas ostentat, diligentius perlustratis, easdem fere esse reperimus, quibus secundam postea libri editionem Auctor emendavit ac locupletavit, quae nondum tamen omnes hic comparent. Alterius quod nominavimus operis editio tertia est, quae prioribus auctior et emendatior editore dicitur, ac *Lugduni Bat. ex officina Joannis Maire* 1633, 12:0 prodiit. Numerosa ejus sphalmata correxit Auctor, ac passim quaedam limavit et addidit, eadem fere, non tamen omnia, quae in Quarta Editione (Paris. 1640 sumtibus Seb. Cramoisy in quarta forma emissa), leguntur. Inscriptio etiam libri talis ab Auctore formata hic conspicitur, qualem illa editio habet: *Hugo Grotius de Veritate Religionis Christianae. Editio nova, additis annotationibus, in quibus testimonia*<sup>5)</sup>.

1. Primo codice, toto manu exarato, Bibliothecam nostram condecorasse significavimus (supra p. 30 sq.) Virum magni nominis ac summae apud nos venerationis, Lycei nostri quondam Antistitem *Johannem Gezelium*, Filium; *Korano* nempe Arabico elegantissime et distinctissime scripto, (punctis vocalibus diligenter instructo), in forma quam vocant 8:va majore, ligatura quali Turcae vulgo utuntur, e corio nigro. Charta levigata, gossypina esse videtur<sup>6)</sup>. A secunda Sura liber incipit, prima omnino praetermissa; integer caeterum ac satis bene conservatus<sup>7)</sup>.

<sup>3)</sup> Cfr. supra § V p. 20, et 23 seq. Nec non Indicem Bibliothecae Aboënsis a. 1655 editum.

<sup>4)</sup> § V p. 23 et 24, imprimis not. 1<sup>6)</sup>.

<sup>5)</sup> Cfr. KOECHERI *Hugo Grotius de Veritate Religionis Christianae variis Dissertatt. illustratus*, Dissert. I. Historia Libri Grotiani de V. R. C. § 9 et 10.

<sup>6)</sup> De cujus indole vid GER. MEERMAN *et Doctor. Virorum ad eum Epistolae atque obs. de Chartae vulgaris s. lineae origine* (Hagae Com. apud Nic. van Daalen 1767, 8:0) p. 164 et 165. Etc.

<sup>7)</sup> Descripsimus etiam supra jam § VII, p. 30 et 31. Adponere autem hic integra lubet, quae operculi utriusque lateri

Postea faventiore usa fortuna, sequentibus sensim Bibliotheca nostra aucta fuit libris Mss.

2. *AETIOY* Αντιοχείως Ιατροῦ περὶ διαγνώσεως καὶ Θεραπείας τῶν νοσημάτων, λόγοι ἕξ, ἕισοτε νυν μὴ ποτε ἐκτετυπωμένοι. Τα περιεχόμενα ἐν ἀρχῇ ἐκάστου λόγου ἐκτιθεταί. Περὶ σταθμῶν καὶ μέτρων ὡς Πᾶνλος ὁ Αἰγινήτης.

*AETH* Antiocheni Medici de cognoscendis et curandis morbis sermones sex, hactenus nusquam unquam typis excusi. Quae in singulis sermonibus insunt, in principio cujusque habetur. De ponderibus et mensuris ex PAULO AEGINETA. Ita inscriptio habet.

Codex Chartaceus, in Folio, constans foliis 313; e libraria Celeb. olim apud nos Med. Professoris *Eliae Tillylands* Bibliothecae Academicæ, initio hujus seculi, acquisitus; perspicue et diligenter, totus Graece, scriptus. Continet Libros sive Sermones operis Aëtiani VIII, IX, X, XI, XII, XIII; quorum librorum nihil, praeter *Octavum et noni*

adscripta visuntur. Alterum igitur habet: Daß diesen Aleoran ich unterschriebener an den wohlbeden und hochgelahrten Herrn Doctor Johan Gezelius für ein hundert Dr. R. Müntz verkauffet habe, attestire ich hiermit, und über die gemelte 100 D. R. M. gebührlidh quitire. Stockholm d. 18 Maji anno 1678 Johan Peter Kirstein m. p. Alteri, lateri adscriptum legitur:

Exurgat Deus et dissipentur inimici ejus, Antichristiani Muhamedani, et fugiant, qui oderunt eum, a facie ejus.

Parvum hunc librum

Maximae per orientem seductionis instrumentum,

ob raritatem vero

et scriptionis papyrique elegantiam,

in occidente semper in pretio habitum,

in septentrione rarius visum,

in Finlandia suae sortis unicum,

postquam

A:o MDCXXCI a. d. 29 Maji

Ignis et aquae pericula evaserat

Bibliothecae Acad. Aboënsis publicae

intulit

Jo. Gezelius J. F.

S. Th. D. et P. P.



*aliquot capita*, Graece typis vulgatum hodiedum exstare, eruditis notum est <sup>8)</sup>. Cum non tantum literarum forma scripturaeque facies doceat, superiore seculo aut paullo ante codicem esse exaratum, sed nec plures contineat libros quam quos primum Latine versos edidisse *Janum Cornarium, solorum illorum codicem Graecum MS. nactum*, testetur FABRITIUS <sup>9)</sup>, ex isto ejus codice nostrum profluxisse verisimile videretur, si argumentum etiam ejus rei ipse non ostentaret omni dubitatione superius, Epistolam nempe ipsius *Cornarii* Imperatori *Carolo V* Latine scriptam, folio codicis nostri secundo comparentem, quam vel eo nomine subjiciemus integram, quod hosce eosdem libros Graece edere *Cornarium* constituisse ostendat; abjecisse autem id consilium, (de quo hactenus nihil rescivisse homines eruditi videntur), tum demum, cum reliquas etiam operis Aëtiani partes adeptus esset, probabile fit, quibus latine interpretandis edendisque operam eum postea dedisse, constat. Epistolae autem, cujus meminimus, exemplum tale est:

*Invictiss. Imperatori, clementissimo Caesari Divo Carolo Quinto p. f. semper Augusto, Janus Cornarius Zviccaviensis Medicus S. D.*

*Quemadmodum nuper Aëtium Antiochenum Medicum Graecum in latinam linguam a nobis conversum sub Sacratissimae Majestatis Tuae nomine, atque adeo ex clementiss. magnificentia Tua orbi donavimus <sup>10)</sup>, nimirum quod tale mu-*

<sup>8)</sup> Cfr. FABRICIUS *Bibl. Graecae* Vol. VIII p. 318 sqq. HAMBERGER *Zuvers. Nachr. Th. III* p. 283 sqq. Nempe primi tantum VIII Libri prodierunt Venet. 1534, in aed. haered. Aldi Manutii et Andreae Asulani, Fol.; et noni *aliquot capita* in JO. ERNESTI HEBENZTREIT *Tentam. Philol. Med. super Aëtii Amideni Synopsis Medicorum veterum libris octo etc.* Lips. Breitkopf, 1757, 4:o.

<sup>9)</sup> l. c.

<sup>10)</sup> Non indicat FABRITIUS, quo anno manca haec Latina Aëtii versio a *Cornario* edita sit; paullo vero ante annum 1532 prodiisse, hinc liquet. Integri operis interpretatio ab eodem perfecta, Bas. 1542 Fol. prodiit, ubi *Jo. Bapt. Montani* versio omnium Librorum Aëtii a. jam 1535 Fol. lucem viderat.

nus esset quod nonnisi a summo Imperatore et maximo ac clementissimo Caesare in mortalium usum ac utilitatem pervenire decebat: ita etiam nunc eundem Graecum et sua lingua loquentem per Majestatis Tuae clementiam et auctoritatem publice evulgamus, bona spe ducti, ut ejus operis immensa commoditas, velut donum a clementia Tua profectum, ab omnibus pro dignitate excipiat. Neque enim me tanti laboris unquam poenituerit, quem tum in Graeco suae integritati restituendo<sup>11)</sup>, tum in latinum convertendo impendi, si sacratiss. Majestas Tua hoc meum factum boni consulat nec improbabit, per quod Majestas Tua humanum genus omne obnoxium Sibi faciet<sup>12)</sup>. Id quod tum me sensisse ac intellexisse profitebor, ubi clementissima Majestas Tua me ad alia etiam medica opera quae in manibus habemus absolvenda et in lucem edenda Majestatis suae gratia clementer tuebitur et fovebit. Valeat sacerrima Majestas tua. Zvicavii Boetulantiae<sup>13)</sup>, Calendis Septembribus, Anno Christi MDXXXII.

Susplicari quis possit, nostrum codicem esse ipsum illud exemplar quod *Cornarius* adornaverat, preloque subjiciendum paraverat, quodque in Germania *Tillandsius* acquisiverit, ac secum, ex peregrinatione sua rediens, huc adduxerit; sed nihil affirmamus<sup>14)</sup>. *Antiochenum* falso *Aetium* nostrum, pro *Amideno*, vocari, apud eruditos jam in con-

<sup>11)</sup> Itaque criticam etiam *Aetio* nostro *Cornarium* praestitisse opem, patet; de qua tamen, cum aliud nullum operis hujus Aëtiani exemplar videre nobis contigerit, judicare nihil valemus.

<sup>12)</sup> Magnifice *Cornarium* de *Aetio* ac de hac opera sua, sensisse, mirum videri debet nemini, qui non ignoraverit, inter reformatores eum Scientiae Medicae in Patria sua fuisse, atque Medicis Arabicis et barbaris remotis, Graecorum laudem atque usum propagare diligenter studuisse.

<sup>13)</sup> Vox lectu nobis difficilis. An *Voigtlandiae*?

<sup>14)</sup> [Hanc conjecturam fundamento destitui postea reperimus; operculo enim adscriptum nomen *Arvidi E. Reuther*, Finlandensis, ad eum olim pertinuisse docet, ipseque *Tillandsius* ibidem significat: ex donatione *Ernesti Grabbe Karelii*, Praefecti in *Aminne* sibi accessisse, d. 28 Julii a. 1692.]

fesso est. Quod e *Paulo Aegineta*, nostro adjectum reperitur opusculum, (pagg. codicis nostri 614—617), de *Ponderibus et Mensuris*, ex VII:o sumtum ejus est Libro, *Compendii Artis Medicae*, cujus editionem Basileensem (ap. Andr. Cratandrum 1528 Fol.) Bibliotheca nostra Academica possidet.

**3.** PAULI JUUSTEN, Episcopi quondam Aboënsis *Explicatio* (s. ut ipse habet *Fragmenta in explicationem*) *Evangeliorum Dominicalium et praecipuorum festorum, ut vocant, (vulgo Postilla)*, Latine conscripta. Codex Chartaceus in 4:o. Ipsum Auctoris esse autographum putatur: neque forma literarum repugnat. In fine deesse aliquid videtur, aut male certe liber tractatus est. Dedicatur *Honorabilibus juxta ac discretis viris Dominis Ecclesiarum Pastoribus, Sacellanis et aliis quibuscunque verbi Dei Ministris Finlandensibus*. Epistolae huic subscriptum legitur: *Paulus Juusten Episcopus Aboënsis haec in Metropoli Muscovitarum Anno Domini 1570, Deo adjuvante conscripsit* <sup>15)</sup>. In illa praefatione, cum breviter conditionem depingit Religionis in Finlandia *ante 36 aut circiter annos* (tempore Papistico), et mutatam ejus faciem per reformationem, Rege *Gustavo I* duce perfectam; tum consilium suum libri hujus conficiendi exponit, monitaque Sacerdotibus subministrat, et praecepta officii sui sapienter ac diligenter administrandi, praeclara. Docet se, cum haec scriberet, *ante 33 annos ad sacros ordines et Ecclesiae ministerium assumptum* fuisse, et *19 aqi annum postquam Episcopi munus sibi concreditum* esset. Pro tempore quo scripsit, liber non male compositus est, ac cum de eruditione, tum de pietate et diligentia Auctoris haud dubia praebet testimonia <sup>16)</sup>.

<sup>15)</sup> De infelici hoc itinere Russico qui plene edoceri cupit, consulat: *Narrationem* ejus propriam *de hac sua Legatione*, quam Dissertat. Academ. a. 1775 hic edidimus.

<sup>16)</sup> Quaedam de hoc opere, ejusque methodo et pretio habet Cl. M. *Ericus Tulindberg* in *Historiola Concionum Sacrar. Fennicarum*, Diss. Ac. A:o 1781 hic Aboae edita, P. pr. § III; etiam ib. § II not. e).



4. Codex chartaceus in 4:o, foliis constans 199, varia continens, ad res et jus patriae etc. pertinentia. *Primo* loco comparent *Constitutiones Academiae* (Upsaliensis) a R. *Gustavo Adolpho* a. 1625 sancitae. Deinde alia quaedam subjunguntur *Edicta Regia*; ut: 2 R. *Eric XIV:s Höff=Articklar* (qui in collectione *Schmedemanniana* Kongl. Stadgar — angående *Justitiae* och *Executions=ärenden* r. typis vulgati leguntur, p. 34); 3 R. *Göstaffs Gårdz=rätt*, (*Schmedem. I. c.* p. 15); 4 R. *Göstaffs Stadga med Riksens Råd besluten i Wexiö* (IX tantum articuli, cfr. infra p. 113, n. <sup>11</sup>); 5 *Then ordning som gjordes i Wästeråhs A:o 1520* (1527, v. *Baazii Inv. Eccl. Sviog.* p. 223); 6 R. *Johans Gårdz=rätt* (*Schmedeman* p. 43); 7 *Rrigarticklar* uti R. *Johans tidh* gjorde och brukade, och af — R. *Karl öffwersedde och förbättre* uti *Sköfde then 5 Maji a. D. 1599*; 8 R. *Carl IX:s Höf=Articklar* (*Schmedeman* p. 85); 9 R. *Carl IX:s Gårdz=rätt* (ib. p. 95, ubi tamen *Prooemium* desideratur, quod in nostro est codice). Art. 43 etc. def. 10 *Then Swenska Sjörett och Skep=Articklar* (v. infr. p. 113, n. 20); 11 R. *Carls (VIII) Höffarticklar* (Vid. *Hadorphs Bih. til Biärköa rätten* p. 49); 12 R. *Carls Hampne Skrå*, cujus tamen *Articuli XIII—XXIII* desiderantur; 14 *Formulae et consilia varia Medica et Oeconomica*, circa medium superioris seculi collecta, inepta pleraque, pro more hujusmodi collectionum, et vana; 15—25 *Literae quaedam Regum Gustavi I, Johannis III et Caroli IX*, ad res *Ecclesiasticas* pertinentes, et maxime ad *Sacerdotum* reditus confirmandos; 26, 27 *Literae binae Episcopi Aboënsis* <sup>17)</sup> *Erici Erici F. ad Clerum*, Latine scriptae, (altera data, ut subscriptio habet, ex *Tusculano nostro Sorola, XII Cal. Sept. A:o Chr. MDXCI*, altera *Aboae d. 26 Martii A. 1595*); 29. *PAULI JUUSTEN Episcopi Aboënsis Catalogus et Ordinaria successio Episcoporum Finlandensium*; cujus prima pars, ab initio ad XX usque *Episcopum* (*Magnum Nicolai de Särkilax*) manu *Henrici Isaaci F. Brenneri*, scripta est, anno,

<sup>17)</sup> In priore vocat se: *Ericum Erici, Divina Providentia Episcopum Aboënsis*; in altera additur: et *Wiburgensis*.

ut ipse indicavit 1650, posterior vero, a nominato modo Episcopo seriem persequens, antiquioris scriptoris, auctori- que aetate proximi, manum ostentat, ejusdem ut videtur, qui nomen prodit suum in annotatiuncula vitae Episc. *Arvidi Kurck* subjecta; ubi nempe Auctor Chronici mentionem injicit *Johannis Westgothi, Praefecti reddituum Episcopatum*, post obitum Episcopi constituti, hanc notam, lepidam sane, eadem manu qua textus exaratus est, subscriptam, in nostro exemplo reperire licet: *Eo tempore quo ego Michaël Stuuth eram in servimine Joannis Wesgoti in Wexö, ab illius ore audiivi verba talia. Tå jag war i Biscops stad, så upbar jag någre penningar aff presterne för theras wächte barn. Som jag kom fram för R. Göstaff med the penningar, så sporde han hwad penningar the sculle wara? Jag sade hwarföre the woro upburne aff presterne. Swarade Konungen: medan the penningar äre hijt komne, så må the här wara; men här efter skal thet icke så skee, utan prester scola haffwa theres ächta hustrur. In fine adjecit rursum Brennerus Episcopos XXVII Paulum Justen, et XXVIII Ericum Erics, de quo annotat eum inaugu- ratum fuisse d. 8 Sept. a. 1583. 30—32 Isaaci Brenneri Pa- storis in Stor-Kyro Concio S. quam habuit Wasae, cum huic natali suo loco valediceret, ad curam dictae Ecclesiae Kyroënsis capessendam abiturus, cum duobus aliis (eju- dem?) opusculis homileticis, Fennice conscriptis. 33 R. Gustaf Adolphs Privilegier för Ridderskapet och Adeln, gifne Nyköpings Slott d. 10 Jan. 1612 (l. 8 Oct. 1617). 34 R. Gustaf Adolphs Rigs-Ärtidlar; quorum tamen initium, ad Articulum usque 29, desideratur. Codicis hujus Brenneriani partes antiquiores, olim, ante eum, ad Pastorem aliquem Eccl. Alandensem pertinuisse videntur, in cujus usum particu- larem collectas fuisse, non obscure produunt.*

5. Utförlig Beskrifning öfwer *Hartziske* Bergwården och de derwid brukelige Boof- och Hytte-Processer, efter egen erfarenhet uppsatt af HERMAN DIEDRICH SPÖRING *Med. Doct. et Prof. Aboëns.* Volumen chartaceum in folio, nitide scrip- tum et compactum. Dono Auctoris Bibliothecae nostrae

accessit<sup>18)</sup>. Capitibus constat XV, quorum indicem adponemus. I. C. Om Hårzen i gemen. II. C. Om grufworna på öfre Hårzen. III. C. Om grufworna på nedre Hårzen och Kammelsberg. IV. C. Om Boof- och Wasf-wårken. V. C. Om Schlichtens råstande. VI. C. Om Råst-smältningen. VII. C. Om Silfwerdrifningen. VIII. C. Om Frisch-glötens upsmältande til bly. IX. C. Om Silfwerbränningen. X. C. Om Wynthwåsendet på Hårzen. XI. C. Om Steinsmältningen och drifningen, samt deraf tilgörande Koppar. XII. C. Om Rießsmältningen wid Lautenthal. XIII. C. Om Kopparsmältningen wid Lautersberg. XIV. C. Om Fårnwårken på Hårzen. XV. C. Om Kammelsbergiske Hytte-Processen. Opus Tabulis XX illustratur auctoris manu pulchre delineatis; praeter computationum et rationum tabulas plurimas, partim scriptas, partim typis expressas atque volumini huic adjectas.

**6.** Codex Chartaceus in Folio, constans foliis 217, quam Bibliothecae nostrae dono dedit Ampl. *Myrin* (cf. supra § XXIV p. 84). Continet 1:o Konung Göstoffs Chrönika. Illud nempe Chronicon, cujus auctorem esse Viri eruditi docent Episcopum quondam Arosiensem *Petrum Andreae Nigrum* s. *Swart*; quod comparatio nostri exempli cum notis a Nobiliss. a *Celse*<sup>19)</sup> diligentissime traditis, manifestum fecit. Inprimis cum exemplo quod possedit Reverendiss. Archi-Ep. *Er. Benzelius*, F., exacte nostrum convenit (l. c. p. 7). Caeterum diligenter scriptum est, ac integrum. 2:o Acta conventus inter Commissarios Svecicos et Danicos in Hallandia, prope urbem Kongsbacka, ad *Flakebäck* (vel *Flakesjöbäck*) et *Vombedaal*, A:no 1591, diebus 12—17 mensis Augusti, instituti, ad tollendas quae in-

<sup>18)</sup> Fronti adscriptum, Auctoris manu, legitur: "Thetta mit ringa Ungdoms arbete consacererar jag Kongl. Academiens Bibliothek i Åbo. H. D, Spöring." Conscripserat nempe hoc opus, cum peregrinaretur in Germania, circa a. 1725, cumque metalli hujus accurate cognoscendi, iis ipsis locis commorans, occasionem haberet locupletissimam.

<sup>19)</sup> Vid. Cel. GJÖRVELL Kongl. Bibliothekets Handlingar, 1 Band. 1 Del, p. 6 sq.



ter utrumque Regnum post pacem Stetinensem obversatae sunt lites ac querelas. De quo conventu altum est apud Historicos nostros silentium. Danici meminerunt (Cfr. *Gebhardi Gesch. der Königr. Dännemark b. Norm. II Th. p. 920*). Nihil autem, ut saepe alias, hic peractum. Legati nominantur: a parte Svecica *Christer Gabrielsson (Oxenstierna) til Steninge, Bengt Ribbingh til Fremiestad et Jöran Erichsson (Ulfsparre) til Öijeridt*, (de quibus cfr. *STIERNMAN Höfd. Minne, I D. p. 132, 294 et 243*); a parte Danica *Nils Kaas til Torupgaard, Jörgen Rosencrantz til Rosenholm et Manderup Parsberg til Hagesholm*. 3 Thenn Handell Her Truidt Ulfztand gjorde i Stockholm anno 1534; quod scriptum impr. legitur apud ER. TEGEL R. Gustaffs Historia, Part. II p. 13 seqq. 4. Tituli quidam Legis Municipalis, qualis comparet in editione a. 1618, R. *Gustavi Adolphi* auctoritate munita. 5. Salige Konungh Erichs then fiortondes Historia. Cujus quis sit auctor, ignoro. Initium autem hujusmodi est: Anno 1560 Michaelis dag uthi Stocholm affomprade i Gudi den Storchmechtigste Högborne och widtberömda Furste och Herre Her Göstaff, Sweriges, Göthes och Wendes Konung. Ther wore när Högte Hans R. Mst:z älfkelige kähre barn &c. Persequitur gesta Regis ad finem anni 1563 (d. 22 Dec.). Finit hoc modo: Sedan nu Claudius Collard hade bekommet för:de Slott och stad ihu, och Borgerne med underfäterne hade sworit och handgangit, och endogh derpå sendt giflen ifrå sig, så gaf för:de Claudius sig til säkerheet, trodde wißerligen at samme Ceder skulle hollas. 6. *Olai Petri*, förste Ryrkioherdes wid Stora Ryrkan i Stocholm, *Swänfska Chronica*. Exemplum mancum, quod initio anni 1303 deficit. 7. Wästeråhs Recess de A:o 1535 (idem videtur esse edictum, quod apud *Schmedemannum I. c. p. 1* vocatur: *Westerås Stadga af år 1528?* ubi tamen non nisi 18 articuli habentur, qui hic numerantur 23). 8 R. Johans Ordinantia om hoorsaker, djurskjutande &c. (*Schmedem. p. 67*). 9. Hertig Carls — förnämste beswåringar emot någre af dem som uti Riikfens Rådth hafwa brukade warit &c. (Impr. apud *Werving Bihang til R. Sigismunds och R. Carl IX Historier, p. 157*). 10 R. Erich Magnussons (I. af Pommern?)

4 Articklar, som han och Riksfens Rådhs stadgade i Stockholm år efter Gudz börd 1407 å S. Catharinae dagh. 11 R. Göstuffs stadga med Riksfens Rådhs och Ständernes beslut i Wexjö, articuli X. (*Schmed.* p. 6 vocat Nyköpings recess, 1537). 12 R. Gustaf Erichsons Gårdzrätt d. 5 Mart. (*Schmedem.* p. 15 d. 16 Oct.) 1544. 13 R. Erich XIV:s Gårdzrätt. (*Schmed.* p. 34). 14 R. Carl IX Gårdzrätt. (*Schmed.* p. 95). 15 R. Magnus (Smefs) Gårdzrätt (vid *Hadorph* Bih. til Biarköa rätten, p. 8). 16 Om Cronones ägenom som henne blef tillagd uti R. Magni — tid, A:o 1282; de famoso illo Decreto Comitiali Helge Andz Holms beslut. 17 Rafot om jordesaker märkiande; ignoti auctoris. 18 De varia ratione monetæ Svecicæ, ad annum usque 1482. 19 R. Johans Krijgz Articklar; jam indicati supra p. 109, n. 7. 20 Then Swenske Sjörrätt och Skips Articklar, uti Stockh. d. 20 Jun. 1570 — sammanfatte, och af — Hertig Carl — förbättrade. 21 R. Carl IX:s Huuse Shus ordning. 22 Förspråk til Sveriges Ragh; qualem typis editam non memini me vidisse. 23 Annotationes quaedam Juridicæ. 24 R. Gustaf Adolphs resolution och förklaring på de puncter som H. R. M:t äro af den R. Hofrätt öfwerantwardade. Stockh. d. 14 Jun. 1615 (*Schmed.* p. 163). 25 Varia scita et responsa juridica. 26 R. Gustavi Adolphi Privilegia Academiae Upsaliensi data, d. 25 Jun. 1625. 28 Een ny Regeringz forma, dat. Stockholm d. 3 Nov. 1660. (*v. Stiernmans* Riksdagars och Mötens beslut x. II Del. p. 1340 sqq). 29 Riksfens Stadga som kallas Calmare recess, hwilken stadgad blef uti Calmar S:te Bartholomæi afton A:o 1483 (*Hadorph* p. 59).

Sequuntur Codices quos Bibliotheca nostra singulari munificentiae debet Illustriss. R. R. Senatoris L. B. *Caroli Hermelin* (cfr. supra § XXVII p. 90).

7. Codex chartaceus in folio, Germanice scriptus. Res continet Prussicas, ab anno 1511 ad 1529 gestas. Expensis iis quae de *Simonis Grunau de Tockelmit*, Monachi Dominicani, *Chronico* rerum Prussicarum typis nunquam vulgato, docet CRISTOPH. HARTKNOCH (Alt und Neues Preussen, Vorrede, fol. 8) illius partem esse operis credas. Polonis

favet auctor; Lutheranis infensissimus est. In *Tractatus*, ut vocat, opus suum dispescit. Argumenta Tractatum XX, XXI exacte cum iis quae indicat *Hartknoch*, conveniunt. Sed dicit ille, Tractatus Chronici esse tantum XXII; noster vero Codex Tractatus XX—XXIV ostentat: ille opus a. 1521 Sigismundo I Regi Poloniae etc. dicatum esse dicit; noster codex res anni etiam 1529 persequitur. Fortassis igitur *Grunau* Chronicon suum postea continuavit; de quo judicent alii, quibus occasio ejus rei ac facultas commodior est. Quia rarus tamen Codex est, paullo contenta illius diligentius exponemus. Initium tale est: Der XX Tractat sagt von der refung zum frige von wegen der brueder auff den Konhng Sigismundum und sehnes volkes yn Preussen, mit allem vormege. Ipse deinde textus, filum narrationis hoc modo continuat: Brueder Wilhelm der do das lant regirte und war Marschall. Dieser Wilhelm graff vom Eysenberge auff Konsperg im tage der heyligen konynge vorsamelte sehne brueder und sprach: Riben Herrn, Got uns durch den unschuldigen tot unfers erlauchten fürstens unsern anslag vorstürt hat etc. Hic tractatus ad annum usque 1519 progreditur, et in Capita divisus est 28. Tractatus XXI: i inscriptio talis est: XXI Tractat sagt vom frige genanth der Francken frig, von Francken yn ritten, yn fürten unde yn lange zeit herzlichen begerten, aber yn zu clehnen fromen. Habet Capita 33. XXII Tractatus inscribitur: XXII Tractat sagt vom stande des landes zu Preussen des Konhngs von Polen Sigismundi, des Homesters Alberti, under der zeit als sy ehne unseligen behfride IIII iar lang mit eynander hatten, welcher behfride erst leben, gut und sele vor dampfte von neyhde auff einander der obene genannten eynwoner. Res persequitur annorum 1521—1524; Capita 30 habet. Tractatus XXIII inscribitur: Der XXIII Tractat sagt vom stande des landes als man nu sich vormehnte eyn ewigen bestendigen fride ein zu setzen, dy fegerch Lutheri zu vertilgen etc. Annus 1525 complectitur Capita 21, et annus 1526, Capita 39. Tractatus XXIV inscribitur: Der XXIV Tractat sagt vom stande des landes zu Preussen als es nu war under sehnen namlichen und ursprunglichen einigen Herrn den Herrn Sigismundo, Konynge zu Polen.



Habet Capita tantum 12, sed in fine mutilus est, plurimaeque folia chartae purae volumina adjecta conspiciuntur. Lectu codex facillimus non est, nec scriptionis aut chartae nitore commendabilis. Caput 21 anni 1526, his inchoatur verbis, quae quia ad Patriae nostrae res pertinent, adponenda judicavi: So woren auch yn Dantzfa (Dantisci) konyngliche botschaft von Schwedynn, und diße brochten bewehs wy dy cron von Polen ir (Dantiscanorum) beschütz Herre were, und der dinge vil, und begerten von R. M. von Polen dy Dantzker wulsten sagen ob auch h dy Schweden widder dy cron von Polen gethan hetten yn allen frigen dy man auf si gefärt hette. Dy Dantzker sprachen neyn, und sy es nit funden noch wusten von yn. So hub der legat des Konyngs von Schweden an und vorzelete dy grose ungetrew der von Dantz, wy sy mit yn gehandelt hetten yn vorgangenen frige den der Konyng von Danemarg auf Schweden gefürt hatte, und solche dinge vile. Sunderlich sy clagten und dy Schweden mit groser muhe und unkoft hatten eyn schiff von Lubeke abgefurth mit haken, hautbuzen, pulwer und kugeln mit andern friges gewer, yn kostende XVC tausent gulden rehnisch, welches yn hetten genommen dy Dantzker an alle entsagung und zu vorsche eyne solchen und es gepartehet hatten. Uber welches man bete ehnen restitucion umb der gerechtigkeit willen. Und R. M. von Polen sich mit den seynen wol und lange bedacht und sprach den Schweden zu funffzig tausent gulden rehnisch hm iare zu geben.

**8.** Volumen chartaceum in Folio, nitide scriptum, continens partem *Historiae Polonicae* JOHANNIS DLUGOS s. LONGINI; acta nempe annorum 1407 (secundum ordinem nostri Codicis 1406) — 1444, aut particulam Libri X, Librum XI integrum, et partem Libri XII. Finit ubi Tomus prior Editionis Lipsiensis anni 1711; cum qua de caetero codicem diligentius conferre non vacavit. Neque Auctoris nomen usquam comparet, nec titulus libri; nisi quod operculo impressum legitur: *Tercia Pars Chronice Polonice.*

**9.** *Tractatulus contra Cruciferos.* Codex membranaeus in *Quarta* forma, foliis constans 55, nitide scriptus. Initium tale est: *Serenissimo Principi et domino Kazimiro*

*dei gratia Regi Poloniae Ericus Sbignei de Gora humile obsequium salutesque plurimas dicit. Qui auctor mihi ignotus est. Regem vero recte ac pie bellum contra Cruciferos gerere, nec ab eo persequendo consilio se abduci, quorundam dubitatione et objectionibus, pati debere, rationibus et testimoniis demonstrat e S. Scriptura, Patribus Ecclesiae et Jure Canonico petitis; fraudesque et injurias explicat quibus Prussiam Equites Cruciferi suae ditionis fecerint Polonosque saepe graviter laeserint. Conclusio autem est hujusmodi: „His igitur scriptis finem imponere cupiens, „supplico Serenissime Majestati tuae Rex gratiosissime, ne „quis scribat sed quid scribatur, attendas. Verum tamen „haec scripta dominis et patribus meis decretorum doctoribus, et signanter venerabili viro Johanni de Dabrowka „sacre theologiae decretorumque doctori eximio fautorique „meo gratioso, corrigenda submitto. Ceterum allegationes „juridicas hic expresse posui, non curans breviationes „minorum in facultate juridica scribentium, cupiens ut eo „facilius per quemlibet legentem intelligeretur. Explicit „tractatulus contra Cruciferos Regni Poloniae Invasores.“ Ex quibus omnibus et consilium et aetas auctoris satis patent.*

**10.** ANNEI LUCII SENECE *ad Lucilium liber de quaestionibus naturalibus.* Cui subjuncti sunt: *Annei Lucii Senecae Libri ad Novatum, Senecam, Meli (Melam) filios, declamationum.* Codex membranaceus in Folio, eleganter scriptus. Aetatem codicis subscriptio indicat: *Annei Lucii Senecae declamationes expliciunt scripte Constanciae tempore Concilii generalis sub anno domini 1418.*

*Naturalium Quaestionum* opus in Libros VII, ut edita exempla, divisum est. Liber I (qui hic inscribitur *de metrologicis impressionibus ignitis*) et II (*de tonitruo et fulgurationibus*) nihil ostentant a vulgari ratione diversum; sed III:o Libro (*de aquis frigidis vel calidis*) subjicitur sectio peculiaris, hujusmodi rubro distincta: *Incipit de grandine*, quae continet IV:ti Libri, qui vulgo numeratur, caput 3 et seqq. ad finem libri. Libri nostri Codicis IV, (*de ventis*)

V (*de terrae motu*) et VI (*de cometis*), sunt editorum exemplorum V, VI et VII; nostri VII:us continet Praefationem atque Cap. 1 et 2 Libri IVti editorum, ac inscribitur: *Quare Nilus crescat estate*. Neque optimae caeterum notae Codex est, a librario indocto scriptus; qui de libro vel intelligendo vel emendando sollicitus haud fuit.

Quae *Declamationes* Senecae in Codice nostro vocantur, *Epitomen* esse reperi sive *Excerpta ex X Libris Controversiarum M. Annaei Senecae*; quibus excerptis Prologi Librorum I, II, III, IV, VII et X suis locis inserti sunt.

**11.** M. TULLII CICERONIS *ad Quintum fratrem de Oratore Libri III*. Codex chartaceus, eleganter scriptus, Folio. Etiam hujus codicis aetatem librarius adnotavit, hac adjecta rubro sententia: *Scriptus Bononiae anno Domini incarnationis millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo*. LEVASU. Fini subjectum legitur: *Ex porta sancti felicitis Bononiae*. Turpissimis etiam hoc exemplar mendis foedatum, pro more, reperitur; Charta firma et pulchra exaratum.

**12, 13, 14.** *Ejusdem M. TULLII Orationes* plerasque complectuntur superstites. Codices membranacei, in Folio. Literarum forma et ductus, paullo licet negligentiores nec lectu aequae faciles, Codici X supra descripto, aetate sup-pares esse indicant.

Primum volumen Orationes continet: *de Provinciis Consularibus*; *pro P. Quintio*; *L. Flacco*; *P. Sextio*; *Cn. Plancio*; *Archia Poëta*; *post reditum in Senatu habitam*; quam antequam iret in exilium habuisse fingitur; *pro L. murena*; *A. Cluentio*; *in Vatinius*; *Q. Ciceronis libellum de petitione Consulatus ad M. fratrem*, et *Librum de Synonymis ad L. Veturium*, Ciceroni falso attributum.

Secundo volumine continentur: *Epistola* (s. *Declamatio*) *ad Octavium*, qua Remp. oppressam ipsi exprobrat, Ciceroni male tributa; *Ciceronis Epistolae II ad P. Lentulum* (*Epistolar. ad diversos Lib. I Epist. 1 et 9*), posterior tamen initio truncata; *Orationes pro Roscio Amerino, Rege Dejotaro, Q. Ligario, M. Marcello, Lege Manilia*, quae hic inscribitur: *pro imperio Pompeji contra Mitridatem*) pro T.



*Annio Milone, ad Quirites post reditum (initio trunca), pro P. Sulla, pro Domo sua ad Pontifices, pro M. Caelio, pro L. Cornelio Balbo, in Vatinius, de Haruspicum responsis.*

Tertium volumen exhibet: *Orationes Philippicas I, II, III, IV, V* (capita tantum I—II, ac initium capituli 12, cui assutum est Orationis Phil. VI:tæ caput 7 sive ultimum, hoc etiam initio mutilatum), *VII, VIII, IX, X, XI, XII, XIII, XIV; in L. Catilinam I, II et III:m; in C. Sallustium Crispum Responsio, Ciceroni falso attributa; C. Sallustii (suppositicia) in M. T. Ciceronem oratio.*

Ex his tam novis codicibus, post tam acrem in scripta Ciceronis repurganda insumtam diligentiam, criticae opis ad ea porro emendanda sperari nihil posse, facile intelligitur: qui aliis tamen nominibus, criticae ac litterariae rationis cognitionisque studiosis et curiosis, utilitate carere et pretio eximio haudquaquam videri debent.

**15.** FRANCISCI PETRARCHAE, *Poëtae laureati, quorundam clarissimorum heroum epythematis* (Epitome), *ad Generosissimum Patavi Dominum Franciscum de Carraria.* Vita continet virorum XXIII illustrium (XIV tantum habet HAMBERGER Zuverlässige Nachricht. etc.; mihi exemplum aliquod typis expressum l. hujus l. Omnium Operum Petrarchoe inspicere ac cum nostro codice comparare, non contigit); quarum quae postremo loco comparet, *Historia C. Julii Caesaris*, reliquas omnes junctim sumtas mole superat.

Subjunctum est opus JOHANNIS BOCCACII *de Certaldo, de Casibus virorum* (et foeminarum) *illustrium* (Libri IX), *ad generosum Militem Dominum Machinardum de Cavalcantibus de Florentia, preclarum Regni Siciliae Marescallum.*

Codex Membranaceus in Folio majore, eleganter scriptus. Opus utrumque hominibus eruditis non incognitum est; quamobrem plura addere nihil attinet.

**16.** *Moralia beati GREGORII* (Magni, Papae) *super* (librum) *Job, in XXXV Libros conscripta.* Codex membranaceus, non ineleganter scriptus, in Folio. Praemittitur *Registrum* Alphabeticum (sed altera dimidia parte mutilatum), et Series Capitulorum quibus singuli Libri constant,

nec non *Visio que per totam Hyspanniam scripta invenitur in principio Moralium beati Gregorii Pape.*

**17.** Idem Opus. Codex chartaceus, in Folio majori; literis initialibus Librorum singulorum, (maxime Libri primi), pulcherrime pietis; non male scriptus, licet ob compendia scripturae frequentia, lectu non facillimus. Praemittitur *Visio docens qualiter Moralia b. Gregorii venerunt in Hispaniam.* Subjungitur Index locorum singulorum S. Scripturae in opere explicatorum, secundum ordinem Librorum Sacrorum dispositus, et duplex index Alphabeticus materiarum explicatarum. Ubi textus finit, adscriptum legitur: *Moralia . . . scripta in Lipzk feliciter.* Registri materiarum prioris fini adjecta haec sunt verba: 1468. *Gregorii scripta Praesulis moraliter dicta, Sunt nunc depicta, Pecunia nulla relicta. Anno LXVIII.* Concinit subscriptio secundi registri. Operculo autem voluminis adscriptum reperitur: *Liber Magistri Thome Wernheri de braunszbergk. In studio Lipzensi comparatus anno D:ni 1468. T. W. d. B.*

**18.** Codex membranaceus in 4:o, continens:

1. *Memoriale Reverendi Patris D:ni Jacobi de Columna, Sancte Marie in Vialata Diac. Card. de Praerogativa Romani Imperii.* Ita rubrum habet. Auctor hic, sive ipse *Diaconus Cardinalis*, sive ad *Diaconum Cardinalem* sanctae Mariae in Vialata scribens, (mihi enim non constat: posterius inde colligas, quod in Praefatione aliquem magnae in Romana Ecclesia dignitatis virum scriptor submitte alloquitur; prius inde, quod dicat nomen se in rubrica expressisse suum), libellum JORDANI, quem *Canonicum Osnabrugensem* appellat, de *Praerogativa Romani Imperii*, vel operi suo inseruit, vel totum exscribens nihil ipse praeter brevem addidit praefationem. Nam neque *Jordanus* hic notus mihi est, neque opus suum: nisi idem ille haberi debeat qui *Jordanes Teutonicus vel Argentinensis vel de Saxonia* dicitur JÖCHERO (Allg. Gelehrten Lex.), quemque Eremitam Augustinianum Argentinensem fuisse docet, sub finem seculi vixisse XIII:i, et opusculum scripsisse de *translatione Romani Imperii ad Germanos*; quod sane argumentum in no-

stro etiam codice tractari reperitur, cujus auctor tempore Imperatoris *Rudolphi Habsburgici* se vixisse ipse praeterea testatur. Ex Praefatione haec adponam. „Mentes hominum „divinis informate virtutibus, omnem arroganciam et omnem „adulacionem naturaliter despiciunt; propter quod ut in „presencia vestre Dominacionis, sancte Pater, ego humilis „et penitus inexpertus arrogancie vicium declinem, nullatenus, etiam si scirem, intendere vellem ornatis sermonibus in hoc scripto, simplici narratione contentus. . . . . „Et ideo Paternitatis vestre benignitas, quam non simulatoris demulcet fallacia neque narrantis provocat simplicitas, non personam sed affectum scribentis respiciat, mee „indulgens imperfectioni et audacie, quem amoris impatien- „cia et zelus domus Dei tacere non permittit. Melius „enim puto ineptum aliquod vel incompositum promere, „dum tamen verum sit et utile, quam velud canis mutus „nichil loqui, . . . . Preterea, reverende Pater, ego superius „in rubrica nomen meum exprimo, non ad ostentacionem „vel jactanciam, ut quidam assolent, sed ut cognita scriptoris impericia, scripto fides adhibeatur duntaxat quatenus „constiterit ex ipsa rei evidencia vel ex scriptis autenticis „auctorum.“

„Nuper itaque vacante — <sup>20)</sup> sede per mortem sanctissimi patris Domini nostri Pape <sup>21)</sup> tercii, dum ego indignus peccator in civitate Viterbiensi sacramentum corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi conficerem, „habui pre manibus librum michi utique ad hec de capella „Romani Pontificis commodatum, et cum ad illum locum „canonis pervenissem, ubi sancta Ecclesia Katholica orare „consuevit pro Antistite et pro Rege ac aliis orthodoxis, „memoriam quidem inveni Antistitis, ut oportuit, sed Regie „dignitatis memoriam non inveni; neque hoc casu vel scriptoris negligencia factum esse arbitror, cum eundem defectum in libris religiosorum et secularium clericorum alias

<sup>20)</sup> Deest vocabulum; forte *Apostolica?* vel *Romana?*

<sup>21)</sup> Nomen excidit.



„tam in urbe quam extra, similiter invenissem. Quo ipso  
 „vehementer obstupui, qualiter olim dum auferendum esset  
 „vetus sacerdocium et novum inchoandum, illi qui tunc  
 „esse debuerant peculiaris Dei populus, videlicet Judei et  
 „eorum summi sacerdotes, ad eam devenerant demenciam,  
 „ut peccatis exigentibus in passione filii Dei veraciter pos-  
 „sent dicere, Regem non habemus nisi Cesarem; eodem  
 „modo timui et timeo, quod cum Romana Ecclesia ad eum  
 „statum pervenerit, ut etiam possent dicere, Regem non  
 „habemus nisi Pontificem, tunc talis tribulatio ventura sit  
 „in clericis, qualem antea venisse cognovimus in Judeis.  
 „Sed tutius puto esse tacere, quam de hac materia plura  
 „loqui. Unum tamen audeo adjicere, quod idem Deus qui  
 „creavit celum, creavit et terram; . . . Et quemadmodum  
 „Romanorum aquila una non volat ala, sic et neque Petri  
 „navicula inter hujus seculi procellas et turbines uno remo  
 „ducitur in directum; et columba que tantum unam habe-  
 „ret alam, non solum avibus celi, sed etiam bestiis terre<sup>22)</sup>.  
 „Nullum siquidem animal monstruosum ordinatam vel diu-  
 „tinam vitam habet. Hinc est quod ego quamvis penitus  
 „inscius et inexpertus, cum verecundia et tremore offerre  
 „presumo dominacioni vestre, sancte pater, quoddam scrip-  
 „tum viri doctissimi et venerandi Magistri *Jordani* Canonici  
 „Osnaburgensis, quod ipse ad petitionem quorundam ami-  
 „corum suorum, de prerogativa Romani imperii edidit, orans  
 „et deprecans dominum Jesum, ut in persona vestre pie-  
 „tatis et mee parvitatatis officium habeat versiculus ille in  
 „quo propheta orat dicens: jocundum sit ei eloquium meum,  
 „ego vero delectabor in Domino.“

Liber ipse *Jordani*, hujusmodi habet initium: *Multifarie multisque modis Dominus universorum in diebus sue carnis dignatus est honorare Romanum imperium*, etc. Post sex folia perlecta, haec offendas verba: „*Caveant ergo Romani et eorum Pontifices, ne peccatis et culpis exigentibus,*

<sup>22)</sup> Deesse quaedam verba, patet; *praedae cedit*, vel tale quid.

„justo Dei judicio imperium ab ipsis auferatur. Caveant  
 „nichilominus Presules et Principes Germani, ne ipsi per am-  
 „bicionem temporalis potestatis jura sibi et possessiones im-  
 „perii vendicent et usurpent . . . . Verum necesse est quia  
 „tantus ardor dominandi cor eorum excecavit, ut nec facere  
 „velint veritatem quam noverunt, nec ab aliis audire quam  
 „ignorant, sicut scriptum est: Oculos habent, et non vident,  
 „aures habent, et non audiunt etc. *Explicit Tractatus Ma-*  
 „*gistri Jordani.*“ Quae igitur sequuntur: „Sunt quidam hu-  
 „jus temporis Clerici et laici subditi et prelati, qui annales  
 „principum et gesta veterum ignorantes, et Gallicorum Ger-  
 „manorumque, Francorum et Francigenarum originem . . etc.“  
 videntur auctoris esse ejusdem qui Praefationem scripsit;  
 nisi verba ista: *explicit Tractatus M. Jordani* male huc  
 irrepsisse credas; qua de re judicent, qui hos auctores ac  
 libros rectius cognoscunt. Bina praeterea loca adferam,  
 auctoris ejus qui porro disputare pergit; unum, unde aetas  
 sua elucet: *Novissime autem diebus istis, postquam imperium*  
*quidem per annos XXXII vacaverat, visitavit Dominus ple-*  
*bem suam et suscitavit ei Principem serenissimum D: num*  
*Rudolfum de hafcborg Comitem, in ejus electione concordii et*  
*coronatione sollempnissima . . . . sed ego ad describenda hu-*  
*jus victoriosi Regis magnalia manum retraho, quum ad hoc*  
*me insufficientem penitus recognosco. Ex predictis ergo om-*  
*nibus manifestum est, quod sicut Ecclesia Romana est eccle-*  
*sia Dei, sic utique regnum Romanorum est similiter regnum*  
*Dei.* Alter locus Praesulum Germanorum secularem pote-  
 statem praeclare sc. ita tuetur: *Presules siquidem Germanie*  
*non sunt illius vicarii qui relictis sindone nudus aufugit, sed*  
*sunt ejus vicarii qui dixit: Domine, paratus sum et in vi-*  
*tam et in mortem tecum ire. Et in tempore tribulacionis*  
*eduxit gladium, et amputavit servo principis auriculam, ut*  
*ostenderet quod ei caput libentissime amputasset. Ergo licet*  
*ipsi aliquando ad vocem ancille negent Christum, tamen fre-*  
*quenter resurgunt ferociores. Nichil enim inordinatum in opi-*  
*bus creatoris, et sicut est tempus pacis et tempus belli, sic*  
*etiam sunt homines ad pacem et homines ad bellum deputati.*

Finit liber hoc modo: „Deus autem omnipotens, cujus providencia corpus ecclesie disponitur et regitur, ita dignetur secundum suam voluntatem Regnum et Sacerdocium reformare, et reformata concordare, ut pacem habeamus diebus nostris, et sancta ecclesia et fides Katholica dilatetur et crescat ad laudem et gloriam nominis sui, qui est benedictus in secula seculorum Amen.“ Ex quibus omnibus, et ingenium et consilium auctoris, (commemoratu hoc sane haud indignum), satis intelligere licet.

2. *Sumpta ex libris illustris viri et clarissimi oratoris Egesippi historici.* Orationes nempe, ex *Hegesippi* qui circumferuntur *V Libris de excidio urbis Hierosolymitanae* excerptae; brevi passim interjecta, ad eas rectius intelligendas, rerum gestarum de quibus agunt, expositione. In fine collectionis hujusce legitur: *Egesippi illustris viri et clarissimi oratoris hic libellus historiarum de bello Judaico, sive de excidio urbis, elegantissimo stilo Rhetorice, primo ut quidam putant verisimile, Graja lingua conscriptarum, postmodum per beatissimum Ambrosium Mediolanensem, propter Oratorum scema, in nostri sermonis latini usum traductarum extracta et enucleata pars est, quam rethorice amator solerti scrutinio perlegas, inibique omnis resis practicam reperies etc.* Quae consilium scriptoris abunde illustrant. Codex non male scriptus est, licet abbreviaturis pro more scatens frequentissimis, lectu non facillimus reperiatur.

19. *Pontificale*, sive ordo rituum quos in officio suo obeundo Episcopus, ex more et decretis Ecclesiae Romano-Catholicae observare debet. Codex membranaceus, in folio, eleganter scriptus, ac figuris necessariis, margini adpictis, ornatus. Addita sunt excerpta quaedam ex *Pontificali Romano*; et in charta adnexa, de *Consecratione electi in Episcopum*, hujus caerimoniae ordo accurate traditus exhibetur.

20. *TIDEMANNI GISII de Regno Christi Libri III.* Codex chartaceus in folio, nitide scriptus, sine abbreviaturis, recentiorique literarum forma exaratus. Auctor ignotus mihi est; qui pariter nescio, an opus hocce in lucem unquam prodierit publicam, cui nec destinatum adspiciendae,



certo quidem consilio, fuisse, auctor innuit. Historiam quandam exhibere administratae oeconomiae salutis, atque plenum ita simul quoddam totius doctrinae Christianae systema, apte congestum concinnare, hoc opere instituit; quare *summam doctrinae christianae, ordinem dispensationis divinae, ac veluti corpus historicum, quo ratio Christianae pietatis tota constet*, sese tradere, ipse passim significat. Liber I capita habet 72, II:s capita 62, III:s capita 54. Argumenta capitibus singulis praemittuntur, quae *ita sibi cohaerere* in praefatione auctor monet, *ut si contextim legantur, totius operis reddant epitoma*. Praeter diligentem praemissam operi *Praefationem*, ac in fine subjunctam *Perorationem*, adjecta etiam occurrit longior *authoris* pro his libris suis *Proclesis*, egregie adornata, perlectuque dignissima. Totum opus auctorem prodit ingenii acuti, elegantis et liberi, doctrinaeque pulchre culti; sed linguarum tamen sacrarum non satis locuplete adjutum peritia. Reformationis vixisse seculo, ac religioni adhaesisse Romano-Catholicae, verum liberaliter, et iudicii etiam proprii usu sibi reservato, apparet; peculiaribus etiam quibusdam, sed modeste, indulsisse reperias, opinionibus. In Paradisi descriptione Mosaica, allegorias quasdam quaerit; de Persona Christi sententiam fovet ad Arianismum inclinantem etc.

Codex noster in auctoris ipsius fuisse possessione videtur; quod emendationes docent atque additiones, alia quidem manu, sed sibi ubique simili, passim adscriptae et adjectae, in quibus auctoris ipsius curam cognoscas et diligentiam.

Non permittunt ratio limitesque instituti, ut diligentius librum recenseamus; quaedam tamen, e Praefatione, Peroratione ac Proclesi, quae auctoris et consilium, et ingenium, et doctrinae rationem cognoscenda praebeant, excerpere visum fuit. De forma igitur vulgaris, suo tempore, Theologiae, in Praefatione dicit: „Quo magis perspicuum fit, quantum praestiterit ignorare quam didicisse vulgarem illam nostrorum temporum theologiam, omnia in cortice duntaxat, nihil non carnaliter tractantem, etiam si de pe-

nitioribus Evangelicae doctrinae quaestionibus sit sermo: quid enim nisi carnale est quod humanae philosophiae magisterio est subnixum? taceo quod gloriae, jurgationi, ventri plerumque servit“. De suo autem consilio ita loquitur: „Quando igitur ita mihi persvasit studiorum cupido, ut Christianam ordire ac texerem historiam, tractandi haec est ratio instituta, ut percontato primum regno carnis et peccati, deinde investigetur Christi in illo abolendo consilium et potentia; demum et fructus triumphati peccati, et regnum Christi in fidelium ecclesia — consideretur. — Si cujus igitur in manus haec mea fors venerint, hunc admonitum volo, meae exercitationis gratia duntaxat, non publico usui, chartis illita esse: etc.“.

*Peroratio*, digna est, quae tota adscribatur: „Simne assecutus cujus gratia ingens hoc opus institui, nescio. Certe fructum hunc ista exercitatio mihi peperit, ut Christianismus ceu in unius corporis imagine se mihi exhibeat majestate incomparabili, dignitateque longe praestantissima. Ut enim membra singula discutias, origine nihil habes divinius aut sacratius, authore nihil praestabilius aut sublimius aut incorruptius, consilio nihil justius, aut sapientius, aut efficacius, fructu nihil clarius aut optatius, praeceptis nihil gravius, aut honestius, aut sanctius, aut integrius, aut absolutius, officiis nihil amantius aut innocentius, cultu nihil religiosius aut pientius, aut simplicius, usu nihil incontaminatius aut liberalius, aut magis invictum: ut vel hoc nomine possit ac debeat Evangelium omnibus qui audiunt, etiam quamlibet rudibus et deo carentibus persvasibile esse, nihilque possit orbi utilius aut salutaris conferri, quam syncera Evangelii annunciatio. Mihi vero haec omnia perlustranti, si vera et recta sunt quae scripsi, ad istum studiorum meorum proventum etiam hoc accessisse video, ut jam de vita quoque ad hanc formam instituenda curandum mihi magno pere sit: ne testimonium contra me habens propriae confessionis, audiam in me jaci sententiam Domini: servus qui cognovit voluntatem domini sui, et non se praeparavit, nec fecit secundum voluntatem ejus, plagis vapulabit multis

(Luc. XII). Si vero Deus qui virtutem aspiravit hoc opus ad finem perducendi, etiam facultatem donaverit, ut mores scriptis respondeant, et ipse mihi fiam recte vivendi praeceptor, etiamsi praeterea nemo haec mea legat, arbitror, quod de se *Firmianus, Divinarum Institutionum* opus etiam dum parturiens dixit, posse me quoque optimo jure affirmare: satis vixisse, et officium hominis implese“. Pietatem haec auctoris pulere demonstrant.

In *Proclesi* id agit, ut librum suum, ac propositam in iis doctrinam, contra insultus accusatorum, quos, aut metuebat aut praevidebat fore in sentiendi ac scribendi libertatem qua usus fuerat, acriter invecturos, tueatur. Digna sane haec etiam est, quae, longior licet (utpote paginas implens XX), luci tota committatur publicae; adeo pulcra sunt, quae de vera Theologiae magis magisque excolendae ratione, atque de naevis et tenebris Theologiae Scholasticae, totiusque superstitionis Papisticae, disputat.

Nos quaedam excerpisse, quae ad nostrum maxime faciunt institutum, contenti erimus. Initium igitur sic habet: „Ut sunt hujus nostri seculi mores, quo nihil manet curiosulis quibusdam impervestigatum, suspicor futurum, ut quae ego intra tablinum scripta solis laribus dicavi, eorum subeant ungues, qui cum nihil ipsi studiis conferant, in aliena quaecunque dentem acuunt, minimeque expenso scriptoris consilio aut argumentorum rationibus, satis habent si Momos tantum aut Hipponacteos censores egerint, ac carbone notarint omnia. Quibus non sunt humaniores, qui cum quaecunque neoterica sunt ita fastidiant, ut ne legere quidem dignentur, tamen si quando inaudierint prolatum in his quippiam, quod ipsi vel non didicerunt, vel in suis quibus addicti sunt authoribus secus legerunt, vel cum vulgari usu vident non conspirare, mox obelo jugulandum pronunciant, ac calumniandi facilitate tanquam haeretica insectantur: adeoque omnem novitatem respuunt, ut ne iudicium quidem adhibendum putent his, quae a doctissimis quoque viris jam inveniuntur tradunturve, antea vel non perspecta vel minus expensa, vixque ferant ea quae ipsi quoque sentiunt, ter-



siori oratione enarrari, aut rationibus acutioribus confirmari, quam ipsi consverint, ac prope jam tutum non sit, illis inspectantibus, libellum emunctiorem, aut typis elegantioribus excusum, aut novo artificio accuratius compaginatum, manu gestare. Ab horum mihi supercilio neutiquam cavi, quum chartis commendarem quae fueram meditatus: quippe qui privatorum studiorum conscientia nihil minus tum conjiciebam, quam haec mea exercitamenta publicum esse iudicium aut praeclarorum ingeniorum manus subitura: etiamsi in his quaedam ita scripta videri possunt, ut docentis aut concionantis phrasim referant. Donandum est hoc ut pleraque alia studiorum eventui. Tametsi enim ad lectoris stomachum minime me compararem, suadebat tamen interdum vel exercitationis cura, vel imitatio eorum quibus legendis adsueveram, vel quod ita convenire videbatur explanandis argumentis in quibus laborabam, ut ejusmodi loquutionum schematibus uterer quae in hoc studiorum genere, ne effectantibus quidem ac non admodum incalescentibus, sese ultro ingerunt. . . . Sunt nostro seculo viri eruditissimi, et ii nequaquam glossogastores, quorum scripta leguntur audiunturque non sine veneratione ab ecclesiae summatibus et monarchis, a summis theologis et Academiis, ac toti ferme orbi ut miracula quaedam suspiciuntur: solis istis morosulis aut haeretica aut offensiva sunt. Ad hos tam claros quis sum ego, qui possim omnium calculis probari et extra teli jactum esse? . . . Ut enim ingenue fatear, mihi ob collidentium Doctrinarum fluctuantem hoc tempore varietatem in hoc opus adducto, exacta curā non fuit percontari, quid a quovis scriberetur vel doceretur, quid vetus quid novum esset, quid vel Pontifices statuerint, vel theologorum scholae decertarint, quid cui probaretur sectae: quin potius ab his tamquam controversis (in quibus videbam pro sua quemque parte digladiantes humanum quiddam pati, vixque in alio jam laborari, quam ut quisque in suis tuendis valde argutus ac invictus habeatur) integrum me ad sacrarum scripturarum simplicem philosophiam contuli. In his si quid piorum sensuum me assequutum existimabam, quod simplicita-

tem illam vere Christianam spiraret, id curavi citra novitatis sollicitudinem in chartas excipere: non quod in iis jam conquiescerem ingenii mei confidentia, sed ut siquando mihi Aristarchus quispiam contigisset, integrum esset ad Catholicam regulam omnia exigere, ac quae forte idonea non essent, limae subicere doctiorum. Quamquam quod ad novitatem attinet, puto neminem qui haec mea legat, non statim esse perspecturum, me priscis delectari, ac vetustatis adeo esse observantem, ut nulla re magis offendar quam rerum intempestiva aut indecora novatione, nihil impensius insector quam discessionem a veterum majestate. Quod si forte reperiantur in meis lucubrationibus, quae possint nova videri: qualia sunt quae *de Christi natura ante omnes creaturas creata, de semine Davidico, de serpente suasore, et caeteris Paradisi allegoriis, item de Christi tentationibus, lapsibus et carnis humilitate, de sanctorum spirituum requie*, sunt a me disputata; si ipsa non pugnant cum Catholicis veterum dogmatibus, si et pia sunt, si ostendo scripturas eos sensus vel obvios vel inevitabiles facere, quis jure reprehendet studium investigatoris? quis mea esse somnia pronunciet? Quae ita persequitur, ut non dubitare se dicat, quin ab uno alterove superiorum Ecclesiae doctorum eadem observata expositaque dudum fuerint, si vel maxime in paucis illis quae hodie, post tot strages, supersint veterum reliquiis, non inveniantur. Illam autem bonarum literarum cladem, cum caussis suis, describens, inter alia dicit: „Quin plus etiam momenti ad oblitterandas vel potius extinguendas omnes liberalium studiorum disciplinas habuisse arbitror illam oscedinem et quasi lethargum cultioris literaturae, ac sordes quasdam ingeniorum, quas hominum moribus inter illas tumultuantis orbis procellas irrepsisse cernimus, dum non solum caeteris linguis nullus est honor servatus, sed etiam ipse inter Latinos prope elinguis factus est Romanus sermo, ut qui doctissimi habiti sunt, affectasse videantur balbutiem atque infantiam quandam: tum et omnium disciplinarum pristina ingenuitas in putidam quandam atque exoticam obscuritatem ita descivit, ut sophistica scabie et fabulosa qua-

dam anilitate etiam quae in his bona sunt, respersa con-  
 spurcataque videas, ac prope nihil suae relictum indoli: id-  
 que non in Theologicis solum studiis, in quibus contemni  
 posse orationis lenocinia et generositatem omnem plerisque  
 persvasum est, sed etiam in civilibus disciplinis, in Medi-  
 cinis, in Juris scientia, in Poëticis, in ipsis denique Rhetor-  
 icis et politiori literatura: in quibus qui per id tempus  
 scripti sunt libri, si cum priscorum libris conferuntur, caries  
 quaedam et mucor, vel calamitas potius pristinae dignitatis  
 videri possunt: ut plane repuberescere videatur hac nostra  
 aetate bonarum literarum eruditio, ac antiquitatis quaedam  
 imago postliminio in orbem reduci, non solum imitandae  
 pristinae synceritatis studio, sed etiam aemulatione ingenio-  
 rum, diligentia, assiduitate, solertia, candore, facultate. Qui-  
 bus rebus utcumque nunc pensari videtur literarum et libro-  
 rum illa elades, ac priorum temporum corrigi veternum“. Paucis  
 interjectis, ad amoliendam a se temerariae novitatis  
 invidiam, ac libertatem tamen ingenii honestam defenden-  
 dam, addit: „Studium meum fuit, non nova cudere, sed ve-  
 ros majorum sensus ex Scripturarum adytis, veluti ex Si-  
 byllae antro folia recondita eruere, ac ipsam veterum syn-  
 ceritatem a putidae novitatis feculentia vindicare. Et ne  
 quis me novum Daedalum suspiciat, licebit fortasse, si re-  
 tulerit, authores indicare non contemnendos, quorum in his  
 auctoritatem sim sequutus, tametsi in ipsis citandis non est  
 mihi sumpta opera, ne quum opinionum certamina fugere  
 me ostendo, cujusquam viderer sententiae esse addictus.  
 Sed quur adeo novitatis nomen detrecto? quasi infame sit  
 invenisse aliquid quod fugerit superiores, vel scripsisse quod  
 ab his non sit adscriptum aut traditum. Mihi nihil hic at-  
 tribuerim, sed tamen communem Ecclesiae libertatem non  
 patiar perstringi. Docet Apostolus dotes esse aliis alias,  
 ex membris diversitate donorum distantibus compingi cor-  
 pus Christi, nec haberi id consummatum donec grandescat  
 ad plenitudinem quae sit viri perfecti. In his tantis rebus,  
 quis hoc Christi corpus praejudiciis concludat vel temporum  
 vel locorum vel personarum? . . . . . Nam quod nihil de-



fuisse dicimus Ecclesiae quae tempore Apostolorum erat, inde est quod fide flagrante et in simplicitate sensuum omnia supplente, nulla alia indigebat doctrina vel institutione ad pietatem, quin constaret sibi. At nunc ubi simplicitati non parum decessit, et pro illa amatur argutia, exquirunturque ad vivum omnia, non vel hic facessit spiritus sanctus, quin homines quospiam illuminet sapientia et solertia, qua possint quae desunt fidei simplici, argumentorum certitudine et doctrina nova pensare, ac fulcire quod fide est infirmum, sicque Ecclesiae corpus confirmare, atque ita si non iisdem, saltem paribus dotibus invicem succedentibus aut accumulatis, sibi constet Ecclesiae illa perfectio, ne quid in ea fatiscat. . . . . At nunc adeo sunt in hac parte critici, qui vel rem Ecclesiasticam moderantur vel Academicarum sunt principes, ut sicubi vel scripturae citandae sint, vel de Ecclesiasticis dogmatibus aliquid proferendum, ne a verborum quidem filo discedere quemquam absque incussa censoria virgula patiantur, ac quamvis iratis Musis ac Gratiis omnibus, sua tueantur quorum salivam imbiberunt. Hi quum videant totum ferme orbem sordes ipsorum pertaesum ad cultiora spectare studia, ac syncerioris doctrinae adpellare antiquitatem: quum in prospectu sit, esse nunc undique qui insolenti quadam libertatis affectatione omnia misceant tumultibus ac ipso faciant Euripo perturbatiora; quum denique sciant quadam ingeniorum concitatione et immodica fortasse studiorum aemulatione, nullum non Evangelii locum in nullam non incudem hodie rapi ac in Paradoxi morem excuti, tamen in hoc volunt Herculei Catonesque videri, quod assuetis perpetuum inhiantes nullo decedant loco, ad nihil conniveant, in nullius eant sententiam, nihil ferant immigrare aut expolitius aut recens natum, aut sibi non exploratum: spongiarum vero more suis inhaereant quibus innati sunt petris, quod sciant non minus etiam extialiter se quam ipsas spongas a suis avelli sedibus, quibus non habent meliores, quodque ipsis parum decorum videtur suam gloriam, forte etiam suum quaestum, cedere nuper natis hominibus. . . . . Vomicam ipsam tetigeris, si

audeas sensum etiam proferre (*n. e S. Scriptura*), a recentioribus scholasticis vel non adscriptum vel secus intellectum, tum si a summulariis et consarcinatoribus quibusdam, qui circulum ecclesiasticae doctrinae complexse putantur, alicubi dissentias; maxime vero si ab usu vulgo receptorum vel longius exeas vel te cohibeas alicubi: nam hoc interpretantur novatores et scandalosos esse, ac a decretis et observantia universalis Ecclesiae discedere. An novator est, qui a nuper ortis necdum confirmatis ad veteres orthodoxos, Tertullianum, Cyprianum, Origenem, Chrysostomum, Hieronymum, Augustinum, provocat? An scandalum est a Philosophastris et superficialiis disceptatoribus ad pacatiorem disciplinam Evangelici spiritus, ipsamque simplicitatem Apostolicorum sensuum, adeoque ad homines hoc spiritu plenos commigrare? ab obsoletis quibusdam et ligneis ceremoniis ad Evangelicum gnomonem et divorum exempla transferre vivendi usum et instituta? Quin potius novitatem vocant quae ipsi comminiscuntur indies, vel a sui similibus commenta mordicus tenent, ne suspicata quidem majoribus nostris? Quorum quis non horruisset illas sophisticæ Theologiae spinas, vel ipsum potius Aristotelem theologissantem? quis ferre potuisset ineptientes Catholiconēs, Mamtrectos, Isidoros et alios hujusmodi tenebriones? quis non statim fugisset e templo, auditis tam insulsis vanissimorum hominum poëmatibus et cantionibus, ac quae illic recitantur divorum gestis, ita interdum delirio similibus, ut ex Alcinoi convivio allata possis credere, indigna profecto quae Christianis auribus ingerantur, quae tamen isti ut mire pia adorant. . . . . Hinc jam habemus quos veteres ignoraverunt sacrae Virginis parentes, suis nominibus non minus quam sunt ipsi Apostoli notos ac celebres: hinc tot novitios divos, Principum importunitate aut Monachorum favore in catalogum relatos, hinc Draconem Georgianum, hinc locustas Barbaranas, hinc e Paradiso februales rosas, ac id genus alia innumera, ad quae, quum in templis inter sacras scripturas publice audiuntur, cordatior quisque quidni offendatur? Quamplurimas deinde Romanae

Ecclesiae superstitiones et abusus depingit et graviter reprehendit; ut tamen nequaquam sese Catholicae Ecclesiae auctoritatem spernere, aut vera ejus decreta non venerari, confirmet. De quibus rebus mentem explicantis suam, non possum quin ipsa verba adducam. „Idem (*ita disserit*) fervor fidelium erga Christum, ritum quendam moderatum et gerendorum politiam in ecclesiam recipi suavit. Quae cum populo ad superstitiones procliviori arridere coepit, mox invecta sunt tota ceremoniarum plaustra, ordo publicus exiit in regnum, Evangelicorum praeceptorum institutio revoluta est ad regularis disciplinae sectas, quarum quaelibet altera melior esse contendebat, ut tandem et Baptismus illis vilesceat prae Monachismo, quo novam iterum prolem ecclesiae regenerari audimus. Et in toto ordine Ecclesiae quid est quod non ad immoderatum usum et secularem formam descivit? Videmus de sacro Eucharistiae pane, quem priscae arcano sacramento servabant, quam theatraliter jam omnia etiam publicis edictis gerantur. Martyrum memoriae imitationis causa primum celebres in Ecclesia habitae sunt: deinde quum quaeque natio, quaeque factio, quisque ordo, quaeque officina, quisque morbus, quodque votum, suum sibi divum posceret, idque non omnino citra quaestum proveniret illarum rerum choragis, videmus quos nunc calendarios fastos nobis replerint, quantum invexerint ineptiarum publico usui Ecclesiarum. Et haec nobis, si quando purgatiorem esse Christi Ecclesiam desyderamus, pro Ecclesiae decretis objiciuntur, et cogimur auctoritati illorum quasi in Apostolorum senatu prolatorum, sensus nostros submittere, aut adversus ipsa nec mutire; quod qui ferre potest, viderit quemadmodum etiam Christo satisfactor sit! Mihi nihil post Christum unquam fuit aut est antiquius Ecclesiae consensu, ad quem ceu ad sacram ancoram confugere soleo, si qua in re mecum dissidens haereo, aut sicubi me impigisse sentio. Tum si neque sentio me falli, aut probabilibus nix argumentis Catholicos sensus me tenere arbitror, semper integrum me servo Ecclesiae iudicio, cujus sensa atque decreta paria mihi habentur Apostolicis literis, nec patior me



ab illius concordia avelli. Verum nolo mihi quorumvis blateronum quemlibet consensum, illorumve plus quam bliteas sententias nomine Ecclesiae obrudi - - - Hujus ecclesiae iudicio, si in hoc opere aliquid mihi visus sum licentius aut sine exemplo dixisse, testatus sum me quosvis sensus meos dedere. Quod hic quoque ceu legitimis tabellis sanete testatum cautumque volo, ea videlicet me esse perpetua voluntate, ut memet meaque scripta, si unquam lectu digna videbuntur, ultro submittam primum Scripturis Canonicis, quarum solidam irrefragabilemque interpretationem a quovis privato veluti nobile margaritum lubens suscepero: deinde illi ipsi quam dixi Ecclesiae: ut si vel rescindere me iusserit omnia, aut aliud quid dictaverit, id praestare damnas sim. . . . . Verum haud scio, an quaecunque in Pontificum decretis seu decretalibus epistolis praescribuntur statuuntur, sint mox pro ecclesiae placitis aut ecclesiastico consensu atque autoritate probatis habenda: nam haec quoque nobis absque discrimine tamquam recepta et, ut ipsi loquuntur, canonizata ita infuleiuntur, ut si quis ea refellendo vel summis digitis contigerit, a patrum sanctionibus discessisse et ecclesiasticum canonem temerasse statim insimuletur. At in illis ipsis multa videmus quae mutuo se convellunt aut corrigunt. Ipse Gratianus quot committit sibi pugnantia? quot tamquam obsoleta aut minus solida dispungit et resecat? Quaestiones de confessione oris et operum satisfactione, qua nostro hoc seculo nihil decertatur contentiosius, ita in medio relinquit, ut lectori integrum servet iudicium. . . . Et nos capitale discrimen incurrimus, si illorum aliquid ad evangelicam normam collatum vel corrigi vel antiquari vel moderari suademus, quasi nihil sit in his humano spiritu proditum! Quum legimus in Romanorum Pontificum decretis, Sardiniam, Siciliam, ipsam urbem Romam Romanae Ecclesiae ditioni et imperio subesse, Episcopos omnes iurejurando adigendos esse, ut adjuvent defendere et retinere Papatum Romanae ecclesiae contra omnes homines (ita enim habent verba in id concepta), ipsum Pontificem Romanum Regiae potestatis jure uti, omnia jura in

scrinio pectoris sui habere, quis dicet hunc esse Catholicae ecclesiae irrefragabilem consensum, aut Apostolicae firmitatis decretum, ut de his dubitare non liceat? . . . . Gravis est fateor Sacrorum Conciliorum autoritas, nec velim unquam ab ea sciens egredi. Sed tamen delectum in illis esse hinc intelligimus, quod olim Romana ecclesia ex plurimis sex tantum vel octo suscepit. Quae ipsa tamen adeo non fuerunt rata, quin liceret, si quid dubii oboriretur, quaedam recudere, quaedam mutare, quaedam declarare. Nicaena synodo nulla neque clarior neque emaculatio habita est: hujus quum septuaginta canones fuisse legantur, viginti tantum obtinuerunt, de reliquis ne vestigium quidem mansit. Inter ipsos quoque qui extant, quaedam tamquam importuna vale acceperunt, quorum sunt poenitentiales canones: quaedam evidentissime videntur sibi non constare, ut sunt quae de ratione Paschalis festivitatis constituta sunt, hodie longe aberrantia a vero. Caelibatus Presbyterorum, quem haec synodus non exigendum sed liberum relinquendum esse statuit, non multo post imperatus est. Nec ullum omnino est illorum Conciliorum (si verum velimus fateri) in quo humanas affectiones non plurimum valuisse reperias. In ipso Nicaeno Concilio Episcoporum rixas et simultates ipse Princeps coactus est exustis libellis dirimere. Quae in aliis sunt gesta, fere ejusmodi sunt, ut me auditorem puderet, si coram Judaeis vel aliis nostrae religionis adversariis recitarentur, adeo scatentia immodicis studiis partium, versutiis et contentionibus, ut a Christiano decoro ea longe abesse fatearis. . . . . Omnibus vero ubi de fidei determinatione agebatur, unum perspicias fuisse morem, nempe ut ea non decretis aut statutis quasi a tribunali prolatis, sed confessione publica et singulorum subscriptione rata essent, cujus consensus symbolum esset ecclesiastica communio: ut palam sit, rem judicio Scripturarum in multis consentiente, non placito judicantium, nec lege aliqua sensum quem assequi non possis extorquente, aestimatam fuisse, atque hoc praecipue expensum, quod plus sit multorum sapientum, eorumque insignium et Dei vocationem habentium consensui,

quam unius aut alterius cuiuspiam privato iudicio standum. Verum non raro deprehendas, quod toti Concilio rectum probatumque visum est, id unius assidentium audito iudicio ab ipso fuisse Concilio rescissum, ac pedibus itum in interpellantis sententiam. Quod simplici Paphnucio, caelibatum dehortanti, in ipsa Nicaena synodo evenisse constat, (nam hoc exemplum adducere non extra causam videbitur, quando conjugium sacerdotum nunc inter non postremas haereses habetur). . . . Quapropter haud scio an praefocent ecclesiae libertatem, qui contendunt non oportere de his quae semel Conciliorum probavit autoritas, denuo quaestionem admitti, aut disseri aliquid quod illis ad amussim non consonet. Nolo autem quisquam putet me haec tam prolixa eo huc attulisse, quod mihi sim conscius, in hoc quem scripsi Christianae historiae libro, usquam sacrorum Conciliorum terminos aut ecclesiasticae veritatis regulam egressum esse (quod tamen si percontandi studio fecissem mihi soli scribens, non debeo propterea in publicam invidiam rapi), neque ideo, quod poscam meis scriptis quasi omni naevo carentibus fidem haberi, quod neque mihi ipsi adhuc permitto: sed quod non aequum videtur, si mihi libeat meam quoque revelationem in ecclesia proferre, repelli protinus me, nec sini ut de his iudicantem audiam ecclesiam. . . . Nam quod ad animum scribentis attinet, quoniam is introspecti ab homine non potest, nullius admitto nisi Dei iudicium, cuius non expavesco in hoc causa tribunali vel absque patrono sisti. Huic si probabitur studium meum, cum Paulo pro minimo erit mihi iudicari ab humano die. . . . Tutum quippe est confugium recti conscientia, tutissimum is qui vocat quoque et obviis brachiis excipit ac refocillat eos qui laborant et onerati sunt. Optem autem ne unquam mihi obtingant qui ita onerent, utque supervacaneo metu haec proclesis mihi sit suscepta, ac solis lemuribus atque inferis dicata habeatur“. Quibus verbis auctor scriptum concludit suum: e quo quod tam multa excerpimus, non putamus ecclesiasticae historiae literarumque Theologicarum amatoribus ac studiosis ingrati nosmet rem fecisse. Nec



viri magni memoriae hoc studium non deberi, nobis videbatur <sup>23)</sup>).

**21.** RAYMUNDI de PENNAFORT *Summa de Poenitentia*. Libri III <sup>24)</sup>. Codex membranaceus in 4:ta forma. Quaedam in fine folia desunt. Initium Operis tale est: „Quoniam ut ait Jeronimus, secunda post naufragium tabula est culpam simpliciter confiteri, ne imperitia ministrantium predictam tabulam, submergi contingat aliquos naufragantes: „*Ego Ramundus inter fratres ordinis predicatorum minimus, imo inutilis, servus, ad honorem domini nostri Jesu Christi, et gloriose virginis matris ejus et beate Katherine presentem summulam ex divinis auctoritatibus et majorum meorum dictis diligenti studio compilavi, ut si qui fratres ordinis nostri vel alii circa judicium animarum in foro penitentiali forsitan dubitaverint, per ipsius exercicium tam in consiliis*

<sup>23)</sup> Nempe post superiores pagellas typis jam exscriptas, indicatum nobis fuit, auctorem libri sine dubio eundem fuisse Culmensem Episcopum, cujus laudatissimo studio curaeque praeicipue debetur quod insigne opus *Copernicanum, de Revolutionibus Caelestibus*, lucem adspexerit publicam, quique in *Lexico Biographico doctorum ac celebrium Virorum Exterorum Sve-thice* nuper edito (Försök til et Biographiskt Lexicon öfver Lärde och Namnkunnige Utländske Män, Stockh. 1782, 8:o), P. I. Art. *Copernicus* p. 347, *Tidemannus Gysius* vocatur. Quanta auctoritate famaue in patria floruerit, ostendit HARTKNOCH *Alt- und Neues Preußen*, II Th. VII C. p. 585, narrans huic eidem viro (*Tidemannum Giesen*, mox *Gisen* appellat) adhuc *Custodi Warmiensi*, injunctum fuisse a. 1534 ab Ordinibus Prussiae, ut vetus Jus Culmense corrigeret, cumque operis successui varia intervenissent impedimenta, a. 1548 rursus ei, jam tum *Episcopo Culmensi*, fuisse mandatum ut brevibus notis sive Glossis eidem Juris Codici adpositis, significaret quid aut antiquatum esset, aut adhuc usu valeret: quam tamen operam eum detrectasse docet. Theologiae non minus quam Juridicae doctrinae animum adjecisse, noster demonstrat Codex; qui sine dubio in bellis Polonicis superioris seculi, nostris militibus, in praedam cessit, atque ita e Prussia in Sveciam abductus est.

<sup>24)</sup> Libris IV constare, et non modo de Poenitentia, sed etiam de *Matrimonio* agere, docet HAMBERGER l. c. Art. *Raymundus Pagnafort*. Variant itaque exempla Libri.

quam judiciis questiones multas et casus varios et difficiles ac prolixos valeant enodare. . . . Distinguitur ergo in tres particulas“. Codex pulchre scriptus est: abbreviaturis tamen pro more scatenis.

**22.** JUSTINIANI *Sacratissimi Principis* — *Codex repetite prelectionis*. Membranis eleganter scriptus, glossisque marginalibus copiosis, duplicem manum ostentantibus, illustratus; in Folio, integer et bene conservatus. Praemissus est index capitum, secundum seriem librorum digestus. Aetas Codicis et scripturae forma, eadem quam supra in *Senecae* et *Ciceronis* Libris reperimus, esse videtur.

**23.** *Questiones disputate per Doctores Bononienses*. Codex membranaceus, in Folio. Materiae omnes his Disputationibus ventilatae, ad *Jus* pertinent *Canonicum*; ac fere inter annos 1260 et 1300 disceptatae sunt. Auctorum nomina singulis praescripta comparent, ignota nobis, licet omnes *Decretalium* Doctores, salutentur; inter quos *Marsilius*, *Palmerius*, *Wilhelmus de Petra lata*, *Guido et Jacobus de Baysio*, Magister *Garsias Yspanus*, Magister *Johannes de Montemurlo*, *Alvarus Yspanus* Canonicus *Compostellanus*, *Herveus Scotus* s. *de Scotia*, *Henricus de Almannia*, *Stephanus de Polonia*, etc. etc. occurrunt. Volumini praemittitur diligens *Tabula* s. *Repertorium ad questiones omnes*; quod per Magistrum *Hermannum* compilatum esse docetur.

**24.** *Tabula venerabilis Doctoris et Sancti Thome de Aquino, super omnia dicta sua, preter ea que desunt*. Codex membranaceus in Folio. In fine legitur: *Nomen scriptoris Radulphus plenus amoris, Et pro quo scripsit cum Christo vivere possit*. Ac paullo inferius: *Ista Tabula est Magistri Hermannii de Praga, Auditoris Sacri Palatii, diuque . . .* (duas reliquas voces legere nequeo).

**25.** *Casus Excommunicationis majoris late a Canone* etc. Codex membranaceus, in Folio. Praemittitur *Prologus seu pocius informacio et modus utendi hoc opusculo de Casibus*; sequitur *Tabula generalior pro Casibus* etc. Ipsius Ca-

sibus tandem subjicitur *Secunda Tabula specialior et utilior super opusculo casuum per Hermannum de Praga collectorum*. Unde cognoscitur, documenta diligentiae Hermannij ejusdem haec tria volumina (23, 24, 25) ostentare, nobis quidem parum utilia vel aestimabilia.

**26.** *Tabula seu explicatio vocabulorum difficilium contentorum in toto Jure tam Canonici quam Civilis, et hoc secundum ordinem alphabeti de significationibus eorum pertractatur*. In fine legitur: *Tabula de Expositione seu declaratione vocabulorum et terminorum cum suis notabilibus in Corpore Juris tam Canonici quam Civilis contentorum, quae maximam difficultatem in Jure studentibus conferunt, atque tedium propter eorum raritatem seu obscuritatem. Quam edidit frater ASTEXANUS de Civitate Astensi de Ordine Fratrum Minorum vel Barnotorum*.

2. *Optima vocabula secundum omnes Rubricas Decretalium, primo secundum ordinem alphabeti, deinde per titulos sive Rubricas ordinarie (ordinata) per Venerabilem D: num (nomen deest) conpileate (compilata)*.

3. *Casus breves sexti libri Decretalium, ordine alphabetico digesti: quibus additur brevis conspectus Titulorum Libb. I—V Decretalium Gregorii*.

Totum volumen nonnisi foliis constat XLVIII. Codex membranaceus in Folio.

**27.** *Quaestiones super V Librum Decretalium Gregorii Papae*. Ita inscribendus videtur Codex membranaceus in Folio, Rubro nullo distinctus; pars sine dubio majoris operis, similem in omnes Decretalium libros Commentarium continentis. Explicat auctor textum per Quaestiones propositas, subjunctasque iis Responsiones, ordinem secutus Titulorum solennem. Ad calcem subjectus est Index, sive *Tituli questionum hujus V libri, ex quorum verbis non potest intelligi faciliter sub quibus rubricis tractentur*. In fine operis auctor his verbis sese cognoscendum exhibet: *Sic sit finis hujus operis, quod ego Hinricus servus Dei ydota et insufficiens in omnibus super doctore primo utinam ad*



utilitatem <sup>25)</sup> — et in utroque jure studencium memoriter scribere dignum duxi. . . . non estimemus <sup>25)</sup> — de insufficientia doctoris, que non solum ex ignorantia provenit, sed etiam ex properancia operis consummandi, timens propter mortalitatem universalem que hoc anno viguit, ac specialiter in hac urbe, ne ante ipsius consummacionem nature debitum persolvissem quod in omnibus est. . . . Quod opus ipso Domino nostro Jesu Christo operante terminabam currente anno ob ipsius Domini M CCC:o XLIX, in festo beati Matthei Apostoli et Evangeliste, cujus ecclesiam in partibus Britanie in finibus terrarum, unde sum oriundus, mirifice collocavit alpha et o, principium et finis. . . . et cicius terminassem, nisi fuissent guerre et alie tribulaciones que me aliquandiu occupaverunt. Quibus licet perlectis, fateor hominem tamen manere mihi ignotum. Abbreviaturae frequentes ac difficiles, volumen hoc lectu reddit permolestum: quem laborem ut suscipias, neque operae esse pretium videtur.

**28.** *Extravagantes, per ordinem rubricarum*, h. e. secundum Titulorum seriem quam observant Decretales, dispositae. Codex Membranaceus, in Folio. Comparant hic cum quae *Extravagantes Johannis XXII*, tum quae *Communes* vocantur, inter se permixtae, (an tamen omnes? haud dixerim; non enim vacavit perquirere); praeterea multae aliae Constitutiones Pontificiae. Volumen non incuriose scriptum.

**29.** *Breviarium*; Codex membranaceus in Folio, sed lacerus et valde mutilatus.

Excipiunt Codices, quibus Bibliothecam Acad. auxit Reverendiss. Archi-Episc. et Pro-Canc. D. *Car. Frid. Menander* (cfr. supra § XXVII p. 91 sq.), qui sunt sequentes.

**30.** *Liber de integumentis Fabularum*. Codex membranaceus, in Folio; cujus auctor anonymus latentes sub involucris Fabularum Mythologicarum veritates, vel Histo-

---

<sup>25)</sup> Desiderantur hic verba tantum singula, quae legere non valeo.

ricas vel Physicas, indicare satagit. Foliis constat XXIV, seculo ut videtur XIV vel XV, non ineleganter scriptus.

**31.** Autographum *Bullae Papae Bonifacii VIII, dat. Romae apud Sanct. Petrum VI Kal. Mart. Pontificatus sui secundo.* Membrana formae maximae. Sigillum avulsum est. Legi integra potest apud PET. DIJKMAN Antiquitt. Ecclesiast. p. 288 sqq. (qui eandem hanc membranam tractasse videtur: nam a tergo, ut etiam ille indicat, scriptum in nostra legitur: *Privilegium bonifacii pape, ne clerici laicis aliquas pensiones solvant vel tallias, et in supremo margine, (etiam a tergo), Thomas de Sepulcro.* Cfr. Nob. a CELSE *Apparat. ad Hist. Sveo-Goth.* Sect. I § XVI p. 99.

**32.** OLAI PETRI *Chronicon* Regum Sveciae, res eorum gestas a rerum inde Svecicarum primordiis ad cruentum usque Christiani II imperium complectens, lingua vernacula exaratum. Codex chartaceus in folio, diligenter scriptus. Notus liber omnibus rerum patriarum curiosis.

**33.** *Sacra Biblia*, Latine, secundum Vulgatam Versionem. Codex membranaceus, in forma 4:ta aut 8:va majore, litteris minutis, sed eleganter scriptus, initialibus (quas vocant) pulcre pictis; compendiis scripturae pro more scattet. Praemittitur *Epistola S. Hieronymi ad Paulinum Presbyterum de omnibus Divinae Historiae libris*, quae hic, errore librarii, vocatur *Prologus beati Ambrosii in Bibliothecam.* Sequitur Prologus Hieronymi in Pentateuchum, et Index Capitulorum Geneseos; qualis caeteris etiam Mosis Libris, nec non libro Josuae et Judicum, praefixus est. Reliquis Libris Biblicis similiter Prologi Hieronymi plerumque praemittuntur. Volumen claudit interpretatio nominum Biblicorum latina, ordine alphabetico digesta. Liber *Neemiae* maxima parte capitis ultimi, et *Tertius Liber Esdrae* capitibus III primis, magnaue parte quarti, mancus est. *Quartus Esdrae* liber deest. *Acta Apostolorum* post Epistolam ad Ebraeos collocata sunt. Diligentius Codicem excutere non vacavit.

**34.** *Missalis liber*, diligenter adornatus et notis musicis distinctus; Codex membranaceus in 4:o. Ecclesiae

alicui Svecanae usibus inserviisse, adscriptae passim sententiae Sveticae docent; ac ad Monialium pertinuisse Claustrum, ex hac formula, quae ultima pagina comparet, inferas: *Tha som hálga männena äro opläfna, figher bisfoppen oc systerana swara, etc.*

**35.** *Lexicon Latinum e Calepino translatum in linguam Slavonicam* (s. veterem Russicam); Codex chartaceus in 8:o majori, nitide scriptus.

**36.** Liber Polonicus, precatones, (ut videtur), Deo et Sanctis dicatas, (linguae enim ignaro, nihil mihi ultra conjecturam adferre licet), nec non pias quasdam meditationes continens; Codex membranaceus in 12:o, nitidissime scriptus. Literae Initiales diligenter pictae auroque distinctae, picturae praeterea aliae non inelegantes librum ornant, splendide olim ligatum. In pagina ultima haec comparent verba: *Petrus Prossonita de Nahlo, oriundus de nobilissima eademque antiquissima Gente Nalaczow, Vicariusque Castri Cracoviensis, hunc libellum illustrissime Hedvigi filie . . .* (Reliqua legi nequeunt, data opera, ut videtur, deleta et erasa). Scuta gentilitia duo subjecta sunt, alterum rubri coloris fundum, alterum aurei ostentantia, fascia aurea conjuncta; quorum autem figurae evanuerunt. Margini vero picturae primae infimo adpositum scutum rubrum, corona Principali ornatum, insigne R. Poloniae, Vulturem album, conspiciendum praebet.

**37.** Membranae LX, minoris plerumque modi et magnitudinis, litteras exhibentes varias, privatorum fere omnes hominum, in Svecia inter a. 1331 et 1616 datas; quasdam Latine, plerasque Svetice scriptas. Litterae sunt emtionis et venditionis, dotales, donationis, Apocopa, chirographa, sententiae judiciales, attestata etc., sigillis pluribus appensis, pro more illorum temporum munita: quarum membranarum, non modo ad literarum formam et ductus, iis seculis adhibitos, sed etiam ad priscos mores cognoscendos, esse usus potest. Duarum tantum exempla, animi caussa, adponam. Unum igitur hoc erit, Cleri Pontificii felicem quaestus faciendi sollertiam illustrans: *Alla the män som thetta*



breff höra eller see, helsar jak Henrik kirkioprester i bolmsjö kärlika medh Gudhi. Kennis jak med mino opno brewe, at Michel Niels-son hawer betalat füllelika mine kirko sogn of mit the siälagift som Erik Nielson gaff för sina siäl, swa att sofnen of jak wi latom oos wäl nöghia, for thy latom wi thet gozit i bolmsstadh lidhug of löst som oos til panta stooth, of giwom honom alsting qwittan of orsakan. *In cujus rei testimonium etc. 1404 etc.*

Aliud hujus generis est: Alle the som thetta breff se eller höra, helsar jac Pedher Stiigson a wapn kerlika mz Gudh. Conger jac swa äpterkommanda som nuwarandom med theso mino öpno breffue, at jac fan Herra Matis Göstafson i Wazstena, oc taladhe jac til hanom um XIII march Peninga oc et Arbyrst swa got som VI march, som han mit skyllogher war. Tha badh han um dagh, oc wille mit töfning göra om mina peninga, som han förra gjort hafdh. Jac fik hanom i ärmena, oc badh jac han sta, um han en danda man war, thertill han gafwe mit mina peninga. Tha kom Steen Lalason, Gudh hans siäl nadhe, med flere godhe män. Herra Matis Göstafson badh för:dä Steen Lalason the penge oc arbyrst för sik utgifua i swa mato, at han sculle hawa oc beholla Dwislinga thorp i Hardhastadha (Härsta?) sofn ligiande, etc. etc. a:o D:ni 1423 etc. Quibus, Auctoris caussa, publicas has litteras adjungimus: *Universis presentes litteras inspecturis Magnus Dei gracia Rex Swecie Norwegie et Scanie salutem in Domino sempiternam. Noveritis quod nos dilecto nobis viro nobili Ingeldo Niclisson presencium exhibitori, Curiam nostram in Civitate Arosiensi sitam, tam cum structura lapidea quam lignea, partim pro solucione debitorum per ipsum nomine et ex parte primogeniti nostri carissimi Erici, felicitis memorie, contractorum, et partim intuitu sui fidelis servicii nobis impensi, et ut speramus imposterum impendendi, virtute presencium conferimus et donamus, perpetuo possidenda transferentes a nobis heredibus et successoribus nostris in ipsum et heredes suos omne jus et proprietatem dominicam predictam Curiam regendi tenendi ac aliter de ipsa prout ei (l. sibi?) visum fuerit libere ordinandi. Datum Stocholm anno Domini millesimo CCCLX primo, feria secunda proxima post dominicam letare.*

Sequentes praeterea Codices sensim Bibliotheca nostra hinc illinc acquisivit:

**38.** *Tractatus Historico Politicus de Jure Publico Regnorum Sveciae Gothiaeque* eller en Historisk Tractat om Svea och Göttha Rikens Allmänna Rätt, utdragen aff Rikens Historier, Lagh, Recesser och Handlingar af Clas Johanson Prytz. Codex Chartaceus in folio, nitide et accurate scriptus: donum Maxime Rev. Dn. Prof. CAVANDER (cfr. supra § XXX not. 2). De opere ipso, omnibus rerum patriarum non plane rudibus notissimo, dicere non attinet: ejus auctoris mentionem in Lexico Biographico celebrium Svecorum, quod haud ita pridem prodiit, non comparere, miratus sum.

**39.** Volumen Chartaceum, in 8:o majore, vel potius in 4:o, mancum et lacerum, ejus operculo adscriptum veteri manu legitur: *Liber Fratrum Vallisgracie, scripta Buddas* (l. an Buddonis?). Literarum ductus ostendunt Codicem, lectu molestum, seculo XV fuisse exaratum. Continet:

1. *Librum Gratiae spiritualis Sanctae Mechtildis*, veteri lingua Svetica donatum. Constat opus libris V; primi vero capita LX priora, cum parte capituli LXI hic desiderantur. Summariis capita ornantur singula (quorum primus Liber habet 86, secundus 39, tertius 43, quartus 38, quintus 22); et ab interprete duplex adjecta legitur *Conclusio* sive Peroratio, praeclarum scil. hoc opus enixe commendans. Aetatem et nomen translatoris haec nos verba edocent, Conclusionem terminantia: *Uloff heedher of ärä ware alsualdghom Gudh . . . ffor alla syna helga nadh of miscundh som han uslom fatighom syndärom theer of bewiiser i thennä helga boof, huilken screffs i Nadhendal of Ilyctädhes pa S:te Margarete dagh aff broder Jönes Budde anno (MCD) lxxx:o. Swilken henne of wändhe aff Latino först i Swensft maall anno medlxix:o tha stadder i Wazsten i clostrenes ärende. Ne autem aliquis existimaret, tantam rem sine miraculo et singulari Sanctae auxilio aut suscipi potuisse aut perfici, hanc subjunxit auctor noster vere sc. commemorabilem narrationem et testificationem: Huat nadh S:te Mechtild gjorde mz hanom thennä boof umwende aff Latino i Swensft maall. Ei bör mik*

tighiä eller döliä thet the helga junfruena kan koma til loff of äro, S:te Mektilde. Thet hände mik i Wazsten warande som nu ginstan sagdes, III wikur ffor pascha, tha jac hafde thenä sama book utserifuit pa Latino y hemynä fiorton dagha, at jac wart mykit böm oc wanmäctoger badhe i hoffwd of androm lymom, swa at jac y III dagha eller IIII lagh swa goth som sängeläghes. Än ffor itfeliga of mykit trätteliga böner badhe Abbadissenne of flera systerenna ther samastadz, of swa for then stora kärlek jac hafde til sama book of helga lärðhom, at han matthe uthwidghas of kungöräs fleerom Gudz wynom systerom of leefbrodrom of jemuël androm som eh forstaa lathyn, gaff jac umsidher samthkfo til then kerliga bö. Än tha mykit jesuendes um myn wanfkiise of bristelse at foretaggha swadana ersuod som war at uththdhä swa dyrt of könsteligheit lathyn, Doch fulleliga tröstendes til the helga Junfruena of alles theres gudeliga bönä som mik thertil badhe tröste of kerliga baadho. See anden natthena ester at jac hafde samthkfo thertil gifuit, of bokena ther pa til mik anamat, of alt reedha nagon VI eller VIII Capitula med stora mödho of umforgh wththyt, tykte mik i mynom drööm som jac saathe for thet fenster ther jac pläghäde sithiä of scrifwa, of ther war swa mörkt alla weghnä, badhe i bokena of um cringh i huseno, at jac ganzka lithit saagh of inthet kunde scrifwa. Tha jac swa saath of dröffdäs i myno mörkre, syntes mik at en hsign (herligin?) longh of dägelin junfru kom ingongandes i huset, i nwuno liknese, i gram clädhebonath of suart wiill på hofudhet, bärendes for sit bryst ena tafflo med tw look eller brädhen ganzka dägeliga of wäll tilsmthkadhä, of kom til mik ther jac saath of sagde: Wdyn broder, jac seer tu wandhäs of dröfues aff thet mörker som badhe är her i bokena of huseno; of swa upleeth hon tafflona i huilka syntes of war ena clarafta spegill, aller um cringh i underliga mattho prydder of (omkringhader?), of sagde til mik: See myn broder, i tesom speglenom skal tu see of understa alt thet i the bokena staar. Of swa leet hon aater spegelen of gif sig wägh uth sakteliga igen. Ginstan jac wafnadhe aff tesom dröme ringdes til ottesanghen, of swa hjelpe mik Gud til liff of siäl som jac santh siggher at aller wärk of wanmact i hoffwd war mik swa aff strukin of lätdher of allom androm lymum, thet jac eh nagon minzsta wanfkiise



fende, alder trötthet of alder lyste at sofwæ eller hwilas i the XIII dagha som jaþ of thennä bokena uththydde of aff latino i swensko wändhe. Þa huilket badhe syster of bröðrom i thy helga clostreno storligha undradhe, of mäste delen aff thöm thet nogh oliift huldho, som thet of oliift of miþ omögelift war at görä, utan the helga wärdogha Sunfrunne hielþ of medhstödþ, huilka jac of tilwänder of tilscrifwer alt loff ärä of priiß aff thennä syna helga boof. Innerliga bedhendes aff allo myna hierttä hwära ena cristna menniskia som thennä boof naghatsyn hören eller läsin, at i takten of ären Gud for the helga Sunfruna of hennä älsken of i största wordhe holden, of ffor miþ ussom syndärom eena Pater noster of Ave Maria bidhin, ffor alt mith erffuod at jac nu bokena tröm synom uthscrifuit hafuer. *Laus tibi sit Christe Per quem datus est liber iste, Partes* <sup>26)</sup> *Mektildis Tua laus cummulatur in illis, Partes* <sup>26)</sup> *Mektildis* <sup>27)</sup> — *ut speculeris in illis, Mors tua, sors tua, vis tua, spes tua pendet in illis. Scriptoris munus Deus o sis trinus et unus, Hic fuit Andreades pauper coenobita Johannes. Opus ipsum, quod tantopere extollit bonus Monachus, ex majori opere in compendium, ut videtur redactum, somnia continet stultissima, nugas pias, et saepe impia deliria. Caput quinti libri ultimum, vitam et laudes Sanctae hujus Mechtildis exponit; ubi narratur, in Scotia fuisse natam* <sup>28)</sup>, splendidoque ortam genere: Thennä hedersama Sunfruen, Gudz enfannerligin älskersta, huilka Gudh sielsfuer kallat Matilda, som hennes fädhernes landz sedher är i Skotland, ther hon aff ärliga släct fööðþ war, thy at een ärlige Hertoge war hennes fadher, of wi kallom Mechtildis Mechtilth a wart maall. Etc.

2. *Viridarium celeste Sancte Birgitte*, ab eodem auctore, e Latino conversum et superiori adjectum operi: qui consilium suum his explicat verbis: *Continuacio sive compa-*

<sup>26)</sup> Non possum hanc vocem aliter legere.

<sup>27)</sup> Omisi vocem, cujus ductus mente persequi nescio.

<sup>28)</sup> In *Lexico Jöcheriano* (Allg. Gelehrten Lexicon), voc. *Mechtildis*, contra docetur, Germanicae eam fuisse nationis, de gente Comitum de *Hackeborn* oriundam.

*ratio libri precedentis, videlicet spiritualis gratie S:te Mechtildis de Schocia ad librum sequentem, videlicet Viridarii celestis Sancte Birgitte de Svecia.* Nu medhen thennä helgha lärdomen i thennä helgha bokena aller är aff andelighom söthmä of kerliga samtalan mellan sielfuen Gudh of the helgha Junfruena Sancte Mechtildh, of är mykit liiker thöm helgom openbarilsom som han openbarade syne helga brudh Sancte Birgitte aff Sverige; thy wil jac ginstan här epter insätia inscrifua of uththdha ena lizsla book aff nagon hennes helgaste openbarilsom: of kallas the boken Viridarium sancte Birgitte, Sancte Brigittes gräs-garder eller yrtegarder. Swa som naghör intoghe eller ingärdädhe en lizslan gräs-gardh eller yrtegardh aff ena stora wiidha of lusteliga heedh eller engh, swa är thennä lizsla boken som een litil yrtegarder uthtaghen of ingärdädher aff the stora of wiidha blomstrande enghena, som äre S:te Birgitte VIII böker, aff hwilkom allom thennä lizsla boken är uthtaghen of samanhemptädh som een litil of lusteligin blomstre qwafter, at hwar Gudz wen maghe han dagliga for händer hafwa, of ther y läsä of lusthas, enkanneliga the som ey faa eller empne hafwa at läsä i the störrer of wiidhare bokene hwareft henne helge revelaciones alle inscresne stondha, of y VIII böker äru beladhe of umskipte, Gudz helge trefaldoghet til loff hedher of äro, junfru Marie of hennes wälsignadhe som til ärä of wörduingh, huilkars beggers helgasta affsingh födzlä of lifuerne här kungörs, of jemuel the wärdogha fruena Sancte Birgitte til hedher of helga amynilse, som wärdogh war at undsa swa helsaman of hughnelighan lärdom. *Opus hocce in tres libros divisum est. Cuique libro index capitum praemittitur. In nostro autem exemplo ultimae partes secundi libri, et initium aequae ac finis tertii desiderantur. Ante primum librum legitur: Helga Fadrens Alphonsi Prologus, förtalan, til systrannä i Wassten. (In illo, qui praecedat, Indice Capitulorum libri primi, vocatur: Mestärens som bokena diktadhe fforordh eller förtalan til systrannä i Wassten, aat huilkom han bokena diktadhe). Item alius prologus: I huat mattho S:ta Birgitta sigth theße revelaciones. Alphonsus hic, auctor libri, quis fuerit, mihi non constat; nisi eundem fuisse credas, quondam Episcopum Syennensem et postea heremitam proba-*

tissimum, cujus *Epistola Solitarii ad Reges* praemittitur Octavo Libro *Revelationum S. Birgittae*. Prologus autem ipsius, et caussam libri scribendi et consilium, pandit; unde sequentia excerpta duxi: *Cogitis me dilectione vestra, dilectissime Domine mee et sorores* etc. I twingen miß myna kerefte frwer of systrar mß ider gudeliga älsfelighet, som sampnadhe ärin i Junfru Marie closter i Wazstenom, Sweriges rikes andeligin barn of dötther thes wärdoga Moders Sancte Birgitte som är waar of all Sweriges rikes ädlästä blomster swa of patrona, of eh eene henne dötter, utan jemuel Jesu Christi huilken medh Fadrenom i synom Helga Anda ider hafuer uthwalt, fra werlden skilt, forsamblat of samansankat i ena gudliga akt of eendrekt i syna helga tienist, of teslikez dötter of discipule hans aldrawerdogafta Moders Marie, altidh junfrues, huilken ider helga ordinis är förstä fundatrix ffru of forsthynna, i huilkom of for huilkom twingar of tilskyndär miß ider forronempder gudliga kerlek at samansanka ider ena lizsla boof aff thöm opinbarilskom som widherla äru forthälde i the VIII böker som the wärdogha fruena openbaradhe wordho, i huilken jac sculde uthleeta of samanscriua the materias of helgaste openbarelse som liudha pa junfru Marie tilquemdh of födzlo til werldene, of swa hennes welsignadhe sons Jesu Christi, of af beggers theres helgastom dygdom of dygdelika gerningom som the her ööffde of itkadhe i werldena för än the hädhän upforo til thet äwigha riket i Hymmeriki, &c. . . . Nu . . . skipter jac thesa boof i tre dela, aff huilkom then förste delen rörer of kungör aff Gudz helga trefaldoghet, of aff thöm ärligastom of hugneligastom foresaghuer of forespaaningom som gingo af aldraärligasta junfru Marie tilkomande skapilse of hennes wälsignadhe sons födzlo, of aff the ofigheliga glädhy som aff thöm war badhe i hymmeriki of jorderiki aff äwerdeligo for än theres helgasta licama worthe skapte eller syntes her i werldene. The anden boken — huru eller i huar mattho theres licama wortho skaffte of afladhe, of sidhan aff beggers theres dygdeliga (sielom?) of aldrahelgastom dygdom of dygdeligom gerningom som the her i werldene ööffdo of itkadho in til dödhén. Tridhie boken sigher i huat mattho the her aff werldene fooro of aff beggers theres ärligaste upresilse aff dödhén, of upferdh eller uptagilse til Hymmerikit, of




hæret aff wärdogasta junfru Maria otalighom fordeelom, uphögil-  
som of wärdoghetom, m3 huilfom hon äwerdeliga of — skildiliga  
äräs prisas of lofwas öuer all scapat tingh badhe i Hymmerifi  
of jorderifi, nu of ä föruthan ändhä. Amen. Habes argumenta  
et descriptionem libri. Paulo diligentiore placuit operis  
utriusque, inepti licet ac nugacis, notitiam exhibere; quod  
diligentissimorum quoque rei nostrae literariae antiquioris  
consultorum, fugisse videntur cognitionem <sup>29)</sup>. *Fratrem* vero  
JOHANNEM (Jönes) ANDREAE BUDE <sup>30)</sup>, ejus autographon  
esse exemplum nostrum, allata supra subscriptionis suae  
verba probabile faciunt, diligentem et non spernendum sua  
aetate scriptorem fuisse, non haec tantum industriae suae  
produnt specimina, sed versio etiam Svecana confirmat  
*Librorum* quorundam *Biblicorum* (*Machabeorum, Judit, He-  
ster oc Ruth*), quae in R. Antiquitatum Archivo asservatur,  
quamque ab eodem, in Coenobio Nadhendalensi, a. D:ni  
MCDLXXXIII concinnatam esse, subscriptio librariae (Mo-  
nachae Wadstenensis) diserte testatur <sup>31)</sup>.

40. Codex chartaceus in 12:o, continens precum  
formulas Deo Sanctisque dicatas, nec non hymnos in lau-

<sup>29)</sup> SCHEFFERI, in *Svecia Literata*, STIERNMANNI in Orati-  
one mox citanda. Etc.

<sup>30)</sup> *Johannem* (Jönes) *Budha, sive Räk*, appellat Nob. von  
STIERNMAN (*Tal om de Lärda Wetensfapens tilstånd i Swearife,  
under Hedendoms och Påswedöms tiden*, p. 33); nescio qua fultus  
auctoritate. *Buddha* appellatur in Exemplo versionis suae Li-  
brorum *Biblicorum*, quod in R. Archivo Antiquitatum habetur.  
Vid. LOENBOMS *Utkast til en Historia om Swenffa Bibel-öfversätt-  
ningar*, p. 14 sqq. Nos scripturam sequimur, ab auctoris ipsius  
manu profectam. Cum nuper casu, Bibliothecae Academicae ac-  
quisitus sit typus, ligno affabre insculptus, sistens expressam in  
Calice, nescio cui Ecclesiae, ab eodem hoc Monacho Nadenda-  
lensi donato, effigiem et inscriptionem, adjiciendam hic esse  
monimenti hujus speciem existimavimus. Verba habet: *thenne  
falk loth brodhär jönes budde aff nadhendal göra hy stoffholm. No-  
men itaque nostro more scriptum cernitur. Quis antiquorum  
collector monumentorum typum fabricari, aut quo tempore, cu-  
raverit, haecenus nos latet.*

<sup>31)</sup> LOENBOM l. c.





dem eorum conditos; Latine omnes, praeter precatiunculam quae agmen claudit, ad Divam Mariam, dialecto inferioris Germaniae conceptam, quae (ut et sententiae quaedam Germanicae in libro passim occurrentes) scriptorem gentis hujusce hominem fuisse (Monachum, ut videtur), prodit. Non vero precandi tantum, sed morbis quoque medendi eum arti curam intendisse, inter ipsas preces invenienda haec ostendit remedii formula: *Nym keller halses struf, und snyt dat ouerste bark aff, und tuatt dat bast negefte dem holde, und lat dat gans druge werden, und stot dat i eneme moter to klenem puluere und menge dat puluer myt swys flomen, und wan du den franken mynschen wolt helpen, so schudde ene de wunden vul van deme ungemengeden puluer, und smere de wunden al umme und umme myt deme wetten puluer, also lange dat de worm gebodet werde.* Literarum forma codicem seculo circiter XV exaratum esse, docet.

**41.** Chartacea Plagula, ritum praescribens, quo actus solennis inserinationis b. *Hemmingi*, Episcopi quondam Aboensis, peragi conveniret; quod scriptum, (veteri lingua Svethica concinnatum), typis vulgatum, latinaque interpretatione et perpetua annotatione illustratum habetur, in gemina Dissertatione, Praeside Cel. D:no Prof. *Bilmark* hic Aboae a. 1775 edita, a D:no *Gustavo Sivers*, (Urbis jam Stockholmensis Senatore Ampl.). Manuscripti ipsius insimul ibidem descriptio datur; quamobrem nihil hic addimus.

Hoce monumentum, ut et Codices ambo ordine proxime praecedentes, (N:o 39 et 40), ex penu Templi urbis nostrae Cathedralis, in Bibliothecam Academicam immigrarunt (cfr. supra § XXX p. 100).

**42.** Acta in caussa M. *Jacobi Boethii*, praepositi et Pastoris quondam in *Mora Dalekarliae* <sup>32)</sup>; nempe Libellus accusatoris, Exceptio rei, Replica illius, hujus Duplica, Sententia Supremi Dicasterii Regii Svetici, Litterae Regis ad idem summum Dicasterium de hac caussa datae: quae

<sup>32)</sup> De quo viro ac ejus fatis, conferri potest LOENBOM *Anecdoter om namufunniga och märkwärdiga Swenska Män*, I B. 4 Stycket.



Germanice reddita legi omnia possunt in noti libri *Nordische Samlungen*, Parte II. Nostrum exemplar temporis injuria non parum laesum est. Vol. Chart. Folio.

**43.** Commentarii R. Judicii Extraordinarii, cui anno 1676 inquisitio in sagas commissa fuit (Kongl. Commissorial-Rättens öfwer Trulldoms-wäsendet Protocoller); quales a Judicii Notario *Andrea Engman* primum calamo concepti sunt (Concepterne): nec non *Sententiae* quaedam ejusdem Judicii. Pauca ab initio folia desunt; nec ad finem usque turpis et infaustae hujus quaestionis Commentarii pertinere videntur. Historiam erroris ac superstitionis totius, breviter expositam, (quam haec acta plenius illustrant et confirmant) legere licet in *Nobil. D:ni LAGERBRING Sammandrag af Swea Rifes Historia*, Ed. II P. IV Sect. II C. 17 § 34 p. 129—134. Quacum conferri potest *Expositio sententiae suae* de re tota, quam Judicium ipsum ad Regem misit, anno 1677 data, quaeque typis edita exstat.

Utrumque volumen (N:o 42 et 43), ex penu Nob. Centurionis D:ni *Joh. Engman*, Bibliothecae nostro dono concessum esse, supra dicta (p. 98 not. <sup>2</sup>) docere possunt.

**44.** Codex Chartaceus, quartae formae, Arabice scriptus, caractere punctato, manu admodum elegante. Continet:

1. Grammaticam notissimam *Giarumia* (Aldschrumija) et *de Centum Regentibus*.

2. Grammaticam Arabicam *aliam* uberiolem; cujus auctor hic edi videtur *Abdal Fakir Ben Abdallah Ben Abibekr*.

Recentis hujus Codicis si non descriptorem, tamen possessorem, fuisse Philologum aliquem Francogallum, ex adjecta primo folio versione interlineari Francogallica liquet.

**45.** Codex item Arabicus, formae octavae majoris, in charta laevigata, caractere non punctato scriptus, atque ex Oriente, ut videtur, adductus. Literas exhibet nitide quidem et curiose exaratas, sed minutas et artificiose contextas. Expositionem quandam *Al-Korani* complecti videtur.

**46.** Codex Arabicus, ejusdem formae, chartaceus, caractere simplici punctato exaratus. Capita quaedam *Korani* continet, sed ordine descripta perturbato; ita ut primae Surae mox subjiciatur ultima, s. CXIV, deinde excipiant CXIII, CXII etc. nulla servata perpetua consecutionis lege. Operculo inscriptum legitur: *Ex liberalitate Nobilissimi De la Rosiere, amici mei intimi, factus est hic liber Arab. Sparwenfeldii. Moscuae 4 Junii 85.*

**47.** Codex Arabicus, formae 8:vae minoris (s. 12:mae?), charta laevigata scriptus, ex Oriente sine dubio adductus. Operculo titulus libri adscriptus legitur: *Grammatica de Nomine, de Centum Agentibus et Verbo. Auctore Abi Becr Algargiani.* Ad eruditum aliquem Francogallum olim pertinuit; qui contenta capitum, sua lingua, locis quibusdam margini adscripsit.

Quatuor hi Codices, de quorum pretio diligentius judicare meum non est, ex Bibliotheca acquisiti sunt Cel. Prof. *Clewberg.* Cfr. supra p. 89 not. <sup>3</sup>).

**48.** Codex Chartaceus, in Folio, varia complectens ad res Russicas pertinentia. Nempe

1. *Extrait du Livre Stepenna, pour servir de rectification à la Table genealogique des Grands Ducs et Czars de Moscovie, de Hubner, inseré dans l' Atlas Historique.* Serie Chronologica exhibet successionem Magnorum Principum Russiae, indicatis praecipuis ejusque rebus gestis atque factis, conjugibus atque liberis. Latine hoc scriptum, manu b. *Simonis Lindheim,* Consiliarii olim Supremi Dicasterii R. Aboënsis exaratum est, a *Rureco* ad electionem Magni Principis *Basili Johannis (Iwanoviz) Schuisky,* filium deducens. Subjiciuntur haec verba: *Finis Libri Stepennae.* Deinde additur: *Genealogia Czari et Magni Ducis Vasili Iwanoviz Schuisky (de quo paulo infra);* post quam sequitur *Extrait d' un vieux Manuscrit pour la meme,* sistens seriem Magnorum Principum, eodem more Latine contextam, a morte *Theodori Johannis (Faedor Iwanoviz),* ad annum usque 1690, s. natum Principem Haereditarium *Alexium Petrovitz.* Tandem subjicitur: *Extrait de la quatrieme branche de la*

*Famille des Kobilins, de la quelle le Czar aujourd'hui regnant est issu, tiré du Livre Manuscrit nommé Rodoslowna; nihil continens nisi nuda nomina* <sup>33)</sup>. Omnia viri ejusdem Nobilissimi scripta manu. Plagulae (arx)quinque.

2. Liber Russicus, literis vetustioribus s. Slavonicis (quae hodie in libris tantum ecclesiasticis adhibentur) exaratus, res Russicas ab anno circiter N. C. 1580 (nam ab occupata Sibiria orditur), ad annum 1630, s. ex computatione Russorum annum Mundi 7138, quo nata est Magna Princeps *Anna Michaëlis Filia (Michailowna)*, Capitibus 429 persequens. Integer vero ad nos non pervenit; perierunt enim plagulae quae C. 237 et sequentia usque ad C. 261, continebant.

3. *O Velikoi Rossii Letopisetz, h. e. Historicus (Chronicon) Rossiae Magnae; sistit Compendiolum Historiae Russicae, ab anno Mundi 2772 ad annum 7185, plagulis VII et quod excurrit, eadem lingua eodemque literarum genere exaratum.*

4. *Historia Regni Casan, de ejus Initiis, victoria quam Magni Principes Russiae a Czaris Casanicis reportarunt, Regnique Casanici expugnatione, ductu orthodoxi Czari et Magni Principis Johannis Basilidis (Iwan Wasiljewitsch), omnium Russorum Autokratoris, facta. Eadem lingua litterisque exposita; foliis constans 100. Opus integrum.*

**49.** Codex Chartaceus in folio, Russicas item res continens:

1. Scriptum quoddam, lites tangens quae inter Imperium Russicum et Sinense agitabantur; Russice consignatum. Plagulae 2 cum dimidia. Fronti adscriptum est (Russice) *Exhibitum die 23 Augusti 1723, Collegio Rerum Peregrinarum.*

2. *O Primirenii zerkve Velikorossiskija s zerkoviju Rim-skóju; s. de unione Ecclesiae Rossicae cum Ecclesia Romana.*

---

<sup>33)</sup> De variis his Librorum Russicorum Historicorum et Genealogicorum generibus, consuli potest MÜLLER, *Samlung Rußischer Geschichte*, V B. f. 8, 9, 10, 12, sq.



Famosum est illud *Scriptum Doctorum Sorbonicorum* (in Russicam linguam conversum), quod a. 1717 Imperatori Russiarum Petro I, Parisiis tum versanti exhibuerunt, ei persuasuri, ut unionem Ecclesiae Russicae cum Romana promovendam susciperet: quod Latine legi potest in WEBERI *Veränderte Rußland*, I Th. p. 433—444.

3. *Index* s. designatio (*Wedomost*) pecuniae quae ex *Capitatione* rediit per *Satrapias Sibiriensem, Belgorodensem et Kasanensem*, Russice. Manca est, plagula tantum constans.

4. *Kniga . . . Letopisetz Rossiskich*, s. *Liber Chronicorum Rossicorum*, lingua literisque vetustis Russico-Slavonicis scriptus. Continet initium modo operis, de primordiis hujus Imperii agens; ita misere truncatum ad nos pervenit. Plagulae tantum IV.

5. Aliud Fragmentum, Libri Historici eadem lingua eodemque literatum genere scripti, turpiter autem adeo lacerati, ut non nisi Capita 68, 63 et 65 supersint: quae utrum ad genus illud scriptorum quod *Annalium (Letopisi)*, an quod *Graduum (Stepennie)* nomine venit, pertinuerit, ignoro. Plagulae XII. Fronti praescriptum primi folii legitur: *Eodem anno, mente Augusti*. Deinde Capitibus atque Sectionibus hujusmodi Tituli praepositi obveniunt, ex quibus de tempore quod persequuntur judicare licet: *Cap. 68, De proditione Casanica a. 6044, die 25 Septembris, De morte principis Georgii, De adventu Czari Crimensis Safakirja in Russiam a. 6049 die? Maji; Cap. 63, De morte Magni Principis Basili Johannis (Wasili Iwanowitsch) a. 6042, die 21 Septembris, De Principis Georgii Johannis (Jurje Iwanowitsch) captivitate; Cap. 65, De Praefectorum (Wojewod) Magni Principis Johannis Basilidis itinere (s. expeditione) in Lithuaniam a. 6043, De Lithuanorum Legatis, De Episcopi Novogordensis investitura, De bello Casanico quod a Magno Principe Johanne Basilidis susceptum fuit, De exilio Casanico*. In numeris annorum sine dubio vitia latent?

6. *Comparatio Linguarum Latinae, Russicae, Samojedicae Gugoriensis, Pustoriensis, Samojedicae Smesensis, et Mese-*

*nensis*. Folia V. Verba Russica et Samojedica Russicis, reliqua Latinis literis exprimuntur; atque in Tabula, juxta se invicem collocata, lineisque VI distincta, legenda sistuntur. Paginae ultimae Germanice adscripta est sequens observatio de Tabulae hujus usu: Bey vorstehenden Aufsatz ist zu bemerken, daß diejenigen Wörter, so unter der Pustorischen Colomne nicht angezeichnet, bey denen dort wohnenden Samojuden auch nicht befindlich sind; dahingegen die so im Mesenschen wohnen, weisen sie mit denen Russen mehr Umgang haben, auch von mehrern Sachen einige kenntniß und folglich auch in ihrer Sprache Wörter darauf haben. Wo unter bey den Columnen kein wort anzutreffen, zeigt es an, daß die Sache denen Samojuden gantzlich unbekant, wo sie es aber bey denen Russen sehen und kennen lernen, geben sie derselben die Russische Benennung, nach ihren Dialect ausgesprochen. Das Geschlecht der Samojuden so im Meseenschen wohnet, ohngefehr in der Distance von 3 bis 400 Werste von Archangel, nennet sich Objondiro, und bestehet aus zweyen Familien, Lache und Warnuta genandt; welche zusammen ohngefehr 2 à 300 Personen ausmachen. Das Geschlecht der Tibijandii wohnet weiter hin, und die Jugorschen Samojuden, so um der Gegend von Pustoser wohnen, nennen sich Chariri. Beym Jenisee und weiter hin an dem Lena Strohm, wohnen andere Geschlechter von Samojuden, die sich Manduji nennen; ihre Sprache ist von dem übrigen Dialect ziemlich unterschieden, doch können diese differente Geschlechter sich unter einander verstehen, und stimmen übrigens in ansehung der Nahrung, Kleidung und Sitten völsig überein. Die alte art der Samojuden zu zählen, ist nur bis 9 gegangen, wonach sie wieder von eins zu zählen anfangen; daher nennen sie auch noch jezo die zahl 10 in ihre Sprache das Russische 10, Lureeju (Luzēju?); sonstn aber könnten sie dennoch bey ihrer alten art zu zählen bis 100, auch 1000 und weiter heraus rechnen. Cfr. (v. Klingstädt) *Memoire sur les Samojudes et les Lappons*; quem librum Svetice vertit ac edidit b. S. Loenbom, St. 1773, 8:o Etc.

7. Scriptum Polonica lingua consignatum, ad res Russicas pertinens. Plagulae VI. Tempora *Johannis Basilidis*

II, et proxime sequentia tangere videtur: de quo autem mihi, utpote linguae ignaro, nihil praeterea addere licet.

**50.** Codex Chartaceus in 4:ta forma, sequentia continens Scripta, Russice contexta.

1. *Dobrochotnoje uvetschanije sotza ksinu*, h. e. *Benevola admonitio Patris ad filium suum*. Folia tria; ethici argumenti.

2. *Kratze sostojanii morskago korolevkogo flota, pervago Julia 1691*, h. e. *Brevis expositio de statu Classis Regiae maritimae, a. 1691 Mense Julio*. Classem Regiam Franco Gallicam ejus temporis recensere videtur. Plagulae XII cum dimidia.

3. Folia IV, Russice: indicem dierum exhibentia, sanctis nonnullis demortuis memoriaeque eorum celebrandae consecratorum; aut Necrologium, Coenobii alicujus Russici incolarum maxime celebrium emortuales dies recensens. Numeri annorum indicati, superiori seculo conscriptum esse docent.

4. *Instrumentum Pacis Cardisensis*, inter Sveciam et Russiam a. 1661 die 21 Junii constitutae, *Russice*. Articulis V primis et XVI:mo Germanica interpretatio e regione adjecta conspicitur; reliquis pariter vertendis et adscribendis spatium relictum est.

5. *Instrumentum Tractatus Plusisensis*, pro confirmanda et explicanda pace Cardisensi a. 1662, d. 12 Octobris inter utrumque Regnum conventi; *Russice* Primi IV Articuli, simili ac in praecedenti proxime scripto, more consilioque, Germanice reperiuntur conversi.

Tres hos Codices, (48, 49 et 50), ex relicto penu librario Nobilissimi *Lindheim* in Bibliothecam Acad. transiisse, supra jam indicavimus (p. 99 sq. not. 6); dolendum vero, schedas et collecta scripta eruditi hujus rerumque imprimis Russicarum et periti et curiosi viri, antequam nobis servanda concederentur, tam negligenter habita maleque multata fuisse, ut pars penitus perierit, pars lacerata discerptaque fuerit. De lingua Samojedica conferri merentur quae ipse monuit in *Novis Actis R. Societ. Scientiar. Upsal.* Vol. II p. 34 et 35.



**51.** Någre timmars ofkyldigt Tidsfördrif, rörande någon el af den mindre *Detaillen* wid et Indelt Regimente til Foth. 1756. Sive ut alio folio vocatur: Några timmars Tidsfördrif, eller Boställs nöje, rörande någon del af den mindre *Detaillen* wid et Regimente til Foth. 3 uprichtig wählmening af G. O. h. e. *And. Georg. Wetterhoff*, Centurione Legionis Pedestris, Ditionis Aboënsis, (Capitaine wid R. Åbo-Läns Infanterie-Regimente); cujus post mortem, beneficio Haeredum suorum, volumen hocce Bibliothecae Acad. asservandum cessit. Codex chartaceus, in folio maximo, Svetice, manu eleganti scriptus, figurisque pulcre delineatis (opera Generos. D:ni *Erici Stjernwall*, Chiliarchae demum R. Dimacharum (Dragoner) Ditionum Nylandensis et Tavasteburgensis, auctori affinitate conjuncti). Testatur opus hocce, eorum judicio qui de his rebus judicare scite valent, de auctoris et industria et studio, rei militari patriae utiliter inserviendi, artisque suae experientia haud vulgari; ita ut, quamvis jam multa, suo tempore emendationis haud dubie indiga, melius constituta sint, atque ad mutatam interim perfectamque rei hodiernae militaris rationem plura sua monita consiliaque non amplius quadrent, tamen quae ad rationes ac artes militum curandorum regendorumque minutiores et magis particulares pertinent (den mindre detaillén) atque ad militis gregarii in bello castrisque versantis oeconomiam, victum atque cultum (Soldatens hushållning och lefnadsfätt) spectant, haud sint spernenda. Continet praeterea facta historiolasque passim allegatas, neque inutiles scitu artis militaris studiosis, neque injucundas, testes peritiae suae ususque harum rerum laudabilis; quae omnia dignum omnino reddunt librum, qui in memoriam auctoris conservetur, alio loco diligentius merito suo celebrandam <sup>34</sup>).

**52.** Codex Chartaceus in folio, scripta quaedam Hi-

<sup>34</sup>) Ab ordine recedentes temporis quo Bibliothecae nostrae acquisiti singuli Codices fuerunt, ad volumina quaedam describenda jam transimus, quorum cognitio fructuosior harum rerum curiosis visa est.

historica, ad res patriae illustrandas spectantia complectens, nempe:

1. *Then Swenske Crönika* M. OLAVI PETRI. Idem illud Chronicon, cujus jam supra p. 112 (Cod. VI n. 6) et p. 140 (Cod. 32) alia duo exemplaria, ad Bibliothecam nostram Acad. pertinentia, paucis descripsimus. Praefationis prima folia, injuria temporis perierunt; opus vero ipsum, foliis 183 descriptum, integrum continetur.

2. *Fölsjer Konungh Göstoffs Crönika*. Hujusmodi rubro praescripto, Chronico illi *Olai Petri* subjungitur *Chronicon* PETRI NIGRI s. SVART, res gestas Regis gl. mem. *Gustavi I:mi* persequens; idem de cujus alio exemplo supra p. 111 (Cod. VI n. 1) commemoravimus. Continuatur autem ad annum usque 1569 sive ad mortem Regis: ab alio itaque auctore adjecta sint, oportet, quae post a. 1533, ubi *Nigri* labor finit, relata leguntur; ab *Erasmio* forte *Ludovici* (*Rasmus Ludvicsson*), de quo atque Chronico ejus videatur *Nobil. a CELSE* l. c. <sup>35</sup>), profecta.

3. *Konung Erichs Regementtes Handlingar*, emellan *Swe- rige, Danmark, Iyhdsland, Lifland och Nysland*: wthdragne aff *Peder Lyderssons* och *Rasmus Lodvicssons* *Handlingar*, och then *Liflenske Crönikan*, sampt andre *Memorialer*; aff *Olof Carlsson Krauuss*. De quibus auctoribus (*Erasmio Ludovici* excepto), eorumque hisce operibus, occasio mihi defuit aliquid praeterea resciscendi. Continuatur autem Chronicon nostrum, ab anno 1560, sive initio imperii Regis, ad annum usque 1569, quo deturbatus solio fuit; ex eodem hoc opere contractam esse *Historiam* illam *R. Erici XIV:ti*, cujus Fragmentum, Codici VI, supra p. 111 sqq. descripto, insertum esse docuimus, collatione facta deprehendimus.

4. *Paralipomena* eller *Bijhandlingar*, mykit nyttighe att weta, som *Iyhda* till *R. Göstoffs, R. Erichs* och *R. Johans* *Regementtes Handlingar*: sammanhämptadhe aff en *Konunglig Secreterare Swen Elofzson*. De quo et auctore et Libro, con-

<sup>35</sup>) Nempe Underrättelse om åttfillige handskrifne Crönikor öfwer *R. Gustaf* den *I:s* *Regering*, in *Cel. GJÖRVELL Kongl. Bibliothekets Handlingar* 1 B. 1 D. p. 8 sqq.

sulatur Nob. a CELSE l. c. p. 14 sq. Praefationi, etiam in nostro exemplo, subscriptum legitur: *Skrifmit i Westeraås om måren år etc. 1599*; quod ob dubitationem de aetate auctoris motam, significandum duximus. Persequitur vero gesta Regum supra memoratorum, ab anno 1556, ad anni 1579 mensem Septembrem.

Singula haecce Chronica haud incuriose descripta reperiuntur: cumque ad marginem folii 29, ubi narrat *Olaus Petri* Birgerum Ducem (*Birger Jarl*) arcem Tavasteburgensem tempore expeditionis suae contra Tavastos susceptae, a. 1250 condidisse, alia manu, atramentique colore multo recentiore quam qui in litteris conspicitur quibus ipse Codex exaratus est, adscriptum legatur: *åhr fördenßfull gammalt 385 åhr*; colligere hinc licet, exemplum nostrum ante annum saltim 1635, (initio seculi superioris, aut etiam in fine quarti decimi), descriptum fuisse; quod literarum etiam forma confirmat.

Egregium hunc Codicem debet Bibliotheca nostra amicae liberalitati Adm. Rev. atque Praecl. D:ni M. *Magni Jacobi Alopaei*, Logicae et Matheseos ad R. Gymnasium Borgoënsis Lectoris.

Dabimus jam Codices, quibus penum nostrum librarium benefice auxit Ampliss. *Arckenholtz* (cfr. supra § XXX not. 9); suntque sequentes:

**53.** *Sacra Biblia*, Latine, ex Versione Vulgata. Codex membranaceus, in forma 4:ta, aut 8:va majore; litteris minutis quidem, sed diligenter pictis exaratus. Compendia vero scriptionis non parce adhibita, lectu reddunt difficiliorum. Praecedunt ipsos Libros Biblicos: *Prologus S:ti Jeronimi presbyteri super totam Bibliothecam*. Ad calcem occurrit interpretatio nominum Hebraicorum aut Graecorum in Bibliis obviorum, ordine alphabetico disposita. Glossae hic et ibi adscriptae margini cernuntur, inprimis Libro Geneleos. Folio primo Codicis, manu b. *Arckenholtzii* sequens nota addita legitur: „*Observavit Jo. Jac. Vettstenius in suo Discursu supra locum 1 Johannis V. v. 7 et 8, quod alii Codices Latini N. T., et magno numero, verba commatis 8:vi:*



et hi tres unum sunt, non habent: alii non minori numero testes terrestres, qui in Graecis commate 8:o producuntur, testibus caelestibus, de quibus agitur commate 7, praeponunt (pl. vid. Wettstenii Nov. Test. Graec. T. II p. 725). NB Eadem transpositio in hoc Codice occurrit.“ Ad quem olim Codex pertinuerit, haec verba docent, eidem folio inscripta: *Clarissimo Doctissimoque Viro Joanni Kleinschmidt, L. L. Doctori Hassiaeque Principi a consiliis dignissimo, Wernherus Crispinus gratitudinis et memoriae ergo dono dabit. 14 Decembris Anno Salutis humanae 1569.*

**54.** *Alcoranus, Arabice, Codex Chartaceus in 8:o; de quo nihil praeterea habeo quod commemorem.*

**55.** *Memoires et Negociations de Mr. DE RUSDORFF, Gentilhomme Allemand et Conseiller privé du Serenissime Prince Frederic, Roi de Boheme Electeur Palatin; où les Conseils, les actions et plusieurs Anecdotes des premieres Cours de l' Europe, depuis l' an. 1622 jusqu' en 1634, sont exposées avec la capacité d' un grand Ministre et la franchise d' un honête homme. Codex chartaceus in Folio. Ipsum exemplum protographum (Concept-exemplaret) concinnatoris, qui opus hocce in publicam edere lucem constituerat, b. Arckenholtzii manu maximam partem scriptum, aut correctum saltem atque limatum: qui alterum libri, prelo parati, exemplum nitide descriptum, voluminibusque duobus in folio constans, se Archivo Regni legasse atque tradidisse, his verbis, nostro exemplo adscriptis, testatur: Afsskriften af detta originale utkastet til Joachim Rusdorfs Memoires, har jag legerat och lämnat, genom Herr Baron och Sagman (jam Cantlie=Råd samt Ridd.) Gustaf Ribbing, til Riks-Archivet: år 1770, uti 2 folianter. Qui a. 1760 Galliae et Angliae typis divulgatus fuit *Prospectus Operis* hujusce, (cujus, subscriptionis ope in publicum edendi consilium Bibliopolae quidam Amstelodamenses ceperant), et pretium ejus et indolem perspicue exponit: quare inde, quantum nostro convenit instituto, excerpisse, satis erit ad justam Codicis nostri ideam informandam. Ita vero ille: *Le Manuscrit qu' on offre au Public, occupe deux Volumes in Fo-**

lio (noster uno comprehenditur), ce qui imprimé en quarto fera bien cent ou 120 feuilles. Il est fidelement copié d'après des originaux contenus dans quatre gros volumes in Folio, qu' on a soigneusement conservés dans une des Principales Bibliothèques d' Allemagne, et sur l' authenticité desquels l' on peut sûrement compter. Ils consistent en Lettres, Depêches et Instructions, servant à éclaircir ou à développer les evenemens les plus remarquables, de même que les plus importantes negociations de la plupart des cours de l' Europe, mais surtout de celle de la Grande Bretagne, où notre Auteur Mr. le Baron Jean Joachim de Rusdorf, avoit residé depuis l' An. 1622, jusqu' en 1628. Il étoit d' une illustre et ancienne famille du Palatinat, d' où il avoit été envoyé à Londres en qualité de Ministre Plenipotentiaire par cet infortuné Prince Frederic, Roi de Boheme, Electeur Palatin. On trouvera difficilement dans d' autres recueils Historiques un si grand nombre d' Anecdotes du Regne des Rois Jacques et Charles I, que dans ces Memoires de Rusdorf, dont la suite s' etend jusqu' dans l' année 1634. L' accès libre que lui donnoit la qualité de Ministre auprès du Beaupere et du Beaufrere du Roi-Electeur son Maitre, lui procura la facilité de parvenir à la connoissance des Plans et des Projets de la Cour d' Angleterre: où Rusdorf fort au fait de ceux qui se traitoient dans les Cabinets des Princes etrangers, fut consulté dans les occurrences les plus importantes, tant par les Rois que par leurs Ministres, avec lesquels il entretenoit un commerce de Lettres aussi suivi qu' étendu. Quant au gouvernement interieur de la Grande-Bretagne, il en étoit instruit à fond, ou par les Rois Pere et Fils, et leurs favoris, ou par les chefs des deux partis qui divisoient le Parlement, lesquels avoient une egale confiance en lui. En exposant et en developant les faits qu' il rapporte, Mr. de Rusdorf a montré toute la capacité d' un grand Ministre, et toute la franchise d' un honnete homme. Ce qu' il en dit, peut servir de clef et de donouement aux grandes affaires, qui pendant cet epoque critique de douze ans, étoient sur le tapis dans les Cabinets des Cours de l' Europe. Tous ces

papiers et lettres ont été redigés en ordre chronologique, et liés par une narration claire et simple des choses, qui tendent à éclaircir les écrits et les ouvrages de notre Auteur. L'on en a pris les matériaux de ce Manuscrit en quatre volumes en Folio, dont nous avons déjà parlé, et qui n' a jamais vu le jour. Pour éviter la prolixité, on n' a dans quelques endroits fourni que des Extraits: dans d' autres l' on a donné les pièces en entier. Le tout est précédé d' une préface raisonné en sept feuilles, et de la vie de Mr. de Rusdorf, qui en occupe autant. L' on y joint une Appendice de pièces justificatives, avec une table des matières des plus complètes. Il est bon d' avertir, que ce qu' il y a de publié de l' illustre M. de Rusdorf, sous le titre de Consilia et Negotia publica, de l' An. 1726 en Folio, dédié au feu Roi de la Grande Bretagne, n' a rien de commun avec ces Memoires Manuscrits. Notum eruditibus est, Collectionem illam Epistolarum Rusdorfii originalem, unde b. Arckenholtzius hos Commentarios excerpsit atque adornavit, in celeberrima Bibliotheca Ser. Landgravii Hassiae, Cassellis asservari. Consilium autem operis utilissimi typis edendi, successu caruit; quare Codex scriptus tanto majoris haberi debet pretii. De vita, meritis, scriptisque Rusdorfii, praecipua ex opere hoc laudato, cum orbe erudito communicavit Cel. Guil. Jo. Chr. Gust. Casparson, Professor Collegii Illustris Carolini quod Cassellis floret, edito libro cui titulum fecit: Nachrichten von der Person und dem Leben Joh. Joachims von Rusdorf, ehemaligen Churpfälzischen Geheimen Rathe, gesammelt von Herrn Rath Arckenholz, und aus dessen französischen Handschrift herausgegeben von W. J. C. G. Casparson, Franckf. und Leipz. 1762, 8:o. Ex eodem fonte, Arckenholtzii nempe quae in nostro Codice comparet vita Rusdorfii, eadem breviter exhibetur concinnata, in Upsoftrings=Sällskapets Tidningar pro A. 1782, N:is 114, 115 et 116, 117, p. 455—459, et 461—464; quae diligentiae debetur M. Jacobi Tengström, Adjuncti jam Fac. Theol. in R. hac Academia laudatissimi.

**55.** *Ambassade de Monsieur DE LA BODERIE en Angleterre, es Années 1606, 1607, 1608 et 1609 Tom. I. Pre-*



*miere Partie. Cette premiere partie contient les depeches et lettres du dit Sieur de la Boderie depuis le 22 May 1606, jusques à la fin de l' année 1607. Codex chartaceus in Folio, nitidissime scriptus; solam hanc Primam partem complectitur. Epistolis Legati praemittitur Instruction pour le Sieur de la Boderie, Conseiller du Roy en son Conseil d' Etat, que sa Majesté envoye presentement pour Son service devers le Roy de la grand Bretagne Son très cher Cousin et ancien Allié. Cui subscriptum legitur: Fait à Rheims le 26 Avril 1606 HENRY. Et inferius: D. Meufville. Excipiunt Orationes Legati ad Regem et ad Reginam Magnae Britanniae. Tandem ipsae Epistolae adjunguntur. An in publicum emissae unquam sint, esse fateor mihi ignotum.*

**56.** Consilium, sive Institutio, de Imperii Turcici gubernaculo rite tenendo, a Turca aliquo prudenti et suae reipublicae perito, Sultano alicui Turcico nuper ad imperium admoto exhibita; in Svecicam linguam conversa, plagulis chartaceis XIX cum dimidia continetur. Rubro nullo insignitur, neque vel auctoris vel temporis quo scripta est ulla facta reperitur mentio; ut nec interpretis nomen comparet. Caeterum notitiam simul totius status Turcici exhibet diligentem, Magistratum Praefectorumque omnis generis officia describit, Ministrorum Aulicorum diversos ordines persequitur, Exercitus cum suis institutis, nec non Reditus atque Sumtus publicos, cognoscendos praebet. Post Solymani II:di tempora auctorem scripsisse, inde liquet quod Budam inter urbes Imperii Turcici recenset; quin ex sequenti loco colligere licet, scriptum hocce Sultano *Ibrahim*, fratri *Amurathis (Myrad)* IV:ti qui Bagdadim expugnavit, fuisse exhibitum: *Min Stormächtigte Keshfare, när Eders Maj:ts broder glornwördigst i äminnelse war för Bagdad, då slogs Venetianerne med Algererna, således, at Venetianerna wunno Battailen och togo til fånga 15 skepp och Galeyor och gjorde dem stoor skada. Eder Broder blef deröfwer mycket ond, och skref til Venetianerne således: jag will bryta freden med Eder och will intet wetta utaf Eder wänstapp; då blefwo Venetianerne rädde, och tilbödh Eders Maj:ts Broder 500000 Riksdal.*

att freden ej skulle brytas: etc. (Cfr. quae de eadem hac re narret LAUGIER *Hist. de la Republique de Venise, T. XI, L. XLIII p. 299—303, et 306 sq.*). Capite de *Rusticorum et subditorum conditione*, sollicitam horum curam auctor Sultano commendat; unde quaedam verba exscribemus: Nu blir Böndernes och undersåtarnes tillstånd förklarar. Eders Maj:tt bör wetta att Bönderne äro Eders Maj:ts Skatt; uthan Bönderne kan man ingen Skatt ihoopsambla, och uthan Skatten kan man inga troupper sammanbringa, och uthan troupper kan man intet wara Keshfare. Man måste alltid hafwa medlijdande med de fattige undersåtare, och med slijt see efter deras tillstånd &c. Paulo post adjicit: Men, Nådige Keshfare, igenom desse många kriygen äro Bönderne blefne utharmade, och derföre bortslupne, för den orsaken skull att man dem gjort oförrätt; såsom til exempel: uthi en by hafwa tillförende 10 huus warit anslagne att betala contribution, men af dem äro bönderne uthi 9 huus bortslupne och en allenast blifwit qwar; när nu den kommer som skall upbära contribution, så tar han slijfakullt af det ena för 10 huus contribution, hwilken sig bestijger till 3 Riksdal. på hwart huus, etc. Ignotum mihi, an ullibi hoc scriptum typis expressum fuerit; qua tamen cura haud indignum est. A translatore Svecano, adjecta margini interpretatio conspicitur vocum praecipuarum Turcicarum, quas ut Technicas in textu retinuerat; qualia sunt nomina dignitatum, mensurarum, pecuniae etc. Initio circiter seculi praesentis, aut ad finem vergente superiore, interpretationem factam esse, stilus et orthographia indicant.

**57.** Volumen Chartaceum, in Folio; collectionem Epistolarum aliorumque varii generis monumentorum complectens, ad res maxime Svecicas illustrandas pertinentium, partim manu Ampl. Arckenholtzii exscriptorum, partim ab eo cum autographis aliisve certae fidei exemplis collatorum. Reliquias hasce paucas sane sparsasque, quae ex locupletissima sua diligentissimaque monumentorum hujus generis collectione, (nescio quod fatum experta), ad nos pervenerunt, in unum volumen compingi curavimus. Sunt quaedam typis jam vulgata, alia vero adhuc inedita: quam tamen rationem diligenter persequi, et genus utrumque accu-

rate distinguere, nobis hactenus non licuit, quibus otii satis non superfuit, tot percurrendis Collectionibus ac Voluminibus, per quae rerum patriarum hujusmodi monumenta dispersa lucem publicam adspexerunt, impendendum. Ut qualia nostro tamen hoc volumine contineantur judicari quadantenus possit, indicem quorundam dabimus, (omissis iis quae typis exscripta alicubi exstare certo meminimus): 4, Hertig Carls Bref (contra Senatores) dat. Westeråhrs d. 13 Febr. 1597. 6, Jo. Messenii Epistola ad R. Cancell. Ax. Oxenstierna, dat. Ups. d. 21 Mart. 1612. 7, Fem ft. R. Gustaf Adolphs Bref til Fröfen Ebba Brahe, a. 1613 et 1614. 8, 15, Binae L. Camerarii Epistolae ad Ax. Oxenstierna, dat. Hagae Com.  $\frac{1}{11}$  Mart. 1623, et Alton. 15 Maji 1626. 9, 14, 25, 28, 29, Joach. Rusdorffi Epistolae, ad R. Gustavum Adolphum, Lond. 14 Cal. Jan. 1624, ad Senat. Gabr. Oxenstierna, Hampton. 13 Cal. Sept. 1625, atque tres ad R. Canc. Axelium Oxenstierna, dat. Lugd. B. 6 Jul. 1629, Lut. Paris. non. Dec. 1629 et 8 Cal. Febr. 1630. 10, 12, Joh. Rutgersii quinque Epp. ad eundem; dat. Hagae 30 Mart., 5 et 26 Jun. 1624, et Hafn. 20 Jan. 1625. 16, 19, 49, Trenne R. Gustaf Adolphs Bref til R. C. Axel Oxenstierna, dat. Häringe d. 1 Apr. Stockh. 26 Dec. 1628, Gägret wid Nürnberg. 1 Aug. 1632. 17, 18, 37, 51, 53, 56, 57, 58, Ax. Oxenstierna Ep. ad P. Strasburgh, Elb. 26 Jul. 1628; Ejusd. Bref til Rikf. Råd Ib. 30 Nov. 1628, til R. Gustaf Adolph ib. 17 Jan. 1631, til Rikf. Råd Frankf. wid Mayn 14 Nov. 1632, Cöln an der Spere 4 Febr. 1633, til Rikf. Ständer 4 Febr. 1633, til Ridderskapet och Adeln, it. til Prästerskapet, it. til Borgare- och Bonde-Stånden wid Riksdagen församlade, Mayntz, 20 Jun. 1634. 20, Instruction womit — Wir Gustavus Adolphus — unsern Hoff-Marschaln — Dietrich von Falkenberg — naher Teutschland abgefertiget haben. It. alia, dat. Stockh. 2 Jan. 1629. 21, 22, Literae salviconductus, et Instructio ad cujus tenorem in militibus peregrinis conducendis, eidem erat agendum. Stockh. d. 16 Jan. et d. ? Jan. 1629. 23, Instruction für den Hoffmarschall (eundem) wegen Königl. Majts Rupfers, so Ihr Königl.



M:st in Amsterdam antio liegen haben. Stockh. 27 Jan. 1629.  
 24, Tres Epist. *Jo. Cabeljavii* ad Ax. Oxenstierna, dat.  
 Holmiae e Museo, Hagae Com. 5 Jan. 1629, et Holm. 5  
 Jun. 1648. 27, R. Gustaf Adolphs och Riff. Råds Delibera-  
 tion ang. Thysa Kriget, på Upsala Slott d. 26 Oct. 1629. 38,  
 Litterae R. Gustavi Adolphi Commendatitiae ad Turcarum  
 Imperat. Amurathem III, pro Principe Vidua Transsylvaniae  
 Catharina. 89, Responsum Amurathis ad has litteras,  
 (dat. die 26 Jun. 1642). 40, Mandatum R. Gustavi Adolphi  
 ad Legatum suum Paulum Strasburgh, de negotiis ejusdem  
 Principis Catharinae promovendis, dat. Gembergae d.  
 3 Sept. 1631. 41, Epistola Pauli Strasburg ad R. Gustavum  
 Adolphum, d. Albae juliae  $\frac{1}{2}$  Febr. 1632. 45, R. Gustavi  
 Adolphi Ep. ad Principem Transsilvaniae Catharinam,  
 dat. Augustae d. 18 Maji 1632. 26, *Cornelii Haga* Epist.  
 ad . . . , dat. Constantinop. d. 26 Jul. 1629, ad eadem ista  
 negotia etc. pertinens. Praeterea multae variorum Litterae  
 ad R. Cancellarium Ax. Oxenstierna: 30, *Thomae Roe*, Legati  
 Anglici in Aula Svecica, dat. Gedani  $\frac{1}{2}$  Apr. 1630;  
 33, *Eliæ Pauli* Consulis Stetin. d. 9 Sept. 1630, et 7 Apr.  
 1631; 54, *Johannis Braun*, d. Hamb. 16 Nov. 1633; et *Joh.*  
*Narssii* d. Francof.  $\frac{1}{2}$  Jul. 1633. 63, *Tilem. Stellae* d. Lut.  
 Paris. 16 Cal. Aug. 1637. 61, 68, Quatuor *Claudii de Memes*  
 (Com. d'Avaux), d. Lut. Paris. 15 et 19 Dec. 1642,  
 20 Jun. et 10 Jul. 1643. 66, Tres *Evertii Jollyvet*, d. Lut.  
 Paris. 17 Febr. 1634, 6 Maji et 1 Aug. 1637. 71, Quatuor  
*Hugonis Mouati*, d. Lond. 24 Oct. 1645, postrid. Cal. Jan.  
 1646, postr. Cal. Jul. et 22 Jul. 1747. Etc. 47, 50, *J. Camerarii*  
 Ep. ad . . . dat. Herspruch in Norico d. 21 Jan. et  
 Norib. 16 Sept. 1532. 65, Skriftväxling emellan Ambassad.  
 Gr. Joh. Oxenstierna och Hof=Canc. J. Adler Salvius. Nov.  
 et Dec. 1641. 80, Transsumt ur 2:ne Rifs=Canc. Gr. Ax.  
 Oxenstiernas bref til sin son Eric, d. Stockh. 19 och 24 Dec.  
 1653. 84, Skäl til beweka de Engellske at tråda uti närmare  
 Commerciers handel med Sverige, af R. R. Bengt Skytte,  
 1662. 85, Rationes pro Hollandis et contra Anglos (ad  
 idem negotium pertinentes) 1663. 89, Extract af Instruc-

tion för Kongl. M:ts Plenipotentiariet och Extraordinarie Legater — mid förefommande fredz negotiationes uti Nimwegen. Dat. Stockh. d. 19 Apr. 1676. 90, Menige mans i Skåne och Blekingen deprecation til K. Carl XI, för det de tagit Danfka partiet. 91, Riks-Canc. Gr. Magn. Gabr. Dela Gardies Vindiciae Veritatis eller Sannings-Förfvar emot onfsefull — beffyllning Dat. Höjentorp d. 7 Febr. 1678. 92, K. Carl XI:s Skydds-Bref för Lifländfke Bänderne, dat. Stockh. d. 23 Maji 1684 (in originali). 93, N. Lilienroths (Legati Svec.) bref (til Gr. Bengt Oxenstierna?) ang. den uprättade Scandaleusa Statuen i Paris, dat. d. 19 Febr. (1 Mart.) 1686; it. hans memorial derom til Franfka Stats-Ministern N. N. 96, Gränse-Commissions (mellan Herjedalen och Trondhjemslän) Bref til K. Carl XI, dat. Meßlinge bruk d. 8 Aug. 1690; it. 2:ne til Danfke Commissarietne dat. d. 5 och 9 Aug. ej. a. it. et ifrån Swenfka Commissionens Secreterare Ånd. Utterelo til den Danfke Paul Steen, d. 9 Aug. ej. a. 117, Canc. Rådet *Ol. Estenbergs* Memorial til Kongl. Canc. Collegium, ang. 1282 års Riksdags-Beslut på Helge Ånds Holmen, dat. Stockh. d. 23 Sept. 1734. 118, Ass. *Jo. Helins* Mem. i samma ämne. 125, Tilförlätelige Bewis af Franfke Nationens sinnelag och omdömen — om den Swenfke Nationen etc.; ex iis *Arckenholtzii* nostri operibus politicis, quae fatalia auctori fuerunt.

**58.** Codex Chartaceus in Folio, monumenta varii generis continens, res praecipue Svecicas, Historiamque Literariam spectantia. Exempli caussa quaedam indicabimus: 5, E Collectione Palmköldiana, Tom. de Uplandia, *de R. Amiralio Com. Carolo Gustavo Wrangel*, Gallice. 8, *Matthiae Palbitzki* narratio de vita sua atque peregrinationibus: Germanice. 9, *Vita Georgii Stiernhielm, et Magni Rönnovii Dublars*. 15, K. Carl XII:s Cancellie-Ördning, gifven Timurtasch d. 26 Oct. 1713. 35, Index Alphabeticus rerum in Patria, regnante Regina Udalrica Eleonora gestarum; sub lectione, ut videntur Commentariorum Senatus Regni (Råds-Protocollerne) confectus, quorum volumina et paginae citantur: Labor inceptus modo, neque ultra men-

sem Maji a. 1719 continuatus. Historiam Patriae, a morte R. Caroli XII, ad mortem R. Friderici I, ex decreto Ordinum Regni scripturus, hujusmodi sese apparatu atque subsidiis instruere diligentissimus *Arckenholtzius* coepisse videtur; sed morbo senioque impeditus, pertexere telam non valuit. 36, Memorial ang. *Berl-fifferterne* (til R. *Cammar-Collegium?*), af *Henr. Schylman* (postea Commiss. Status), dat. d. ? Dec. 1733. Huic volumini etiam adjectae quaedam plagulae sunt, e schedis *Lindheimianis* servatae, (supra p. 99 sq. not. 9), et p. 155), haud illae quidem integrae, res Russicas Ecclesiasticas spectantes, Germanice perscriptae; e Russico translata idiomate scripta pauca exhibent, atque inter illa Testamentum illud insulsum, quod Monachi Russici *Magno Erici R. Svecorum* affinxerunt (cfr. *Tidn. utgifne* af et *Sällsfap* i Åbo, 1783, N:o 36).

**59.** *Recueil de Diverses Pieces*. Volumen Chartaceum in 4:o, nitidissime scriptum et compactum; foliis constans 160 cum dimidio, praeter indicem contentorum et Epistolam dedicatorem, ad D:num *Guil. de Gehebe*, Consil. Hassiacum (*Conseiller de Guerre et des Finances, et Secretaire du Cabinet*) Gallice scriptam et volumini praemissam, dat. Stockholmae d. 24 Nov. 1735, cui nomen suum auctor subscripsit C. L. H. Meditationes varias continet, judiciumque et annotationes, Politici, Ethici et Literarii generis, sermone partim Germanico; quasdam etiam ad res patriae nostrae spectantes: non maximi tamen pretii.

**60.** Volumen Chartaceum in 4:o, ex schedis variis sparsisque compactum, a b. *Arckenholtzio* vel propria manu exscriptis, vel cum autographo collatis, vel undecunque collectis; Historici plerumque aut Politici argumenti. Exempli loco quaedam horum etiam monumentorum indicabimus: 2, *Personalier öfwer Hertig Carl Philip*, af R. *Gustaf Adolph Jelf* med deß egen hand upsatte och conciperade. In margine annotatum legitur: *ex Msto R. Gustavi Adolphi*. Typis exseribi curavimus in *Tidn. utg. af et Sällsf.* i Åbo, pro A: no 1778, N:ris 15 et 16. 3, R. Canc. *Axelii Oxenstierna* 7 Litterae ad Canc. Regni Poloniae, ad Vice-Cancell. Zamoi-



scium, ad Castellanum Cracoviensem, etc. omnes dat. Elbingae d. 5 Febr. 1631. 7, *Ejusd.* Företal til R. Gustafs den Stores af Sverige begångne gerningar och Historie (una cum initio operis ipsius imperfecti). Ex autographo Illustriss. Auctoris. 8, *Ejusd.* 4 Epistolae ad filium (Jo. Oxenstierna) dat. 13 Jul. d. ? Jul.  $\frac{29}{17}$  Jun. 12 Sept. 1635. 4, *R. Gustavi Adolphi* Litt. ad Ax. Oxenstierna, dat. Falckenoviae 5 Oct. 1626. 5, *Ejusd.* Ep. ad Bened. Oxenstierna, dat. Uägrret wid Dirschow d. 12 Jul. 1626. 14, Kongl. M:fts Skrifwelse til Hr. Pehr Brahe om Triple Alliancen etc. dat. Stockh. 17 Febr. 1669. 15, Quatuor *Lud. Camerarii* Epist. ad Axel Oxenstierna, dat. d.  $\frac{6}{18}$  et  $\frac{19}{9}$  Apr. 1630, Hagae Com. d.  $\frac{18}{8}$  Nov. 1632 et  $\frac{1}{11}$  Jan. 1633. 21, *Compositio Caroli Gustavi* (Itinerarium, Latine scriptum) ab A:o 1638 mense Majo, (a d. 16 Maji ad d. 24 Julii): Ex autographo Regis. 22, *Ejusd.* Epist. ad R. R:que Sveciae Tutores et Curatores, dat. Montforti d. 12 Maji 1639. 23, *Brevis vita Johannis Adler Salvii*, ex Coll. Palmsköld. 25, *Jo. Schefferi* Epist. ad Jo. Mothium, dat. Ups. 13 Dec. 1665. 28, *B. C. Rålamb's* Oration öfwer Hr. Carl Båts Huswud Waner då det sönderstogs på grafwen, hållen i Ridderholms Kyrkian d. 20 Nov. 1698. 31, *Cl. Örnhielms* Berättelse til Kongl. Rådet Hr. Dahlberg, ang. Swenske Riddare-Orden, dat. Stockh. d. 5 Dec. 1693. 40, Anonymi annotatio de Mulieribus Sveciae Eruditiss, Svetice. 45, Index rerum ad Historiam Sveciae Politicam et literariam, Regnantibus Regg. Gustavo Adolpho, Christina, Carolo Gustavo et Carolo IX, pertinentium; accurate significatis fontibus, partim typorum ope vulgatis, partim adhuc in Mss. delitescens, unde hauriri earum cognitio queat. Pagg. 91. Cognoscere ex hoc scripto licet, quam diligenti et vasta hujus generis monumentorum instructus fuerit auctor collectione; qua dispersa, laboriosissimus hic Index nullius jam est usus. 52, *Remarques sur l'Histoire de la vie de Gustave Adolphe Roi de Suede, écrite par Mr. Walter Harte.* Folia 22. 66, om Sultans Hoff. Narratio de aula et Regimine Turcico. Tempus quo scripta est, prima verba indicant, quae talia sunt: Den Turfiske nu

1711 regeante Serren heter Achmet den tredie. Etc. Auctor mihi ignotus. Pagg. 42. Praeter multa alia scripta, pretii haud spernendi.

**61—74.** Epistolarum Volumina XIII, a Viris diversis Illustribus, Nobilibus et Eruditis, plurium Nationum ac gentium, ad B. *Arckenholtzium* scriptarum; quas in ordinem ab ipso, dum viveret, redactas, numerisque suis signatas, compingi curavimus. Neque aequalis omnes esse pretii, neque exspectari omnino posse ut quid contineant doceamus, facile intelligitur. Usu tamen ac pretio minime carere, talium rerum periti non nesciunt; neque alio loco nos etiam fructum ex iis repetere atque impertire supersedebimus. Praeter haec vero, fasciculi literarum ad virum eundem celeberrimum scriptarum *quatuor* in Bibliotheca Acad. asservantur, quas ipse a reliquis seceverat, ad posteritatis cognitionem minus fructuosas. Majoris autem pretii sunt, et in se, et ad Epistolas fautorum atque amicorum quas spectant plenius intelligendas, fasciculi *quatuor* alii, prototypa exempla s. adumbrationes (concepterne) Literarum quarundam complexi, quas ipse ad claros viros dedit, quibuscum sibi genus hoc commercii intercessit.

**75.** *Regitre des Memoires de Gustave Adolphe Roi de Suede.* Codex Chartaceus in 8:o. Nihil aliud est nisi Index Alphabeticus a b. *Arckenholtzio* in Commentarios Rusdorffii, supra a nobis descriptos confectus; quos ad res summi Regis illustrandas maxime pertinere, dubio caret. Comparatio et hujus Indicis, et ipsorum Commentariorum, cum monumentis quae Voluminibus modo a nobis commemoratis N. 58, et 60 continentur, instituta, luculenter docet *Appendicis* ad laudatos Commentarios ab auctore adornatae (quae a nostro illorum exemplo abest) ac infelicitate dispersae partem in illa immigrasse. Tantum de Mss. *Arckenholtzianis*.

**76.** *Mappam Japonicam*, rarum Bibliothecae nostrae cimelium, quam liberalitati favorique debemus Illustrissimi Maecenatis, Regis Regnique Senatoris etc. Comitum *Ulrici Scheffer*, supra jam descripsimus, (§ XXX, not. 4), p. 98 sq.)

quantum a nobis, et linguae et literarum quibus insignita est penitus ignaris, praestari potuit.

77. Quod idem de plagula Tanguticis literis inscripta, (de qua supra cit. § not. 2) fine, p. 98, commemoravimus), amicitiae Celeb. *Laxman* debitae, confiteri necesse habemus.

78. Volumen Chartaceum in 4:o, scripta quaedam Theologica atque ad res Ecclesiasticas pertinentia continens, hinc inde Bibliothecae nostrae acquisita. Inter haec comparent edicta bina R. Johannis III de Decimis, de annis 1572 et 1575; quorum hoc in Diss. Cel. RABENII *de Legis Publicatione*, Upsaliae a. 1767 edita, illud in *Novellis Aboënsibus* (Tidningar utg. af et Sällskap i Åbo) a. 1782, N:o 31, typis vulgatum legitur<sup>36</sup>); nec non 3, *Capita rerum Synodicarum recitata in Synodo Aboënsi anno Domini MDLXXIII, praesentibus Dominis Pastoribus et aliis Ecclesiarum Ministris*, sive Oratio b. Episcopi Aboënsis M. *Pauli Juusten*, initio habita Synodi anno mox commemorato hic Aboae celebratae, quae prima post repurgata apud nos sacra, fuisse convocata videtur. Tria haec monumenta amicitiae Bibliotheca debet Cel. D:ni M. *Matthiae Calonii*, Juris in Academia nostra Professoris; quae cum serius sint reperta, quam ut Capita ista rerum Synodicarum Reverendissimo Archi-Episcopo et Pro-Cancellario D:no D. *Mennander*, praeclaram *de Synodis, et speciatim Dioecesanis Aboënsibus Orationem*, in conventu Synodali a. 1773 hic Aboae habitam, luci publicae committenti, innotescere consuli que posset, pauca inde loca, quae ad illustrandam conditionem Religionis et Ecclesiae, qualis in his oris versus finem seculi XVI esset, nonnihil forte conferre queant, excerpta in notis dabimus<sup>37</sup>). 4, *Testimonia recentissimorum Scholasti-*

<sup>36</sup>) Vetusta manu utrumque descriptum, vel exeunte seculo XVI, l. ineunte XVII; quod autem in *Novell. Aboëns.* l. c. not. \*) edicitur, inter relictas schedas Episcopi *Pauli Juusten* reperta, ejusdemque manu scripta esse, utrumque sine dubio falsum est, et ex errore editoris profectum.

<sup>37</sup>) Non longe ab initio ita habet: . . . „vos earum rerum breviter commonefaciam, quas in his Synodalibus conventibus



*corum, Sophistarum et Monachorum, contra Manichaeam Papistarum communionem sub una specie, aut Sacrosancti Testamenti Christi violationem: ad hoc tantum congesta, ut li-*

Clero unanimiter collecto majores et praedecessores nostri ad communem auditorum aedificationem proponere consueverunt. Scio deinde illos ritu solenni, caeremoniis splendidis et pompa celebri consedissee ad hujusmodi colloquia; quem apparatus ego quoque, exemplo aliarum Svecicarum Ecclesiarum volens et libens jam intermitto, cum non sit de substantia hujus rei, sed magis de Ecclesiastico, neve dicam papistico ornatu.“ Alio loco dicit: „In coena Domini, — porrigatur utraque species tam laicis quam aliis, nec sint sacerdotes tam sordidi et impii, ut pro sanguine solam aquam porrigant *in coclearibus per aedituos*. Caveant sibi omnes ab hoc iniquissimo furto coenae Dominicae, et procurent vinum distribui in calice. Nec aliter fieri debet in quadragesimali visitatione. Qui alteram speciem laicis praeripuerit, aut alioqui turbidum et corruptum vinum propter suam avaritiam praebere ausus fuerit, merito beneficio privabitur sacerdotali.“ Alio loco: „Sacellani praestent suis Dominis Pastoribus obedientiam debitam, fidelitatem et reverentiam. Sint diligentes in Divinis officiis, in visitatione mortuorum (*ad morbidorum?*), in docendo populo, et vitam alioqui instituant suam ut Deus glorificetur et multi alliciantur ad pietatem. Domini Pastores numerent eis salarium conveniens eorum laboribus, victum suppeditent tempestivum, paterno amore prosequantur eos, nec denegent eis sepulturas parvulorum, ad decennium: eamque legem servatam esse volo per totam Dioecesin in singulis parochiis. Nec debent Domini Pastores tyrannice adigere Sacellanos suos ad servilia opera, et ea ratione prorsus adimere illis omnem studendi occasionem. Quomodo satisfacient nomini sacerdotali, si studium sacrarum litterarum et humaniorum artium propter operas rusticas negligere debeant?„ Tandem hunc apponemus locum: „Moneantur scholastici ante resignationem Scholae per earum Rectores, quod in rure eleemosynas conquirendo abstineant a mendaciis, sortilegiis, variis scripturis deceptoriiis et aliis abusionibus, scilicet *promulgatione Indulgentiarum* etc. et modis omnibus quibus nitantur occulta furta quomodolibet investigare; quod si quis inventus fuerit agere, scribere, uti vel portare, ab ingressu ecclesiae suspensus, flagellatione virgarum et carcerum custodia puniatur.“ Plura non damus. Peritis priscarum rerum aestimatoribus, sine dubio haec et alia quaedam hujus generis loca non omnino nihil, ad temporis ejus ingenium, mores et conditionem cognoscendum, lucis subministrare, videbuntur.

quido cernantur eorum faedissimae contradictiones: et non tantum in Veteri Christiana, sed etiam in istorum synagoga integram institutionem in usu fuisse: et contra, Papistarum sacrilegium prorsus recens esse. Opusculi, ex Germania seculo superiore ad nos delati, auctorem ignoramus; qui pro more temporis stilo in adversarios acri utitur. Adjecta est Tabula centum Gravaminum Germanicae nationis in comitiis Noribergensibus 1522 finitis oblatarum; ad cujus calcem legitur: *Finis Tabulae Gravaminum: atque utinam non essent per universum centuplo plura quam hic per sacri Rom. Imperii principes seculares enumerantur. Manu Michaëlis fratris Germani descripta haec mihi Neoburgi mens. Novemb. 1585.* Reliqua opuscula, quae in hoc occurrunt volumine, aevi recentioris sunt.

**79.** Volumen chartaceum in 4:o, Concionem comprehendens Nuptialem, et Conciones Funebres XIII, Svetice partim, partim Fennice conscriptas, intertextis passim sententiis Latinis. Operculo inscriptum legitur: *Possessor hujus libelli chartacei legitimus est Josephus Josephi Wallenius, Anno 1662.* Ad morem concionandi e suggestu sacro, apud nos illa aetate solennem, prodest cognoscendum.

**80.** Tankar om et rätt Kammar och Skattfäggings Wärf, upsatte af *Ephr. Otto Runeberg*. Libelli egregii, Stockholmiæ a Laur. Ludov. Grefing 1761 in 8:o typis expressi exemplum, charta pura singulis foliis interposita auctum; in qua auctor acutissimus ipse, (cujus dum viveret, in possessione exemplum nostrum fuit) emendationes, illustrationes et additiones varias adscripsit, levis minime pretii. Dono Bibliothecae dedit Praecl. Dn. M. *Gust. Chronander*, Rector Scholae Trivialis Uhloburgensis meritissimus.

**81.** Öfversättning af *Elemens du Commerce*, eller Grundföreläsningar uti Handelen, af *Ephr. Otto Runeberg*. Exemplum autographon, pagg. constans 661, 4:o. Interpretatio haec libri Gallici haud ignoti, a Viro diligentissimo et perspicacissimo a. jam 1754 perfecta, publica eo dignior est luce, quo majus adjectae interpretis observationes, explicationes

et applicationes, pro Ejus more, acutae et subtiles, pretium libro addunt.

**82.** Utfäst til en *Anthropotypiſſ* Stat. Folio. Opus Viri Ejusdem Amplissimi ingenio debitum, suaque manu scriptum: Cui geminum est alterum, ad res patriae propius relatum. Tangit has Philosophi nostri meditationes paucis, qui Elogium ejus scripsit Vir Laudatiss. *Joh. Frid. Kryger* (Åminnelse-Tal öfver Directeuren wid Landmåteri-Commissionen i Finland Herr Ephraim Otto Runeberg hållit på Kongl. Wet. Academiens befallning), p. 29; si nimis a vulgari ratione recedere, novasque plane vias sibi aperire et persequi, aliis videbitur, summi Platonis exemplum auctoritatemque advocabunt alii, nec subtili minus nostrum humanae naturae cognitione instructum, amorique patriae vivo, non otiosis ingenii lusibus indulgentem, his semitis instituisse, defendent. Nobilissima Vidua annuente, post mortem b. Auctoris Bibliothecae Acad. asservanda miserunt ejus amici.

**83.** Volumini, quod *Leges Regni Svecici complectitur Municipales*, Regis *Gustavi Adolphi* jussu typis editas, Stockholmiaeque a. MDCXVII in folio impressas, adjecta sunt scripta quaedam calamo exarata, Juridici item argumenti. Qualia sunt: 3 *Glosa öfver Stadzlagen*. 4 *Explicatio Juris Civilis Svecici dictata a Johanne Skytte*; opusculum rarius obvium. 5 *Norrköpings Stads Privilegier, confirmerade af Hert. Johan til Östergöthlandh*. 7 R. *Johan III:s Skrå-Ördning för Gullsmederne i Suderköpingh*, dat. Wadstena Slott then 23 Febr. a. 1587. Item *Skrå-Ördning för Gullsmederne i Stockholm*, af Borgmästare och Råd derstädes stadgad. Item *Statuta sartorum tonsatorumque* (urbis Sudercopiensis) Svecice. 8 *Sjörätten som på Gotlandh var*; idem *Jus Nauticum* quod curatius edidit *Hadorphius*, Stockh. 1689 Fol. — 9. *Siöökfort*, thet är then högsta och elsta *Siöörätt* (och) *Skipmåla Lag* . . . . skipat och *ordineratt* fordom i *Wisby* på *Gotlandh* . . . . uthdragin aff *Dybskon* på *Swensko per M. Michaelem Agricolam*, 12 Dec. anno 1549. Cujus interpretationis facit mentionem *Hadorphius* l. c. in Praefatione. 10 R. *Carls Hampna rätt*, dat. a. Domini 1400.



Non modo integrum et illaesum exemplum, sed et auctius multo atque plenius illo quod supra, p. 109 n. 12, indicavimus. Volumen hoc dono Bibliothecae nostrae dedit Praecl. Dn. M. *Josephus Mollin*, Collega Scholae Trivialis Wasensis dexterrimus.

**84.** *Codex Legum Svecicarum Christophorianus*, (excepto tamen Titulo *Juris Ecclesiastici*) nitidissime scriptus, literis ad formam typis impressarum eleganter effectis (textu). Cui praemittitur Praefatio, in editionibus non exstans typis expressis, ac *Regulae Judiciales*, cum aliis quibusdam praeceptis, dictis, metris, proverbiiis etc. ad Judicem officii sui commonefaciendum accommodatis; nec non Indice contentorum Legis. Adjuncta, praeter brevem explanationem obscuriorum Juris vocabulorum, reperiuntur edicta statutaque varii generis atque pretii; qualia sunt: 1 Calmare Recess af år 1474 (vid. ab *Hadorphio* editum Jus vetus Municipale, *Blåråda Rätten*, p. 56). 2 R. *Gustaf I:s Gårdsrätt* (efr. supra p. 109, n. 3); R. *Eric XIV:s Hof-Ärticklar* (ib. n. 2); 4 R. *Eric XIII:s Gårds Rätt*; 5 R. *Carl IX:s — Ärticklar med — Rikens Råd samthæde i Sverige* etc. numero VI; 6 *Nyköpings Recess*, af år 1537 (ita v. *Schmedeman* l. c. p. 6; noster Codex annum habet 1538), cujus tamen hic nonnisi VIII articuli comparent; 8, *Ordinantia som giordis i Westeraars i Herredagar*, anno Domini 1527; 9 *Westeraars Recess*, a. 1528 (*Schmedeman* p. 3); 13, R. *Johan III:s Ärticklar för menige Mann i Finland* 1575: aliaque praeterea ejusdem generis: sententiae quaedam Judiciales etc.

Egregium hunc Juris Codicem, Bibliotheca Academica liberalitati debet Amplissimi atque Consultissimi D:ni *Nicolai Christiani Gadd*, Judicis Territorialis in Territorio *Säxmäkiensi* meritissimi.

**85.** Codex Chart. 4:tae formae, foliis constans XV, quibus lingua litterisque Grusinicis s. Georgianis (ipse vocant se *Kartvelt*) Historia Georgiana metricè exponitur: elegantissime scriptus. Fronti sententia inscripta legitur, qua (lingua litterisque iisdem) nomen aetasque Auctoris,

Carminis argumentum, atque locus ubi compositum est, hoc modo significantur: *Scriptum in septentrionali terrae tractu in urbe Astrachan* <sup>38)</sup> anno 1771: *Historia Georgiana, brevi tempore composita a Principe Alexandro Amilachoris filio, qui tum annos natus erat XX, quique haec perscribere officii sui esse duxit* <sup>39)</sup>. De pretio vel Carminis vel Historiae iudicium adponere, mihi percipienti, ut linguae penitus ignaro haud licet; raritate autem sese maxima commendare facile intelligitur. Literae quodammodo referunt eas quas exhibet Orient. b. Occident. Sprachmeister (ed. a. Jo. Frid. Fritz. Lips. 1748, 8:o) Tab. aeri incisa inter p. 76 et 77. Donum Praecl. Dn. M. Car. Frid. Meinander, Astron. ad R. hanc Acad. Docentis dexterrimi.

**86.** *Recueil de Phrases Turques.* Hunc titulum gerit Codex Chart. in 4:o, quem dono Bibliothecae dedit Ampliss. ejus nunc temporis Praefectus, Secretarius Regius Dn. M. Abrahamus Nicolaus Clewberg. Continet collectionem Phrasium Turcicarum, Latinis literis exaratarum; quibus e regione adjecta reperitur interpretatio earundem Francogallica.

**87.** Kurtze Anleitung zu der Diplomatischen Wissenschaft im Deutschen Reich, nescio quo auctore, Germanice conscriptus, formae 4:tae (vel etiam Fol. minor.), brevis, is qui cum ad b. *Arckenholtzium* pertinuiset, nostrae deinde Bibliothecae fuit redditus.

## § XXXII.

Typis impressorum e numero librorum, quosdam *Raritatis* maxime nomine insignes enumerasse contenti, ad

<sup>38)</sup> Ubi captivus, nisi fallor, a Russis detentus fuit?

<sup>39)</sup> Latinis expressa litteris, ita fere sonare verba textus originalis, didicimus: *Agizera kvekanasa tschrdiloietisasa samuitvosa kalaksaschina Astarchans zälsä 1771: zchovrsbü Kart-hveltha mziresa raisamä Chanisa tkmulu Aleksandres mier Amilachoris, cholozelni misni iunes 20 tumza martebz agzera mis.* Interpretatio, et partim lectio, Russo alicui debetur, linguae Grusinicae perito.

faciem porro depingendam Bibliothecae praesentem pretiumque ac usum ejus summatim indicandum pergemus: *raritas* enim librorum scimus quam sit incertae aestimationis, pro locorum, temporum, judicantium, amatorum ratione saepe *varians*, quamque ambigui sint omnino pretii, qui praeter hoc, nullo censeantur alio. Itaque paucis hac parte, (a more tamen recepto non prorsus recedere volentes), defungemur. Primum autem libros *seculo* quod vocant *Typographico*, prelo emissos nonnullos, quos supellex servat Academiae litteraria, dabimus; titulis breviter plerumque indicatis: quorundam uberiolem vel ex vulgaribus indicibus atque Catalogis <sup>1)</sup> haurire notitiam licet. Tales hae sunt Editiones vetustae Auctorum Romanorum, haudquaquam illae pretio omnes destitutae <sup>2)</sup>:

*Terentius* cum Directorio — Glosa interlineari, — commentariis *Donati*, *Guidonis*, *Ascensii*. Argent. per Jo. Grüninger 1496, Fol. e. figg.

*Lucretius* cum commentariis *Jo. Bapt. Pii*. Bonon. in ergasterio Hieron. Bapt. de Benedictis, Platonici Bononensis. 1511 Fol.

*Cicero* de Officiis, de Amicitia, de Senectute et Paradoxis. *Bened. Brugnolus* — castigavit etc. Venet. in edibus magistri Jac. Pencii, de Leuco oriundi. 1502. Fol.

*Ejusd.* Quaestiones Tusculanae, cum commentariis *Phil. Beroaldi*. Venet. per Bartholom. de Zannis de Portesio. 1499. Fol.

*Ejusd.* De Finibus bonorum et malorum Libri V. Magunt. (ed. Nic. Carbacchio) per Jo. Schefferum 1520 8:o.

*Ejusd.* Epistolae ad Familiares, cum commento *Hubertini Crescentinatis* et *Martini Philetici* super Epistolis et *Georgii Vallae Alexandrini* etc. Parisiis per Nic. de Pratis. 1510 Fol.

1) VOGT *Catal. Libr. rarior.* BAUER *Biblioth. Libror. rarior. universalis. et c.* Cfr. MAITTAIRE *Annal. Typogr.* passim.

2) Conferri de iis possunt FARRICH *Biblioth. Lat.* Ed. ERNESTII; FUNCCIUS *de Adolescentia, Virili aetate, Imminente Senectute, et Vegeta Senectute Latinae linguae;* passim.



*Ejusd.* Orationum Vol. III:m, 1519. (Oratt. 33 — 57 etc.) It. de Philosophia Vol. I:m (Acad. Quaestiones, Libri de Finibus, et Tuscul. Quaestiones). 1523. Utrumque Venetiis in aedibus Aldi et Andr. Asculani. 8:o.

*Horatii Flacci* — Opera, cum quibusdam annotationibus imaginibusque. Argent. per Jo. Grüninger 1498. Fol.

Opera *Vergiliana*, docte et familiariter exposita; Bucolica et Georgica a *Servio*, *Donato et Mancinello*, cum annotationibus *Beroaldinis*: Aeneis vero *Servii* Commentariis, *Phil. Beoraldi* Annotationibus, *Donati* enotationibus, *Aug. Dathi* introductione, cumque familiarissima *Jodoci Badii Ascensii* elucidatione. Access. *Maphei Vegii* liber addititius, cum Ascensianis annott. Venet. 1512, per Georg. Arrivabenum. (Praemittuntur *Culex*, *Dirae*, *Aetna*, *Ciris* etc). Fol.

2. *Vergilii Maronis* Aeneis cum familiari expositione. Acced. *Maphei Veggii* Aeneidos Liber XIII s. a. et l. 8:o mai. l. 4:o.

3. *Livii* Historiae ab U. C. Decadis I Libri X, Belli Punici s. Decadis III Libri X, Belli Macedonici et Asiatici Libri I, II, IV—X. Apud Alex. Minutianum (Mediol. 1505). Fol.

*Ovidii* Epistolae Heroides, diligenti castigatione excolte, aptissimis figuris ornate. Commentantibus *Ant. Volscio Ubertino* Crescentinate, et *Omnibono*. — In Ibin vero ultra *Domitii* scripta, *Christoph. Zarothi* Declarationes. Venet. opera et impensa Jo. Tacuini de Tridino 1501. Fol.

*Ejusd.* Fastorum libri VI cum interpretationibus *Antonii de Fano* et *Pauli Marsi*. Ibid. 1502 Fol.

*Asconii Paediani* in Orationes *Ciceronis* Enarrationes. Cum *Georgii Trapezuntii* in Orationem pro Q. Ligario interpretatione, adnotationibusque ac commentariis *Ant. Luscii* Vicentini in reliquis *Ciceronis* actiones. Impr. Luteciae ap. Conr. Resch, industria et arte *Petri Vidoae* 1520 Fol.

*Persius* cum duobus commentis (*Jo. Britannici Brixiani*, et *Barthol. Fontii*). Impr. Venet. per Pet. Jo. de Quarengis, Pergomensem, 1495. Fol.

*Juvenalis* Satyrae cum tribus commentis (*Ant. Man-*  
*Porthans Skrifter* III.

*cinelli, Domitii Calderini et Georgii Vallae*). Venet. per Jo. de Cereto de Tridino. 1494. Fol.

*Senece Omnia Opera*. Venet. impressa 1492 per Bernardinum de Coris de Cremona. Fol.

*Ejusd.* Tragoediae, pristinae integritati restitutae per — D. *Erasmus Roterodamum, Gerardum Vercellanum, Aegidium Macerium*. Explanatae — tribus commentariis *G. Bernardino Marmita, Dan. Gaietano, Jodoco Badio Ascensio*. Imp. et industria Ascensiana 1514. Fol.

*Lucani Pharsalia* — per *G. Vercellanum* recognita. Cum commentariis *Jo. Sulpitii Verulani, Phil. Beroaldi, Jod. Badii Ascensii*, cumque annot. *Ant. Sabellici* etc. In aedibus Ascensianis 1514. Fol.

*M. Fabii Quintiliani Oratoriarum Institutionum Libri XII*. Sine auctore a. et l. editionis. Fol. (*Ernesti*, in *Fabricii Bibl. Lat.* L. II C. XV p. 269 laudat, et repetitionem esse docet *Jensonianae* anni 1471.) Literae initiales adpictae sunt et quaedam auro ornatae.

*Martialis* cum duobus commentis (*Domitii Chalderini* et *Georgii Merulae*). Impressit (Venetiis?) *Jac. Pentius* de Leuco 1503. Fol.

*Catho* cum glosa et moralisatione. 8:o maj. s. l. et a.

*Apuleii Asinus aureus*, cum *Phil. Beroaldi* commentariis. Impr. Lutecie expensis *Lud. Horken* et *Gottfr. Hittorpii*, industria magistri *Jo. Philippi*. 1512. Fol.

*Gellii Noctium Atticarum Libri XIX Parrhisiis* per *Nic. de Pratis* (1517?) Fol.

*Solinus* de Memorabilibus mundi, diligenter annotatus etc. Parrhisiis (apud Ascensium 1503?) 8:o maj. l. 4:o min.

*Plutarchi Vitae*, post *Pyladen Brixianum* longe diligentius repositae, cum majore verioreque indice. Nec non cum *Aemylii Probi* (*Cornelii Nepotis*) *Vitis*. In chalcogr. Ascensiana, idibus Novemb. 1514. Fol.

*Julii Firmici Astronomicorum Libri XIII Manilii Astronomicorum Libri V. Arati Phaenomena, Germanico Caesare* interprete, cum commentt. et imaginibus. *Ejusdem phaenomenon fragmentum, M. T. Cicerone* interprete. *Ejusd.*

Phaenomena Graece. *Theonis* Commentaria in *Arati* Phaenomena; Graece. *Procli Diadochi* Sphaera, Graece. *Ejusd.* Sphaera, *Tho. Linacro* interprete. Venet. in aedibus Aldi 1499. Fol.

*Boetii* — Libri V de Consolatione Philosophie — una cum commentaria editione per me Johannem de Koelhoff de Lubek in sancta civitate Colonia diligentè elaborati 1482. Fol.

*Ejusd.* de Consolatione Philosophie Liber, cum optimo commento b. Thome. Argent. 1491 4:o.

Quibus addantur:

*Diogenes Laercius*, Latine. Venet. impressus per Phil. Pinzi, sumt. Bened. Fontana 1497. Fol.

*Plotini* Operum Philosophicorum Libri LIV, in VI Epineades distributi. Latine, ex interpretatione et cum commentatione *Marsilii Ficini*, Sumtu Laur. Medicis, impr. ex archetypo Ant. Miscominus, Florent. 1492. Fol.

E reliquis, ad hanc classem pertinentibus, indicasse satis fuerit hos qui sequuntur:

*Dyalogus Creaturarum moralizatus*. 4:o<sup>3</sup>).

*Libri Missales Ecclesie Aboënsis*, quos Episc. *Conradus Bystz* — per *Dan. de Egher*, alme Univers. Parisiensis S. Theol. Professorem optime correctos, — per Barthol. Ghotan in inelita civitate Lubecensi impressos, auctoritate ordinaria approbavit et confirmavit etc. 1488. Fol.<sup>4</sup>).

<sup>3</sup>) Quoniam laesum est hoc exemplum (figuris rudissimis, coloribus etiam allinitis, ornare opus editor voluit), et ultima inprimis folia desunt, non possumus certo quidem hactenus definire, (quòd alias editiones cum hac comparandi non fuit potestas), utrum editio sit Stockholmensis a *Joh. Snell* impressa, an ea antiquior Coloniensis a. 1481, industria et impensis *Conradi de Hombroch* e prelo emissa: sed pro Stockholmensi tamen potius habendam putamus. Cfr. interim von STIERNMAN *Tal om de Lärda Wetensff. tilstånd i Svea Rike* etc. p. 111 sqq.

<sup>4</sup>) Cfr. v. STIERNMAN l. c. p. 59. Ubi tamen *Breviarium Aboëense* perperam vocatur, (nisi aliud opus in manibus ille habuit, eodem tamen loco et anno, ab eodem Typographo impressum, iisdem subjunctis versibus; quod vix credibile videtur):



Volumen omnium celestium *Revelationum* — Sancte *Birgitte*. — Lubece impr. Bartholom. Ghotan 1492. Fol. <sup>5</sup>).

*Breviarium alme Ecclesie Arosiensis*. Basil. per magistrum Jacobum de Phortzheim 1513. 8:o maj. <sup>6</sup>).

*Biblia*, Latine. 1479 Fol. sine mentione a. et l. impressionis. In fine versus leguntur noti: *Fontibus ex Graecis Hebraeorum quoque libris* etc. (cf. *Bauer* T. 1 p. 91).

*Biblia* integra, summata, distincta, superemendata, utriusque Testamenti concordantiis illustrata. Basil. per Joh. Froben de Hammelburek 1491. 8:vo.

*Biblia* diligentissime emendata: cum concordantiis non solum ejusdem, sed et Juris Canonici, summariis — Lugduni in officina Jacobi Mareschal, anno D:ni 1019 (1509?) 8:o.

*Hartmanni Schedel* Liber Cronicarum — Anth. Koberger Nuremberge impressit etc. 1493. Fol. c. figg.

Thesaurus, Cornu Copiae, et Horti Adonidis. Graece. Venetiis in domo Aldi. 1496. Fol.

monem translata a *Phil. Phasianino* Bononiensi, Bonon. apud Hier. Platonidem 1517, 4:o <sup>113</sup>); *Strada* (supra p. 185); *Jo. Pierii Valeriani* Hieroglyphica, Lugd, 1586, Fol. It. Ffti 1614, 4:o (ubi acced. Hieroglyphica *Horapollinis*, a Dav. Hoeschelio correctâ, etc. t. Hieroglyphicorum Collectanea ex Veteribus et Neotericis descripta, etc.). *And. Alciati* Emblemata, cum Commentariis, Patav. 1621, 4:o; *Phil. Picinelli* Mundus Symbolicus, auctus et in Lat. traductus ab Augustino Erath, Tomi II. Col. Agripp. 1695, f. *Octav. Scarlatini* Homo — figuratus et symbolicus, etc. ex Ital. idiomate Latinitati datus a Matth. Honcamp, Tomi II, Aug. Vind. et Dillingae 1695, f. *Car. Gust. Heraei* Inscriptiones et Symbola, Lips. 1734, 8:o; *Abr. Magn. Sahlstedts* Sinnebilds-Konst, Stockh. 1758, 8:o etc.

*Criticorum* tandem omnis generis Scriptorum non omnino contemnendo gaudemus apparatu. Nominasse sufficiat: *Casp. Barthii* Adversaria, Ffti 1624 f. *Lud. Coelii Rhodigini* Lectiones Antiqu. Bas. 1550, f. It. Ffti 1599, f. *Adr. Turnebi* Adversaria, Tomi II, Paris. 1564, 4:o; *Justi Lipsii* Opera quae ad Criticam spectant, Antw. 1611, 4:o; *Henr. Stephani* Diss. de Criticis Vett. Graecis et Latinis, etc. Paris. 1587, 4:o; (*Ejusd.* Dialogi de bene instituendis Graecae L. studiis etc. Ib. 1587, 4:o); *Jo. Meursii* Aeschylum, Sophoclem, Euripidem, etc. Lugd. B. 1619, 4:o; *Ej.* Atticas Lectiones, Ib. 1614, 4:o; *Ej.* Criticum Arnobianum etc. Ib. 1599, 8:o; *Ej.* Ad Theocriti Idyllia Spicilegium, etc. Ib. 1597, 8:o; *Ej.* Varior. Divinorum Lib. Ib. 1619, 4:o; *Sam. Petiti*

*And. Nicander*, Ib. 1752, 4:o; *Ej.* R. Salamos ordspåf, It. Prebidare-Bof, på Heroiff vers, Calm. 1760 et 1761, 4:o; pluraque ejusdem generis alia ab eodem edita, etc. etc. Recentissima carmina percensere supersedeo.

<sup>113</sup>) In eodem volumine rari etjam hi libri compacti sunt: *Epistole Phalaridis* noviter impressae, Latine, curante Nic. Luciano Cremonensi, Cremonae per Franc. Ricardum de Luere, impensa Magistri Dominici de Zauarisiis, die 23 mensis Jan. a:o D:ni 1505, 4:o; et *Palaephati* opusculum de non credendis fabulosis narrationibus, interprete Phil. Phasianino Bon. Bononiae per Bened. Hectors, 1515, 4:o.



Miscellanea, Paris. 1630, 4:o; *Ejusd.* Variar. Lectionum Libb. Ib. 1633, 4:o; *Justi Reinh. Robbigii* Lexicon de rebus Criticis, Tomi II, Rint. 1622, 4:o; *Laur. Ramirez de Prado* Pentecontarchum etc. Antw. 1612, 4:o; *Car. Neapolis* Anarthychin ad Libros Fastorum Ovidii, Antw. 1639, f. *Cl. Salmasii* Exercitationes Plinianas in C. Jul. Solini Polyhistorum, Paris. 1629, Voll. II, f. *Lucae Fruterii* Librorum — reliquias, Lugd. B. 1584, 8:o; *Ge. d' Arnaud* Specimen animadvers. Criticarum ad aliquot Scriptores Graecos, Amst. 1730, 8:o; *Pet. Horrei* Observationes Crit. in Scriptores quosdam Graecos, Leovard. 1736, 8:o; *Henr. Valesii* Emendationum Libb. V, et de Arte Critica Libb. II, etc. ed. P. Burmanno, Amst. 1740, 4:o; etc.

#### § XXXIV.

Non placet diutius indicandis his opibus Bibliothecae nostrae immorari; quarum praesens conditio qualis sit, vel ex hoc specimine non difficulter existimare harum rerum peritis licet. Addendis sensim libris in genere quovis imprimis necessariis, hiatibusque explendis maxime foedis, si casus omnes infestos averterit Divina benignitas, speramus fore ut ad laudem attingat libraria nostra supellex, quae et ornamento Academiae sit et ad hominum nostrorum adjuvanda provehendaque studia praeclare conducat.

Unde omnis quae in libros vel emendos vel compingendos conservandosque impendenda sit pecunia jam redeat, quantillaque ea sit, in superioribus passim significavimus. Habetur illa, 1:o ex aere quod Academiae nomen daturi singuli pendunt adolescentes studiosi, prout jubent Literae Regiae a. 1692 die 2 Julii datae; de quibus supra p. 42, § XI. Efficitur hinc quotannis summa 80 circiter thalerorum imperialium. 2:o ex pecunia quam ad munera vel dignitates quascunque Academicas promoti, ad mandatum earundem solvunt literarum Regiarum, summam per medium annum vix implente imperialium 18. 3:o ex censu capitationis (*Mantalspenningarne*) qui ab hominibus redit Jurisdictioni Academiae subjectis, ad summam quotannis per-

tingens circiter 80 imperialium. (Cfr. de concessa Bibliothecae nostrae hac ope quae diximus supra p. 66). Post recentissime, a. 1777 constitutum pecuniae argenteae valorem, ad plenam demum horum redituum perceptionem Bibliotheca pervenit Academica, dimidia summa per pecuniae nostrae rationem inconstantem diu fraudata. 4:0 ex pecunia quam Clerus Dioecesis Aboënsis, ex praescripto Ordinantiae Gymnasticae Scholasticaeque de a. 1724, Bibliothecae pendere debet (cfr. supra p. 67 not <sup>14</sup>); in qua colligenda nova illa accuratiorque numerandae ejus ratio non observatur, unde igitur nec plus quam 12 circiter imperiales annuatim redeunt. 5:0 ex stipe perexigua a Scholaribus Cathedralem hujus urbis Scholam primum frequentaturis, vi Ordinantiae ejusdem pendenda (Vid. supra p. 67), aegre ad summam annuam Thaleri Imperialis cum besse, assurgente. Ita ut tota redituum Bibliothecae annuorum summa vix Thaleros aequet Imperiales CC. Unde, cum reliqui subducuntur sumtus necessarii, ad augendam ornandamque splendidioribus inprimis et pretiosioribus libris Bibliothecam non multum quotannis sperari opis potest; sed nec tamen nihil haberi subsidii, gaudemus.

Numerum vel voluminum vel singulorum scriptorum et tractatum quibus jam Bibliotheca constet, inire atque exhibere, (quam rationem neque ad verum indicandum pretium neque ad caeteras laudes demonstrandas multum valere, saepe intelleximus), operae pretium non duximus: voluminum tamen inter sex et decem millia adesse coniectamus, quorum permulta plures diversosque complectuntur tractatus; consilio non illo quidem commodissimo, sed ad sumtus minuendos, in illa quacum colluctati sumus redituum publicorum tenuitate, hactenus necessario, in quo quidem exsequendo nec summa semper in argumentorum similitudine consulenda diligentia observata fuit. Crevit autem adeo jam librorum copia, ut spatiosiores propediem aedes, quo et ad usum commoda et ad speciem elegans, prout Bibliothecam decet publicam, esse pergat, desideret. (cfr. supra p. 72, § XX fin.) Cui necessitati, non minus quam rebus aliis

ad Academiae florem atque dignitatem pertinentibus, quin benefica eadem Superiorum cura atque liberalitas, quam experti hactenus saepe fuimus, porro prospectura sit, haud dubitamus <sup>1)</sup>).

## Appendix.

### § I.

Quod curam Bibliothecae Academicae, ante hos XVI annos depositam, rursus ad tempus in me recipere ac aliquamdiu administrare, necesse habuerim, opesque ejus interim laete crescere perrexerint: caussa utraque satis idonea visa fuit, cur Historiam gazae hujus nostrae librariae, per illud quod ab a. 1778 defluxit pertextum temporis intervallum continuare, fataque et incrementa sua recentissima prius expositis <sup>1)</sup> breviter descripta adjungere, neque alienam neque ingratham judicare operam deberem. Quo consilio, constitutum adhibitumque olim ordinem servantes, primum Praefectorum suorum Custodumque per haec tempora seriem dabimus brevem; deinde praecipuas, quae interim ei contigerunt, accessiones atque ornamenta commemorabimus; tum faciem, quam haec fortuna jam ei comparavit laetiolem, leviter adumbrabimus: procuratam sic sensim defectuum, quibus hactenus laboravit, quasi sanationem, cognoscendam praebituri, eaque simul re studiosis literarum hominibus nostratibus, quibus hoc thesauro librario utendi facultas est, quid opis inde sibi studiisque suis sperare liceat, ostensuri.

<sup>1)</sup> Animus quidem fuit, (quod et supra p. 26, § VI, not. <sup>2)</sup> significavimus) vitas quoque Bibliothecariorum reliquorumque qui Bibliothecae nostrae administrandae curam impenderunt, virorum doctorum breviter enarratas adjicere: sed nolumus jam vel molem opusculi augere vel conclusionem diutius morari. Fortassis alias hanc perficere operam licebit: aut post nos alii id consilium, ut et continuandae porro Historiae thesauri Academiae literarii, exsequantur. Quare nunc quidem huic labori finem imponimus.

<sup>1)</sup> Quae Dissertationibus Academicis XXIII, annis 1771—1787 pedetentim illustravimus.



## § II.

Cui Praefectura Bibliothecae Academicae, Diplomate Regio d. 18 Febr. a. *MDCCLXXVIII* dato, commissa fuerat, Dn. M. *Olavus Schalberg*, Ordinis Philosophici hactenus Adjunctus, non nisi brevi illam tempore gessit. Qui postquam Diploma, quod obtinuerat, Senatui Acad. exhibuisset <sup>1)</sup>, operamque suppellectilis librariae, quam administrandam recepturus erat, diligenter percensendae, in se a Senatu Acad. derivari passi essent Dn. Dr. *Nicolaus Avellan*, Anat. et Chirurg. atque Dn. M. *Johannes Bilmark*, Hist. et Philos. Practicae, Professores <sup>2)</sup>; veterum primo Indicium cum novo (Inventario) nuper condito, libros omnes (prout collocati suis quique in loculis essent) exhibente <sup>3)</sup>, explorare consensum illis necesse fuit <sup>4)</sup>: qua re perfecta novoque Catalogo, Bibliothecae tuto recensendae in posterum quoque inservituro, Deputatorum fide atque auctoritate munito, ad ejus ductum opes Bibliothecae cunctas diligenter lustrabant; atque opere tandem rite peracto, easdem novo ineunte anno Academico <sup>5)</sup> novo tuendas Praefecto tradebant. Sed ille ante finem anni sequentis ad Professionem Logicae atque Metaphysicae translatus <sup>6)</sup>, successorem in hac provincia habuit Dn. M. *Abrahamum Nicolaum Clewberg*, (Philosophiae ad hanc Academiam Adjunctum Extraordinarium), qui Diplomate Regio d. 15 Martii a. 1780 dato, Bibliothecae nostrae praefectus fuit. Cujus fidei antequam haec committeretur, Senatus Acad. nomine jussuque eam rursus proximo mense Augusti (d. 28 sqq.) perlustrabant, qui saepe antea Dn. Prof. *Joh. Bilmark* et qui nuper Bibliothecae praefuerat M. *Henr. Gabr.*

<sup>1)</sup> Die 2 Julii ejusd. anni. Vid. *Protocoll. Senatus Acad.* ad hunc diem, § 10.

<sup>2)</sup> Vid. l. c.

<sup>3)</sup> Cfr. supra *Hist. Bibl.* § XXIX pag. 94 sqq.

<sup>4)</sup> Qui labor, adscripta veteribus indicibus a Bibliothecario decedente nova libri cujusque sede, facilius redditus fuerat.

<sup>5)</sup> Mox post initium intervalli autumnalis, sive initio mensis Novembris.

<sup>6)</sup> Diplomate Regio die 20 Dec. 1779 dato.

*Porthan*, Eloqv. Prof. 7) Bibliothecario autem a. 1783 ad alia negotia Stockholmiae traducto 8), Senatus Acad. jussus fuit curam de Bibliotheca Acad. interim habere 9): quam igitur pluribus per vices obeundam mandavit 10); donec ab intervallo a. 1789 autumnali mihi ut illam provinciam administrandam reciperem, Senatus Acad. (Illustr. etiam Cancellarii auctoritate accedente) persvasit 11): e qua quin rursus abire propediem liceat, absente hactenus Bibliothecario ad

7) *Prot. Cons. Ac.* d. 23 Junii a. 1780.

8) Spectaculis Dramaticis in splendide exstructo nuper Theatro Regio edendis praeficere virum Poëticae et Musicae non minus peritum, quam elegantiarum pulerique in artibus quibuscunque judicio exquisito pollentem, Regi placuerat.

9) Litt. Illustr. R. Regnique Senatoris D:ni Lib. B. *Frid. Sparre*, (qui Fratris cum Rege peregrinantis nomine Acad. Cancellarii provinciam administravit) dat. d. 14 Oct. a. 1783.

10) Primum autumno anni 1783 Dn. M. *Jacobo Tengström*, Philos. Adj. Extraord. et Amanuensi tum Bibliothecae Academicæ, (*Protoc. Consist. Acad.* d. 7 Nov. et Litt. Illustr. Cancell. d. 18 Dec. ej. a.); eoque non multo post ad munus *Adjuncti Facult. Theologicae* atque curam simul Ecclesiae Píkisensis promotus, Dn. M. *Gabriel Tidgren*, (*Prot. Cons. Acad.* 1784, d. 2 Mart.) Facult. Philos. Adjuncto Ordinario, qui a. 1784 et prima dimidia parte anni 1785 (interim ad *Professionem* Ord. L. L. Graecæ et Orientalium Diplomate Regio d. 17 Dec. 1784 promotus) hoc onus sibi imponi passus est. Deinde, autumno a. 1785, Dn. M. *Johanni Gadolin*, qui hactenus Amanuensis Bibliothecae Ordinarius, dignitate Professoris Philos. Extraordinarii a S. Regia Majestate ornatus nuper fuerat (*Prot. Cons. Acad.* ej. a. d. 27 Sept.); quo iter ad oras exteras, venia Regia, aestate sequentis anni faciente, ego hanc provinciam, D:no *Tidgren* sociam operam, quantum infirma sua valetudo permetteret offerente, ad tempus usque autumnale a. 1788 administravi. (*Prot. Cons. Acad.* 1786 d. 2 Oct. 1784 d. 27 Junii et 19 Oct. 1788 d. 22 Febr. et 20 Maji; nec non Litt. Illustr. Cancell. d. 15 Apr.) quam tum redux Dn. Professor *Gadolin* in se, rursus curandam recepit, (*Prot. Cons. Acad.* a. 1788 d. 25 Sept.), donec eidem, ad munus *Chemiae Professoris* administrandum admoto, illam paullo post deponere videretur: quam hinc mihi rursus demandandam Senatus Acad. judicavit.

11) *Prot. Cons. Acad.* a. 1789 d. 17 Sept.

aliud atque honorificentius munus nuper promotum <sup>12)</sup>, non dubito.

### § III.

Amanuensium nomine, operam diligentiamque Bibliothecae Acad. custodiendae curandaeque praestiterunt post Dn. M. *Henricum Alanum* <sup>1)</sup> qui a. 1779 ad munus Academiae Secretarii admotus fuit <sup>2)</sup>, primum Dn. M. *Gabriel Tidgren* <sup>3)</sup>, et deinde, cum ille post laudabilem biennii diligentiam munere ornatus fuisset Adjuncti Facult. Philosophicae Ordinarii <sup>4)</sup>, Dn. M. *Jacobus Tengström*, Philos. Moralis Docens et Facult. Philos. Adjunctus Extraord. <sup>5)</sup>, cui post biennii itidem in hac statione moram, munus Adjuncti Facult. Theologicae Ordinarii obtigit <sup>6)</sup>. Obtulerat interim suam quoque in labore hoc ejus levando operam Dn. M. *Ericus Tu- lindberg*, atque Senatus Acad. assensionem nactus, illam adjunxerat <sup>7)</sup>; sed mox ad alia Reip. negotia administranda animum adjiciens, musis nostris valedixit <sup>8)</sup>. Petiit igitur atque obtinuit vacantem tenuem hanc stationem Dn. M. *Johannes Gadolin* <sup>9)</sup>, in qua per V mansit annos (interea pri-

---

<sup>12)</sup> *Regiae Cancellariae Consilarii* nomine honoreque (Diplomate R. d. 12 Nov. a. 1783) jam decoratus, juribus quoque ad hoc munus pertinentibus, Diplomate R. d. 7 Nov. a. 1784 plene auctus fuit: postquam jam ante dignitate *Secretarii Regii a manu* (Konungens Sand-Secreterare) ornatus, atque Nobilitatis jure donatus, novum nomen *Edelcrantz* adscivisset.

<sup>1)</sup> Vid. *Hist. Bibl.* § XXVIII p. 93.

<sup>2)</sup> Diplomate Regio d. 23 Apr. ej. a. dato.

<sup>3)</sup> Cfr. *Hist. Bibl.* § XXIX p. 97; Protoc. Cons. Acad. a. 1779 d. 17 Junii.

<sup>4)</sup> Diplomate Ill. Cancellarii d. 7 Julii a. 1781 dato.

<sup>5)</sup> *Prot. Cons. Acad.* d. 25 Dec. a. 1781.

<sup>6)</sup> Diplomate Illustr. Acad. Cancellarii d. 21 Dec. a. 1783 dato.

<sup>7)</sup> *Protoc. Cons. Acad.* d. 7 Nov. a. 1783.

<sup>8)</sup> Negotiis Cameralibus, Paterni laboris levandi caussa operam addicens, Patrique postea in munere succedens, *Camerarius Provincialis* (Sand-Camererare) *Provinciae Uloburgensis* constitutus fuit, cui hodieque officio praestet.

<sup>9)</sup> *Prot. Cons. Acad.* d. 20 Febr. a. 1784.



num nomine Adjuncti Facult. Philos. Extraordinarii ab Illustr. Acad. Cancellario a. 1785 d. 2 Julii, et postea honore Professoris Philosophiae Extraordinarii, Diplomate Regio d. 8 Aug. a. 1785 dato, ornatus); qui cum non solum munus Adjuncti Fac. Philos. Ordinarii ab Illustr. Acad. Cancellario sibi esset delatum <sup>10)</sup>, sed etiam administratio Professionis Chemiae Ordinariae (a cujus laboribus vacationem Antecessor suus ex Regia clementia obtinuerat) sibi Diplomate Regio demandaretur, quo successionis certae jus in locum stipendiumque ordinarium simul concessum fuit <sup>11)</sup>; dicatam haec Bibliothecae Acad. curandae operam deposuit. Habuerat interim socios ejus operae, primum ab a. 1785 Dn. M. *Johannem Poppium*, Lingg. Oriental. et *Alexandrum Ingman*, Eloqy. Docentes <sup>12)</sup>; quorum ille *Pastor* Ecclesiae *Jockas* in Savolaxia post triennium constitutus <sup>13)</sup> abiit, hic cum anni 1789 fine fungi hoc officio desiit: deinde ab a. 1787 Dn. M. *Jacobum Bonsdorff* <sup>14)</sup>, qui post quadriennium ad munus Adjuncti Facult. Theol. Ordinarii fuit promotus <sup>15)</sup>. Ordinarium autem Amanuensis Bibliothecae Acad. locum (a fratre relictum) mandabat Senatus Acad. a. 1789 <sup>16)</sup> Dn. M. *Gustavo Gadolin*, qui Linguas litterasque Orientales simul Docens, hinc per quinquennium et quod excurrit, laudabili illum diligentia (honore interim auctus Adjuncti Fac. Philos. Extraordinarii <sup>17)</sup>), orna-

<sup>10)</sup> Diplomate d. 3 Jan. a. 1789 dato.

<sup>11)</sup> Diplomate Regio dato d. 6 Maji a. 1789; cum quo jure, jus etiam stipendii, suo ordine percipiendi, ab eo repetendum tempore, quo vices gerere Chemiae Professoris Ordinarii coepit, conjunctum fuit.

<sup>12)</sup> *Prot. Cons. Acad.* d. 4 Oct. a. 1785.

<sup>13)</sup> Diplomate Regio dato d. 19 Febr. a. 1788; postquam honore Adjuncti Philos. Extraord. anno jam 1785, d. 30 Nov. auctus fuisset.

<sup>14)</sup> *Protoc. Cons. Acad.* d. 19 Oct. 1787.

<sup>15)</sup> Diplomate Illustr. Acad. Cancellarii d. 16 Maji 1791 dato.

<sup>16)</sup> *Prot. Cons. Acad.* d. 1 Oct. a. 1789.

<sup>17)</sup> Diplomate Illustriss. Acad. Cancellarii d. 27 Martii a. 1793 dato.

vit. Cum vero crescens sensim librorum copia, decentem illorum curam laboriosiore[m] indies redderet; Senatui Acad. visum fuit alterum dehinc Amanuensem adjungere, et Collegam ei dare primo Dn. M. *Samuelem Castrén*, Log. et Metaphys. Docentem <sup>18)</sup>, ac deinde, eo ad curam suscipiendam demandatae fidei suae Ecclesiae *Utsjoki* <sup>19)</sup> Lapponiae Kemiensis, ad viciniam Maris Glacialis hinc abeunte, Dn. M. *Petrum Johannem Alopæum*, Hist. Litterar. Docentem <sup>20)</sup>, qui in hac hodiedum statione manet.

#### § IV.

His igitur curam suppellectilis nostrae librariae gerentibus, redditus tenues, ei augendae ornandaeque dicati, ita administrati impensique sunt, ut praeter operum periodico- rum continuationes annuas, atque librorum recens editorum talium qui maxime necessarii viderentur comparisonem, occasiones non negligerentur ex opibus Bibliothecarum privatarum divenditarum <sup>1)</sup>, inprimis earum quae intra Patriae fines habitae sunt, penum nostrum augendi. Quales hic Aboae fuerunt *Kalmiana* <sup>2)</sup>, *Pryssiana* <sup>3)</sup>, *Hartman-*

<sup>18)</sup> *Protoc. Cons. Acad.* d. 1 Febr. a. 1793.

<sup>19)</sup> Diplomate Venerandi Consist. Eccles. Aboënsis d. 15 Jan. a. 1794 dato.

<sup>20)</sup> *Protoc. Cons. Acad.* d. 28 Febr. a. 1794.

<sup>1)</sup> Sic praestantissima illa quam Gedani ipse vendidit possessor Admodum Rever. Dn. *Car. Benj. Lengnich*, pulchra librorum egregiorum accessione, (amicam nobis praestante operam Maxime Rever. D: no Doct. *Lüdeke*), nostra crevit supellex.

<sup>2)</sup> Ex relictis libris Celeb. Profess. *Petri Kalm*, a. 1780 hic divenditis, egregios aliquot ad *Hist. Nat.* et *Oeconomiam* pertinentes acquisivit Bibliotheca publica.

<sup>3)</sup> Ex relicta Bibliotheca Ampliss. Profess. *Olai Pryss*, a. 1786 supellex nostra librorum Juridicorum inprimis atque Historicorum non spernendum accepit augmentum. Possumus hoc loco etiam commemorare Bibliothecam Cel. Prof. *Andr. Joh. Lexell*, olim nostri, Petropoli quidem divenditam, sed cujus Catalogus hic Aboae fuit a. 1785 typis impressus. Acquisivit inde gaza nostra libraria praeclara quaedam opera Mathematica.

*niana* <sup>4)</sup> et *Nordensköldiana* <sup>5)</sup>; in Svecia autem ut minores taceam <sup>6)</sup>, praestantissimae *Aurivilliana* <sup>7)</sup> et *Mennandriana* <sup>8)</sup>. Nec ex libris iis, qui ex officinis per Patriam Typographicis interim prodierunt, quosque gratis Bibliothecae Acad. tradi oportuit <sup>9)</sup>, omnino nihil ei accessit incrementi <sup>10)</sup>.

### § V.

Neque ejusdem documentis benignitatis, qua haecenus opes suae laete creverant, hoc etiam intervallo temporis Bibliotheca nostra caruit. Praeter ea enim ornamenta atque opes, quas, cum iis post a. demum 1782 aucta fuisset, ordine atque ex instituto commemorare supra <sup>1)</sup> non poteramus, sed passim tamen (quia ante finem operi nostro im-

<sup>4)</sup> Quam reliquit Reverendiss. Episcopus *Jacobus Haartman*. Catalogus typis a. 1789 expressus exstat.

<sup>5)</sup> Quam collegerat Nobil. *Aug. Nordensköld*, Rei Metallicae Fennicae Praefectus (*Bergs-Hauptman*). Sub hasta divendita fuit Aboae a. 1789; unde non contemnenda nobis librorum Chemicorum, Metallurgicorum atque etiam Philologicorum accessit copia.

<sup>6)</sup> Inter quas eminuit *Taubiana*, quam reliquit Rever. et Illustr. L. B. *Car. Edv. Taube*, Stockholmiae a. 1785 divendita, cujus exstat Catalogus typis expressus.

<sup>7)</sup> Quae fuerat Celeb. Prof. Upsal. *Car. Aurivillii*, et copia et selectu parem in Svecia haud facile inventura; ut Catalogus a. 1787 typis expressus, abunde docet. Egregia librorum praestantissimorum accessione nostra inde Bibliotheca ditata fuit.

<sup>8)</sup> Cujus multiplicem et pretiosam copiam demonstrat Catalogus diligenter conditus, atque a. 1787 (cum supplemento a. 1792) typis descriptus.

<sup>9)</sup> Caveri tamen haecenus non potuit, quominus defectus quidam ex hac parte semper juri Bibliothecae nocerent; sumtusque ad tenues plerumque has opes colligendas atque ad nos transmittendas necessarii, non admodum magnum rei Academicae ex hoc consilio lucrum relinquunt.

<sup>10)</sup> Eidem huic legi Typographia quoque Gripwaldensis nuperius fuit subjecta; unde igitur libri quidam haud contemnendi pretii postea nobis accesserunt.

<sup>1)</sup> Hist. Biblioth. § XXX, p. 98 sqq. Ubi scil. benefactorum Bibliothecae nostrae novissimorum facta fuit mentio.



positum accesserant) deinde tetigimus<sup>2)</sup>; numerat jam inter cimelia sua splendidum *Florae Rossicae opus*<sup>3)</sup>, munificentia *Augustissimae Rossorum Imperatricis* dono sibi, anno superiore, gratiosissime concessum<sup>4)</sup>. Munere quoque aucta fuit magnifico usque ex Italia transmissio, liberalitati debito Viri Illustris *Francisci Piranesii*, Legati jam Regii Svecici Romae constituti, Equitisque Ordinis Regii de Stella Polari: qui, quinquennio abhinc, Voluminibus XII formae maximae (vulgo Atlanticae) ad Res Romanas antiquiores spectantibus, vel a *Patre* suo, vel a sese elaboratis editisque, pretiosoque Tabularum aeri pulcherrime incisorum apparatu ornatis, illam decoravit<sup>5)</sup>. Domi praeterea haud vulgaria

<sup>2)</sup> Quo pertinent libri ab Academiae nostrae olim *Cancellario* Illustrissimo R. Regnique Senatore L. B. *Carolo Sparre* benigne ad nos missi, *Hist. Bibl.* p. 237, 265 (cfr. 253, 264) 268, 281 sq.; item quos liberalitati debemus Virorum Nobilissimorum *Joh. Hisinger* (ib. p. 224) et *de Grubbens* (p. 213) Virorumque Amplissimor. Celeb. et Praeclarissimor. *Calonii* (p. 170), *Gadd* (p. 174), *Alopaei* (p. 158), *Chronander* (p. 172), *Mollin* (p. 174), *Meinander* (p. 175), ac Nobil. D:nae *Runeberg* (p. 172 sq.). De munere *Fredenheimiano* mox commemorabitur.

<sup>3)</sup> *Flora Rossica, seu Stirpium Imperii Rossici per Europam et Asiam indigenarum Descriptiones et Icones. Jussu et auspiciis Catharinae II Augustae edidit P. S. Pallas.* Tomi I Pars I, *Petrop.* 1784; Tomi I Pars II, *ibid.* 1787. Cum Tabulis aeneis C, vivis coloribus plantas depictas sistentibus. Voll. II Fol. Maj.

<sup>4)</sup> Procurante Regis ad Aulam Rossicam *Legato Primi Ordinis* (*Ambassadeur Extraord.*) Illustr. Generalis Locum Tenente ac Equite de Magna Cruce R. Ordinis Ensiferi D:no *Lud. Phil. Curt. von Stedingk*, qui et de facto nobis dono Gratiosissimo Senatuum Acad. certiolem fecit, et opus ipsum benevole ad nos misit. Vid. *Litt. Ejus datae Petropoli* d.  $\frac{4}{15}$  Nov. a. 1783, et *Protoc. Consist. Acad.* d. 22 Nov. ej. a.

<sup>5)</sup> Suggestente hoc sibi consilium (ut ipse literis significavit humanissimis, Romae d. 13 Febr. a. 1790 datis) propensissimo nostro Fautore Generosissimo *Fredenheim*, qui litteris *Aquisgrani* d. 3 Aprilis ej. a. scriptis (quibus illas Donatoris adjunxit) primum nobis rei nuntium misit. Ipsa deinde Volumina *Portu Liburno* in Sveciam, nullo nostro sumtu, eodem curante

perennantis in se benignitatis Bibliotheca percepit documenta; inter quae longe eminent, primum ea, quae debemus Alumno olim Musarum nostrarum lectissimo, hodie Maecenati faventissimo, Generosiss. D: no *Carolo Friderico Fredenheim*, Supremo jam Aedificiorum Regior. Praefecto, caet.; de cujus prolixo in gazam nostram librariam favore

perpetuo rerum nostrarum Fautore navi venerunt, atque postea ad nos transmissa sunt. Quorum indicem subjicimus:

*Le Antichità Romane*, opera del Cavaliere *Giambattista Piranesi*, Architetto Veneziano, divisa in quatre Tomi. In Roma 1784 nella Stamperia Salomoni (Edit. 11) Voll. IV. — Cujus cum quaedam folia, maritimo sub itinere casu laesa fuissent, idque Sibi innotuisset, novis integrisque Roma missis Donator mutanda benigne curavit.

*Ejusd. Lapidés Capitolini*, sivi Fasti Consulares Triumphalesque Romanorum, ab Urbe condita usque ad Tiberium Caesarem. (Romae, 1761? licet neque locus neque annus expressus inveniatur).

*Jo. Bapt. Piranesii*, Antiquariorum Regiae Societatis Londinensis Socii, *Campus Martius Antiquae Urbis* (Lat. et Ital.) Romae 1762.

*Ejusd. Romanorum Magnificentia et Architectura*. (Latine et Italice, sine a. et l.). Accesserunt:

*Osservazioni di Gio. Battista Piranesi sopra la Lettere de M. Mariette aux Auteurs de la Gazette Litteraire de l' Europe*, inserita nel supplemento dell' istessa Gazette stampata Dimanche 4 Novembre 1754, e parere nel' Architettura, con una Prefazione ad un nuovo Trattato della introduzione e del progresso delle Belle Arti in Europa ne' tempi antichi. In Roma 1765.

*Vedute di Roma*, disegnate ed incise da *Giambattista Piranesi*, Archit. Venez. (sine a. et l.) Voll. II.

*Monumenti degli Scipioni*, pubblicate dal Cavaliere *Francesco Piranesi*, nel' anno 1785. (De quo opere cfr. *Götting. Anzeigen von gelehrten Sachen* 1787, 138 Stück., p. 1382 sqq.).

*Raccolta de' Tempj Antichi*, opera di *Francesco Piranesi*. Prima Parte, che comprende i Tempj di Vesta Madre, ossia della Terra, della Sibilla, ambedue in Tivoli, e dell' Onore, e della Virtù fuori di Porta Capena. In Roma (sine a.).

*Ejusd. Planta delle Fabriche* esistente nella *Villa Adriana*. (Ibid. s. a.) Folia VI.

commemorandi etiam supra <sup>6)</sup> materiam habuimus: deinde Celeberrimus (mortalibus non ita pridem ereptus rebus) Dn.

<sup>6)</sup> Hist. Bibl. p. 268 not. Praeter Tabulas autem aeri incisas splendidas, eo loco commemoratas, dono miserat libros aliquot curiosos (*Magnan*, ib. p. 222, *Scoto*, *Vasi*, *La Ville de Rome*, ib. p. 238). Postea autem divitiis auctus literariis omnis generis, ex Italica peregrinatione (contractisque ibi amicitii Virorum Illustrium, Eruditorum et in Artibus praestantissimorum) uberrime comparatis, multo etiam amplioribus musas nostras muneribus locupletavit. Ut enim Tabulas res Reginae *Christinae* Romanas attingentes, aliasque nonnullas, aut maximorum manus Artificum ostentantes, aut Antiquitatis aliqua monumenta illustrantes, praetereamus; splendidi Operis *Piranesiani*, Statuas antiquas quae supersunt praestantissimas accurate delineatas aeri-que incisas sistentis (de quo supra *Hist. Bibl.* p. 268 not.) Tabulas IV novas superioribus XXIII addidit, una cum delineatione aeri arte simili incisa Statuae quam *Piranesio Patri* Haeredes posuerunt, (quibus unum etiam, *Caesaris Germanici* illam, quae Roma Versaliam migravit, benigne adungere placuit Illustriss. Dn. Baroni *Georgio Gust. Wrangel*, Generalis Locum Tenenti et R. Ord. Ensifer. Commendatori cum Magna Cruce), reliquarum posthac adipiscendarum spe simul nobis oblata: *Map-pam* Quatuor Partium Mundi *Armenice* Venetiis a. 1789 editam (sive ut Idiomate Italico adscriptus titulus habet: „Carte Geographiche delle quattro parti del Mondo, disegnate e incise con varie correzioni dal P. *Elia Endasè* Constantinopolitano, Monaco Armeno di S. Lazaro, in Venezia — nel 1789“). Praeterea ex relicta suppellectili locupleti b. Parentis sui, Monumentorum ad Geographiam, Historiam, Oeconomiam et rem Grammaticam etc. Fenniae illustrandam MSS. volumina complura, (in Folio, 4:to et 8:vo) jucundissimum nobis donum transmisit, quorum infra indicem atque descriptionem diligentiore dabimus: (inter ea exemplar nitidum *Chronici Episcoporum Finlandensium Juusteni*, Ejusdem *Juusteni Narrationem de infelici Legatione sua Moscovitica*, quam typis ante aliquot annos vulgavimus, Exemplar *Versionis Fennicae Codicis Legum Svecicarum Christophoriani*, multaque alia Scripta eximii pretii ususque); quibus accessit egregius *Codex Chartaceus Satyrarum Juvenalis*, ex Italia adductus, initio (ut videtur) seculi XV scriptus, in forma 8:va majore, infra item describendus. Libros simul typis expressos liberalitati Ejusdem debemus, partim raros apud nos, partim etiam praestantissimos. Ex. g. *Istoria de' Fenomeni del Tremoto* avvenuto nelle Calabrie e nel Valdemone nell' anno



Professor *Johannes Henricus Lidén*, cujus beneficentiam, ut multi olim cives institutaque publica, ac res inprimis lite-

1783, posta in luce dalla Reale Accademia delle Scienze e delle Belle Lettere di Napoli. In Napoli 1784, (Alterum volumen Tabularum aeri incisarum magnam vim continet) Fol. Maj. — Istoria degli ultimi quattro secoli della Chiesa — descritta da Fr. *Filippo Angelico Becchetti*, T. I—IV, in Roma 1788, 1791, 4:o — Fragmentum Euangelii S. Johannis Graeco-Copto-Thebaicum Seculi IV — ex Veliterno Museo Borgiano nunc prodeunt in Latinum versa et notis illustrata opera et studio F. *Augustini Ant. Georgii*, Romae 1789, 4:o — Charta Papyracea Graece scripta Musei Borgiani Velitris — edita a *Nic. Schow*, ib. 1789, 4:o. — *Josephi Mingoni* Historia Medica Thermarum Patavinarum, Patav. 1775, 4:o — Elogio di Domenico Maria Manni, col Catalogo delle sue opere, (item effigie sua, rubrica adumbrata), scritto da *Giulio Bernardino Tomitano*. In Venezia 1789, 4:o — Dissertazione polemico-critica sopra due dubbj di coscienza concernenti gli armeni Cattolici sudditi dell' impero Ottomano . . . del Marchese *Giov. de Serpos*. Ib. 1783, 4:o — Expositio Fragmenti Tabulae Marmoreae operibus caelatis et inscriptionibus Graecis ornatae Musei Borgiani Velitris, Auctore *Arn. Heeren*, Romae 1786, 4:o — Orazione funebre in lode di Don Carlo III Re delle Spagne e dell' Indie recitata 1789 dall' Abate D. *Bernardino Botteri*, Parma dalla Reale Stamperia (monumentum laude egregiae hujus Typographiae dignum, cujus splendidiora adhuc documenta exhibent Volumina duo proxime significanda) — *Anacreontis Opera*, (Graece) praefixo Commentario quo Poëtae genus traditur et Bibliotheca Anacreontica adumbratur. Additis var. Lectionibus. Parmae ex Regio Typographeio. (Omnia litteris quadratis, typorum et chartae nitore maximo) 1785, 4:o — *Δόγμων Ποιμενικῶν τῶν κατὰ Δάφνην καὶ Χλόην βιβλιοὶ τέσσαρες*, cum Proloquio de libris Eroticis Antiquorum. Ib. 1786, 4:o — Della origine e di fatti delle Famiglie illustri d' Italia, di M. *Francesco Sansovino*. In Vinegia 1609, 4:to — Compendio storico di Memorie Cronologiche concernenti la Religione e la Morale della Nazione Armena suddita dell' Impero Ottomano — Dal Marchese *Giovanni de Serpos*. T. 1, 2, 3. In Venezia 1786, Voll. III, 8:o — Istruzione generale sulle verità Cristiane in Forma di Catechismo ad uso delle Città e Diocesi di Pistoja e di Prato. T. 1, 2, 3. In Venezia 1782, Voll. III, 8:o — Lettera Pastorale o sia Istruzione Canonica sul Battesimo Cristiano — da Monsignor D. *Giuseppe Capecehatro*, Arcivescovo di Taranto. Napoli 1785,

raria Patriae universa, non vulgarem<sup>7)</sup>, ita nostra etiam gaza libraria prorsus egregiam experta fuit, ex perenni quasi fonte novas eidem suppetias posthac etiam perpetim fundentem<sup>8)</sup>.

8:o — Pistoriensis et Pratensis Episcopi (*Scipionis de Ricci*) ad Clerum et populum Civitatis et Diocesis Pratensis Pastoralis Epistola latine reddita. Pistorii 1787, 8:o — *Ejusd.* Quo tempore libellus quidam in lucem prodiit inscriptus Annotationi pacifiche etc. Pastoralis Epistola, latine reddita. Ib. 1787, 8:o — Indicazione Antiquaria per la Villa suburbana del Eccellentissima Casa Albani (ed. Abb. *Marini*). In Roma 1786, 8:o — Il Genio Patrio dell' Abate *Filippo Mattei Baldini*. In Venezia 1788, 8:o Etc. — His addidit ex Bibliotheca b. Parentis sui, non modo exemplar utriusque libelli Botanici Celeb. olim Prof. Aboënsis *Eliae Tillandz* hic 1683 editi, (*Catal. Plantarum, quae prope Aboam inventae sunt*, charta pura foliis interposita, cui nomina Linnaeana b. Possessor olim adscripserat, et *Icon. Nov.* etc. quibus nomina vulgaria Svecica et Fennica veteri manu adscripta leguntur), nec non libellum *Johannis Gerson* de Arte moriendi, Svetice a. 1514 in 4:o Upsaliae impressum, rarissime hodie obvium, et exemplar Proverbialis Fennici Aboae 1702 ab *Henr. Florino* editi, (charta pura foliis inserta, supplementa libelli copiosa b. Archiepiscopi manu adscripta, exhibente), sed etiam Collectionem Dissertationum Academicarum et Tractatum minorum Theol. et Philol. cum in Germania tum intra Patriam editorum, Volumina 180 in 4:o, Dissertationes et Tractatus 4730 diversos complectentem. — Ut alius generis Cimelia varia (Nummos antiquos etc.) et ab Ipso donata, et sua commendatione nobis ab aliorum munificentia comparata, (de quibus alio loco), nihil jam commemoremus.

<sup>7)</sup> Confr. Celeb. GJÖRWELL *Svenska Archivum* T. I p. 97, 149, 299 sq, et T. II p. 237 sqq.

<sup>8)</sup> L. c. Cfr. *Fol. Hebd. Aboëns.* a. 1793, N:o 24. Praeter volumina 12 partim ante, partim post penus suae librariae factam inter Bibliothecas publicas Acadd. Upsaliensis, Lundensis et Aboënsis, nec non Gymnasii Lincopiensis, distributionem, nobis dono missa; ex ipsa Bibliotheca sua nobis cesserunt Voll. 23 in folio, 33 in 4:o, 104 in 8:o et 44 in 12:o, in summa 213. Inter quae erant: *Aeliani* Opp. Gr. et Lat. cura Conr. Gesneri, Tig. 1557, Fol. *Jo. Stobaei* Eclogar. Libri II, . . ex Bibl. J. Sambuci, Antw. 1575, Fol. — *Synesii* opera Graece et Lat. Interpr. Dionys. Petavio, Lutet. 1612, Fol. — *Diodorus* Sic. Gr. et Lat. studio Laur. Rhodomanni, Hanov. 1604, Fol. — *Solinus* cum Enarrat. Jo. Camertis, Viennae Austr. 1520, Fol.





DISSERTATIO

DE

POËSI FENNICA

AUCTORE

HENR. GABR. PORTHAN.

(Aboae 1766—1778)



Niemu-Vaulut Runoifija,  
 Weifatut silloin wäleehen  
 Kosca Runot Kuuluihimmat  
 Suomen laulut suloifimmat  
 Warfin hywin wastaturxi  
 Tulit tuolla Turkuseja  
 Kuuluijasa Raupungija  
 Oteturxi oppineilta  
 Muitten kielten Kumpalixi.

Suomen kieli kangiaxi  
 Khlä kuuluwi kowaxi;  
 Waan on sitä wakaisembi  
 Synkiämpi suloifempi  
 Paljon sitä painawampi,  
 Täynnä tarchoja sanoja,  
 Täynnä toimea tosingin  
 Solmusanohin sujuwa.

Tämä kielesä kowaşa  
 Löhdät Lelhy-lähteitä  
 Jotka juoqewat joixi  
 Lewiäwät lammikoixi,  
 Jotka janon jähdyttäwät  
 Kielen saawat succelaxi  
 Raikensaijijn kelpawaxi:  
 Jofas tahdot toimellifa  
 Paljon parweşa puhua,  
 Taiwahasta tulifesta,  
 Eli maasta matalasta,  
 Taicka tähtein taloista,  
 Nijn on kieli kestwollinen  
 Tuommosihin toimellinen  
 Warfin luonnofta wakawa.



Taidas tahdot tasaisesti,  
 Ilman igewallaisesti  
 Ilman solmuja sanella,  
 Vocapäiwästä puhua;

Eli joßä fowitella  
 Tahdot solmuhin sanasi  
 Laulamalla laffetella  
 Mitä mieles mielistypti;  
 Eli Runohin ruweta;  
 Tott' on kieli kelwoallinen  
 Suomi sijnengin sjuuwa  
 Warsin aiwan kuin walettu  
 Tuohon Tuiki taipununna,  
 Niwan mielesti mukahan.  
 Sijtä sanowat samaiset  
 Todistawat täyhttä päätä  
 Suomen kielen Laulu-lasfut  
 Runot, monet mainittawat,  
 Toit' on juuri joukottaisin  
 Nlönpaljon ylimaasa  
 Sakialta Savon=maasa  
 Pitkin koko Pohjolata  
 Sunnakolla Hämeheßä  
 Tuonne tänne tuisfuteltu;  
 Soita matkij matkamiehet,  
 Loruttawat Laulu-miehet,  
 Pidoisanßa, pejahaisis,  
 Häißä huiki hyppäeßä.

Nuoita nuoret nauru=suiset  
 Nuoita Neitot näppäräiset,  
 Wanhat waarit wanuttawat  
 Keskenänßä kertonewat  
 Lembiästi laulelewat.

Näißä nyt nimitetyißä,  
 Suomen kielen tukkaisista

Nääme poimitut parahat  
 Koko lyhteet cootut,  
 Toista warjin wickelästi  
 Wisut wijsahat wetävät,  
 Mo suulla imelewät  
 Opin oikian urosten  
 Suomen miesten mielen pidon  
 Kielen luonnon Kaunihimman.

Jospa Wanha **Wäinämöinen**

Tämän tietäsi toderi,  
 Näistä saiisi sanomia,  
 Totta Wanha wetähysi  
 Tulis tänne Tuonelaista,  
 Kaappajaiisi hartioillen  
 Kantelensa kaappajaiisi:

Tuopa ike Ihmettelis  
 Kuinga Suomi Korkiassen  
 Kambia ombi käennyt  
 Oppineitten olkapäillen:  
 Totta Wanha wiheltäisi  
 Kallistaiisi Kallioansa  
 Hyppis warjin haltioisans.  
 Ike wanha **Wäinämöinen**  
 Iloisansa istuisansa  
 Wirittäisi wickelästi  
 Kajaawaisen Kantelonsa,  
 Songa kielet kinnittäisi,  
 Että kuulusi kumina,  
 Helinästä heikommaasta  
 Hawattaisihin humina,  
 Tuonne Tornoan talohon  
 Pitkin koko Pohjolata,  
 Oli suuren Suomen=saaren!!

CHRISTFRIED GANANDER,

TUOMAAN poika.

Pappis=mies Pohjanmaalta.

**D. D.**

## § I.

**A**lmae Poëseos uti ea est jucunditas atque praestantia, ut nulla facile, non solum cultior, sed etjam barbara, reperiri queat natio, quae non specie saltim ejus aliqua delectata, suo illam modo tractare atque colere allaboraverit; ita gens quoque Fennica a pulcherrimo hoc studio adeo non fuit aliena, ut singulari potius ardore et successu, pro rerum conditione haud infelici, ab antiquioribus usque temporibus illi incubuerit. Ad summum vero illud fastigium, quod apud quasdam cultissimas gentes, et olim et hodie attigit, a nostris hominibus, quamvis ingenii vi haudquaquam destitutis, perduci non potuisse, nemo credo mirabitur. Non fuit is status gentis, vel cum primum apud nos ab omni cum litteris commercio remotos haec facultas coli, vel etjam postea cum illarum tandem familiaritati admoveri coepisset, qui locum tantae spei relinqueret. Non is linguae, quamvis communi intelligentium judicio pulcherrimae, honos est habitus, non illi doctissimorum et cultissimorum lectorum plausus, illique laudis et gloriae fructus uberrimi poëtis nostris fuerunt exspectandi, non illa denique praeclara praemia illaeque florentes gentis res ingenia hominum accenderunt, ut summus his litteris nitor summumque decus accedere potuerit. Naturali igitur cujusque impetui et exercitationi artis subsidiis parum adjunctae, tota fere relicta fuit pulcherrima facultas. Praecepta ejus distinctius explicare, majorique et doctiori eandem cura atque diligencia excollere, aggressus est nemo. Quid itaque mirum, si rudiorum aliquanto, quam pro caeterarum litterarum flore, quarum nempe opibus et cultu satis ornata non fuit, retinuerit habitum? Mirandum potius est, illam tamen venustatem illos-



que lacertos ei non deesse, quibus eam pollere, qui propius spectarunt, omnes fateri necesse habent. Accessit vero caeteris ejus malis, quod neque rationem hujus studii apud nos singularem, et fortunam qua haecenus usa fuit, quisquam curatius et plenius hucusque exposuit. Tentarunt quidem indolem carminum nostrorum breviter explicare PETRAEUS *Brev. Instit. Ling. Fennicae*, parte *Prosodica*, WEXIONIUS *Descript. Sveciae Goth. et Fenn. Lib. III cap. XIV*, et MARTINIUS *Hodeg. Ling. Fenn. p. 105 sqq.* qui *Petraeum* verbotenus sequitur; sed neque plene neque accurate satis in eo argumento versati sunt. Praeclara autem et eruditissime observata sunt, quae de Poësi nostra passim tradit vir de gente nostra immortaliter meritis Reverendiss. JUSLENIUS cfr. *Diss. de Aboa Vet. et Nova*, § 33 p. 91. *Orat. de Conv. Linguae Fennicae cum Hebraea et Graeca* (NETTELBLADT *Schwed. Biblioth. 1 Stück p. 163*) et *praefat. Lexici Fennici* § 16, sed tamen ea etiam pauciora et quasi in transcurso tantum dicta. Factum hinc est, ut non modo pauci adhuc integram poëseos nostrae rationem rite et distincte perspexerint, adeoque his litteris digne perpoliendis operam navare potuerint, sed multi etjam popularium doctiorum, vix ipsam carminum nostrorum faciem, quoad pulcherrimam sui partem, notam habuerint, longe itaque difficilium ab illis cognoscendam, qui extra linguae nostrae commercium degentes, litteras tamen nostras attentione sua dignas judicant. Ex eodem quoque fluxit fonte, quod et nostratum nonnulli exiguum musis nostris statuerunt pretium, et quidam vernaculi caeteroquin sermonis satis gnari, cum ad versus scribendos se contulerunt, usque adeo a vera illorum aberrarunt indole, ut ludibrium prudentioribus suis civibus, etjam plane illiteratis, merito debuerint. Haec igitur considerans, et operae omnino judicans esse pretium in majorem lucem vernaculae poëseos rationem conditionemque proferri, statui huic negotio industriam atque studium pro virili addicere, idque eo potius, quod et harum rerum curiosis non ingratum fore laborem, popularibusque et imprimis patronis atque amicis meis consilium meum ad-

probari intelligerem, et ad litteras nostras excolendas non exiguam inde redundaturam utilitatem existimarem, si occasio praeberetur delicias illarum, quas non modo ignorare, sed iis etiam non affici, nato Fenno turpe puto, diligentius examinandi. Campum igitur ingressus satis quidem vastum, non tantum quos supra indicavi auctores consulere, propriumque adhibere iudicium necesse habui, sed carmina etiam varii generis colligere quæ attentius considerari merebantur, et ad historiam poëseos nostrae pertinentia haud pauca investigare. Quæ cum ex interioribus inprimis provinciis conquirenda essent, a me aut nunquam aut non cum debita harum rerum cura aditis, neque facultas jam concederetur easdem diligentius perlustrandi, fautores et amicos quibus opportunum id esset, rogavi ut auxiliatrices mihi hoc in negotio manus porrigere vellent; quod etiam praestiterunt plurimi, quibus itaque ob eam benevolentiam gratias et habeo et ago meritas. Fateri tamen cogor, neque sic me omnia quæ ad argumentum hocce illustrandum pertinent, ita colligere aut explicata sistere valuisse, ut vel ipsi mihi satisfecerim. Restant sine dubio haud pauca ulterius examinanda, quibus autem non alia ratione lucem facilius acquiri posse existimavi, quam si opellam, nondum licet ultima attactam manu, et rudiori tantum quasi imagine rem adumbrantem, publico Honoratissimorum Popularium, quos haec studia delectant, iudicio modeste quamprimum subicerem; quo facto, et quæ deficient et in quibus erratum sit animadvertere, commodiusque prout opus fuerit aut supplere illa aut emendare poterunt. Hoc igitur consilio, observationes meas Dissertatione Academica complexus, in lucem sensim emittenda, primam jam ejus particulam benevolis lectoribus sisto, qua par est observantia rogans, ut harum rerum prudentes opem mihi de patriis litteris bene mereri cupienti porro praeberent, doctasque suas animadvertiones mecum communicare velint, quas quidem in usum vertere, et sequentibus opellae partibus adjicere non praetermittam. Ex qua deinde silva, si non mihi, attamen aliis felicioribus ingeniis, perfectam et concinnam licebit de in-

tegra poëseos nostrae ratione commentationem tandem conficere. Quod si factum fuerit, studiaque gentis nostrae ad has perpoliendas litteras aliquantum incendantur, abunde scopum meum attigi.

## § II.

Fennicae Poëseos universam exposituri faciem, in limine statim observamus, non eadem hodie lege cuncta apud nos carmina factitari, sed tria illorum amari diversa plane genera. Praeter peculiare enim illud et genti nostrae proprium carminis genus, quod *Runarum Fennicarum* nomine venit, quoque prae caeteris delectantur nostri, introducta etjam fuit posteriori tempore *Poësis* sic dicta *Rhythmica*, sive *ὁμοιοτελέυτοις* ornata, quae apud nos non minus ac apud reliquas Europaeas nationes fere omnes, suos invenit amatores. Alii rursus, veterum Graecorum Latinorumque capti carminum justa admiratione, illorum imitatione *versus quantitatis exacta in syllabis mensura ornatos*, nostra quoque lingua componere tentarunt. De quibus itaque singulis generibus, quaque apud nos jam ratione et fortuna colantur, distincte et ordine dicemus.

## § III.

Antiquam igitur et domesticam gentis Poësin, *Runas* videlicet Fennicas, et genio linguae nostrae maxime convenientes, et majori prae caeteris versuum generibus apud nos cultura florequae conspicuas, primum considerabimus. *Rūnot* (sing. *Rūno*) hujusmodi carmina vernacula lingua dicuntur <sup>1)</sup>, et singulari gaudent natura atque indole. Mono-

<sup>1)</sup> Nomine forte ex Hebraeorum רִנָּן orto, unde רִנָּה *Canticum*. An cum Gothorum quoque *Rūna* (pl. *Rūnor*) *litteram* significante, aliquam cognationem habeat, et quam, non facile dixerim. WORMIUS certe, qui Gothicam vocem ex Hebraea nullo modo descendere posse contendit, ejusmodi adfert argumenta, quae Fennicae vocis derivationi, quam indicavi, egregie favent. Cfr. *Ej. Litterat. Runic. Cap. 2.*



cola semper sunt, sive uniformia, et versibus constant quorum singuli octo recipiunt syllabas <sup>2)</sup>, quae si plures quando aut pauciores adfuerint, vitiosae id tribuendum licentiae <sup>3)</sup>. Facies illorum ex sequenti patebit exemplo:

Kewät feickuin tulepi,  
 Ilon kanğa ilmestypi;  
 Silloin monda mekämieftä,  
 Somaisinda soidinmieftä,  
 Suren päällä soutelepi,  
 Ennakolla ennättäpi,  
 Mekän eläinden edulle,  
 Soittawaiſten ſoittimille;  
 Silloin kaiĉi kalamiehet  
 Paatin päälle pyhteſewät,  
 Werkot weteĉen wetäwät  
 Heinikohon heitteſewät; etc. <sup>4)</sup>.

Quantitatis exacta quidem, qualis apud Graecos olim et Latinos, in metiendis syllabis non habetur ratio. Modos autem musicos, sive *tonum*, cui cantantes carmina sua populares nostri constanter adtemperant, si consulere velimus, quatuor *Trochaeos* singuli versus aptissime recipere videntur <sup>5)</sup>. Neque difficulter animadvertitur, illos versus, quibus

<sup>2)</sup> Atque hoc forte respectu a Rev. JUSLENIO cum Glyconicis comparantur, *Praef. Lex. Fenn.* § 16, licet ratione pedum nulla inter eos reperiatur similitudo.

<sup>3)</sup> Exemplum igitur a Nobil. WEXIONIO adductum, loco supra citato, ad ostendendam indolem carminis Fennici, videl.

Pojat parat pauhaſam,  
 Neitget nuoret iloitſam,  
 Wanhat wahwaſt weifatſam,

minus idoneum esse, vel ex hac ratione apparet.

<sup>4)</sup> CALAMNII Wäh. Kokous Suomal. Runoista, pag. 4. seq.

<sup>5)</sup> De quantitate syllabarum apud Fennos, in sequentibus diligentius disputabimus. Pro illis quae hac § traduntur intelligendis, Runarum hac in parte indolem cognoscendam praebenti-

hi contingunt pedes, commodissime et pulcherrime currere. Exempli loco hunc adferemus: *Röhta kulffi jällsehensä, item: Saapi surma mierahäri.* Imo illi quoque versus, qui hujus metri jucunditatem perfecte non attingunt, quo tamen ad illud propius accedunt, eo fluunt dulcius, quod ex adducto modo speciminis loco carmine satis patebit, instituta inter duos primos versus comparatione. Constanter vero huic metro Poësis nostra adligata non fuit; neque Graecorum Latinorumque summum illum rigorem vel linguae vel carminum nostrorum indoles patitur. Nimis certe poëtis nostris grave imponeretur jugum, si praeter peculiare nostris versibus leges, tot adhuc tamque severae observandae illis praescriberentur regulae. Caeterum indicatae pedum for-

bus, interea monuisse sufficiat, omnes vocales simplices in lingua nostra breves esse, et ad producendam syllabam *diphthongo, positione, aut vocali geminata* opus esse; geminata enim littera vocales longas significare, apud nos moris est. Quot et quasnam lingua nostra habeat diphthongos, vide apud VHAELIUM *Gramm. Fenn. cap. 1. § 14,* et JUSLENIUM *Praefat. Lex. Fenn. § 8.* Accedere autem praeterea accentus debet, ut perfecta mora enascatur. Accentum vero in lingua nostra duplicem sentire mihi videor; quod etjam sibi visum in cit. *Dissert. de Aboa V. et N. § 33 p. 90* innuit Rev. JUSLENIUS; unum qui cujusque vocis primam occupat syllabam, a Grammaticis quoque nostris animadversum, quem non inepte *tonicum* vocari posse existimo, qui solus brevitati syllabae nihil officit; alterum in vocibus ultra tres syllabas porrectis notabilem, qui vocum tetrasyllabicarum tertiam, hexasyllabicarum tertiam et quintam, octosyllabicarum tertiam, quintam et septimam syllabam adficit, sed in pentasyllabis et heptasyllabis paulo diversam sequitur rationem, quam jam non est necesse explicare. Hunc *Euphonicum* commode dici arbitror; qui a Grammaticis nostris non est animadversus, tamen facile agnoscendus. Sic in vocibus *soutelepi, ennättäpi,* praeter primam syllabam accentu quodam manifesto adficitur etjam tertia, et in *huolimattomuden* etjam quinta. Hic accentus, effectum ad morae similitudinem propius accedentem habere, quam primus ille, videtur. Elegantius certe fluit metroque trochaico paret exactius hic versus: *Waabit kanša kändamahan,* item: *Roffa fuuli mainittawan,* quam hi: *Roffas näitä pyhdät pitä, et Kuto kaunit kangas kabad, Että juuret lijna pafat.*

mae, quantum fieri commode potest, libenter poëtae nostri imminent, ipso aurium sensu ducti, licet nulla suffulti distincta regularum notitia. Inculta videlicet plane et intacta hucusque haec apud nos fuit doctrina, primoque conatu rite explicari difficillime potest. Quamobrem qui hactenus de poësi nostra iudicium tulerunt, nullam prorsus in Runis nostris quantitatis syllabarum haberi rationem, pronuntiarunt; quam tamen opinionem firmo haud niti fundamento, vel inde potest intelligi, quod eadem voces in versu aliter atque aliter collocatae, salvis licet regulis grammaticis et prosaicae orationis compositione, aut svavem illum gratumque auribus, aut durum et intolerabilem reddant. Exempli loco hi versus sint: Mיעכא wälchypi werinen, Hengi huofupi hewoisten; item: Kurjat werčoa kutowat, Paħat neuwoja niwowat, Salon surmaři Sumalan, Paľaři parahān neuwon; item: Eikā rijtoja rafenna, Eikā suututa sanoilla; Sulle sijwollen sanowa, Mitā tarwitaan talošta; qui licet supra laudato metro exacte non pareant, minime tamen inficeti apud nos habentur. Sed immuta paullulum vocum ordinem, ita ut hac ratione legantur: Werinen miečka wälchypi, Hewoisten hengi huofupi, et Kurjat kutowat werčoa, Paħat niwowat neuwoja, Salon Sumalan surmaři, Parahan neuwon paľaři, et Eikā rafenna rijtoja, Eikā sanoilla suututa; Sulle sanowa sijwollen, Mitā talošta tarwitaan; omnis illico perierit illorum svavitas. Quae etjam aures Fennicae hos ferent versus: Kain minä tulin Turkuhun, Nijn minä näin ihmeitä, etc. Aut quis poëseos nostrae gnarus, omnino versus esse largietur? Quibus similia innumera possent adduci exempla, non alio quam neglectae quantitatis vitio laborantia, quae tamen aurium mox iudicio damnantur. Omnem itaque de syllabarum quantitate curam abjicere, poëtis nostris haudquaquam licere, luculentissime patet. Quousque autem extendenda sit, et quaenam hic inprimis observari debeant regulae, difficilium statuitur. Mihi hujusmodi observationes se obtulerunt: 1:o. *Ubi a veri metri rigore necessitas recedere jubet, multo semper facilius syllabis brevibus moram imponere, quam longas corripere licet.* Exempla ex praecedentibus hauriri possunt. Longae autem in Runis non aliae



censendae sunt, quam quae cum diphtongo, positione, aut vocali geminata, accentum aliquem conjunctum habent; reliquae breves putandae (cfr. not. praec. <sup>5</sup>). 2:o. *In prioribus pedibus facilius aberratio permitti aliqua potest, quam in extremis*, in quibus maxime perfectio atque absolutio judicatur. Compensat aliqua ratione accentus *tonicus* moram in primis pedibus, sed aegerrime in postremis. Longe dicitur tolerabilius: *Soffas pittä näittä ppyhdät, quam Soffas näittä ppyhdät pittä.* 3:o. *Monosyllabo non facile terminatur versus Runicus; quod vitium, hujusmodi vocum et paucitas et indoles facillimum evitatu poëtis nostris reddit.* Fuerunt tamen qui neque ab illo sibi caverunt. Exemplum praebet ingrattissimus hic versus: *Songa Herra hurstari ties.* Inprimis vero 4:o *penultimae syllabae, quae etiam inter cantandum longissime semper producitur, aegrius licet esse brevi; quod praecipue valet, si accidat ut antepenultima simul sit longa, quo nimirum facto, conjuncta illa duo vitia aures gravius offendunt.* Atque hinc est, quod exempla nuper adducta, immutato verborum ordine tantopere displiceant. Aequè ingrate hi versus sonant: *Pyrkisöhon sun pyörilläs, Kullakohon sun kannoilläs; a quorum igitur similibus accuratiores poëtae diligenter sibi cavent.* Neque dubitant ad hanc asperitatem evitandam, figuram aliquam grammaticam, et inprimis mutatum naturalem ordinem vocum, si opus sit, potius adhibere, quantum quidem perspicuitas et puritas sermonis permittit. Luculenter hoc etjam probant hi versus: *Judas pettäjä Sumalan, Saa tästä suru sydännen; Naha joutui raskahari, Käändhi huolexi hopia, Saatu surmalla Sumalan, Werellä wakaifen Herran. Tunnusti samalla suulla, Jolla Luojan pettänyhänä, Tyhönjä thymäxi todisti etc.* <sup>6</sup>). Non dicit poëta: *Judas Sumalan pettäjä, vel Hopia käändhi huolexi etc.* Sed patitur tamen allata regula etjam haud paucas exceptiones. *Voces enim quatuor aut sex constantes syllabis, quamquam penultimam habeant brevem, apte tamen versum terminant, quod accentus Euphonicus in illis*

<sup>6</sup>) SALAMNII Sio Paulu Sejuresta etc. Cap. XI de Judae proditoris perversa poenitentia et morte funesta.

productionem penultimae compensat (cfr. not. praec. 5); cujus rei exempla carmen in initio §:i allatum plura praebet. Atque in genere observandum, *versus nostros aptissime semper longiori voce, nisi alia ratio obstet, terminari*. Itaque non tam placent hi: *Roffa Runingamme kulfki, Matkusteli meidän maalla*, quam si hac ratione verba collocentur: *Roffa kulfki Runingamme, Meidän maalla matkusteli*; et longe ingratus dicitur: *Kulfi kolmannengin ferran*, quam *Kulfi ferran kolmannengin*. Cujus etjam rei ratio, in accentus illius secundi nescio quo pondere latere videtur. Porro eo usque sollicitudo de debita penultima syllabae mora extendi non debet, ut exemplo nonnullorum qui nimis rigidam in quantitatis legibus servandis accuratorem sectati sunt, omnes voces trisyllabicae, utpote metro trochaico repugnant, penitus ex Runis nostris excludantur<sup>7)</sup>. Praeterquam enim quod a vetusto carminum nostrorum more nimis sic esset recedendum, magna etjam vis vocum et ponderosissimarum et elegantissimarum, ingenti sane jaectura, a poetis nostris proscribi deberet, et quod metri jucunditas lucraretur, reliquae carminis virtutes perderent<sup>8)</sup>. Deinde cum hujusmodi versus, trisyllabicis etjam constantes vocibus recitantur, non tantum non ingratum habent sonum, sed virtutem etjam haud exigua ab ipso hoc metro suo interdum mutuatur, auriumque sensui abunde satisfacere scita potest recitantis opera. Exempla

<sup>7)</sup> Ex eadem ratione omnes etjam voces pentsyllabicae et heptasyllabicae, quod accentus in syllabam producendam non incidat, proscribi deberent; quamquam hoc minori cum damno fieri potest, quam si omnia trisyllaba effugere velimus. Neque monosyllaba, nisi duo juxta se invicem posita adhibere liceret, si summum metri trochaici rigorem in lingua nostra attingere conaremur.

<sup>8)</sup> Inter alios, ab omnibus vocibus trisyllabicis, constanter abstinet Auctor Spectatiss. Runarum super bello novissime in Fennia gesto, illudque subsecuta pace etc., sub hoc titulo editarum: *Suru suuri Suomalaiſten, Parfu poru Pohjalaiſten* etc. nec non Auctor Anonymus Poëmatici, sub tit. *Suonen Speili* etc. nuper denuo typis evulgati; qui vero parum intellexit Poëseos nostrae rationem.

in illis versibus quos passim allegavimus, luculenta habentur. Cantui quidem hi versus aequae accommodati non sunt; sed neque omnia carmina cantari opus est, et si hoc etiam placet, longo usu leviori huic asperitati assuefactae aures nostrae non tantopere illa offenduntur, ut gravi adeo jactura evitari debeat. Neque timendum est, ne Runis nostris suum propterea non constet pretium, quod ob hanc rationem versus interdum paullum vacillare patiamur. Tolerabiliores hujusmodi defectus, linguae cujusque indoli saepe condonandi sunt. Ita Galli, quorum caeteroquin poësis ad tantum ascendit fastigium, praeterquam quod, miro exemplo, in versibus recitandis ab illa recedunt verba pronunciandi consuetudine, quam in prosaico sermone sectantur, non tantum in Rhythmorum finalium venusta similitudine, sed in accentus quoque et quantitatis legibus exacte servandis, cedunt Svecis et Germanis; et hi rursus a dulci illo atque elegantissimo Graecorum et Romanorum metro longe absunt. Contra, in sequentis versus initio sensum claudere, quam priori versu inchoaveras; quod Gallis praeceuntibus hodie tantopere cavent omnes, apud Graecos Latinosque, Lyricos inprimis, vix in vitio ponebatur. Sed ad Runas nostras redeamus. Quaeenam praeter jam explicatas, in syllabis illarum rite mensurandis necessariae sint regulae, indicare hactenus nequeo. Aurium autem exactissimo iudicio, quod peritos usu poëtas raro fallit, cuique soli plus in hoc negotio quam omnibus regulis confidendum est, vacillantes et asperos versus a jucundis svavibusque discernere, facile semper licet.

#### § IV.

Rhythmos quos vocant finales (Svecis Rim), sive similes clausularum sonos, plurimis hodie gentibus tantopere amatos, Runae nostrae haud desiderant. Qui tamen sponte incidunt, nulla poëtarum cura arcessiti, non displicent. Quamquam hi et rarius se offerunt et pauci eorum accuratissimi sunt, ut ex allatis praeced. § exemplis satis patet. Inprimis versus, quos trisyllabicae claudunt voces, accentum nisi



in antepenultima syllaba non habentes, rhythmum accuratum plane respuunt; cujusmodi tamen versibus varie intertextis, carmina nostra frequenter gaudent, difficillime igitur genuinis rhythmis ornanda. Et nescio etjam quomodo qui voce dissyllabica terminantur versus, si perfectior accedat rhythmus minus placere videntur, quam si vel nullus vel neglectior adfuerit. Exemplo erunt hi versus: *Þýðen þósen ferta huufi, Roffa jocu hándá huufi*, cum his comparati: *Wielá ost toinen mirka, Sfáldánsá páälle pandu*, et *Rirkasti foreat fiskwet, Seráttit háreát mielet*. Non tamen defuerunt, qui constanter Runis suis rhythmos finales adjicere instituerunt <sup>1)</sup>, non feliciore multum consilio, quam qui Latinis eosdem carminibus obtrudere voluerunt. Plerumque autem, quo quis Runicae Poëseos minus intellexit rationem, eo de versibus suis rhythmis exornandis sollicitus magis fuit, aliis contra neglectis potioribus virtutibus, moreque vetusto carminum nostrorum plane everso. Quamobrem hujusmodi Runae nullius etjam solent esse pretii, nec ab aliis fere amari, quam qui versus intelligere ullos sine rhythmico nequeunt <sup>2)</sup>. Qui vero et indolem linguae nostrae cognoverit, *ὁμοιοτέλειτοις* parum faventem, et nativas nostrae Poëseos elegantias perdi non voluerit, novum hoc vatibus nostris et peregrinum jugum imponi haud cupiet, quo vis illorum et impetus, nullo jucunditatis lucro frangeretur et opprimeretur. Horum vero rhythmorum loco, *nostri singulas aut saltem duas in quoque versu voces eadem syllaba aut littera inchoari amant* <sup>3)</sup>, sicque rhythmici quandam et concentus spe-

<sup>1)</sup> Rhythmum hunc ut in versibus nostris necessarium, commendarunt etjam PETRAEUS et MARTINIUS in Grammaticis suis, ll. cc.

<sup>2)</sup> Qui cum hunc tamen rhythmum quem venantur, perfecte attingere in lingua nostra aegre possint, eo insulsiora evadunt carmina omni alio ornatu destituta. Non immorabor exemplis subjiciendis. Affatim dabit poëma supra memoratum, quod sub titulo: *Huonen Speili* etc. typis descriptum exstat.

<sup>3)</sup> Observandum hic, litteram *Œ* eandem esse cum *Ŕ* littera, adeoque in Runis pro eadem semper haberi, licet nescio quo Latinos imitandi studio apud plerosque nostratium recep-

ciem non in fine sed in initio vocum in unoquoque versu quaerunt. Exempla supra adducta, etjam hanc rem illustrare possunt. Atque haec litterarum earundem initialium repetitio, non sine vitio negligenda, et jucunditatis plurimum apud svetas aures habet, et ad versus in memoria retinendos non minus valet quam rhythmus finalis, longaeque cum genio linguae facilius conciliatur. Caeterum cum duae in versu voces ab eadem incipiunt littera, necesse non est, ut aut in initio versus aut in fine ambae juxta se invicem collocentur, sed quemcunque locum libere occupare possunt, et aliis quoque vocibus varie interpositis apte saepe se junguntur<sup>4)</sup>; ut ex carmine in praeced. § initio adposito apparet. Neque quod nonnullis placuit, ut sine exceptione omnes in quovis versu voces ab eadem littera ordirentur<sup>5)</sup>, probari potest. Tantum enim nimius hic rigor svavitatis carmini non addit, quantum Poëtis remorae et difficultatis creat. Quare etjam pauci arctiori hoc vinculo se adstrinxerunt.

### § V.

Praeter indicatam autem singularem rhythmici speciem, alia quaedam adhuc Runis nostris familiaris est, praecipua digna attentione, in ipsius sensus et totius versus consistens

tum sit, illam hujus loco ante vocales duriores a, o et u adhibere. Itaque in exemplis adpositis sprevimus hunc morem et sola f usi sumus. Quod autem i et j, nec non u et w, a quibusdam ut non diversae litterae in Runis usurpantur, id licentiae est adscribendum. Accurate dicitur: *Flori pašan isännän*, et *Suhsa joutunut Sumalan*, item *Uros uresta isoista*, et *Waiwan alla waiwaloisen*; sed vitiose: *Uros tunnuſti wafainen*, et *Flon fanſa juoze-mahan*.

<sup>4)</sup> Ad principium versus utramque adligant Grammatici nostri saepius citati; sed contra usum communem. Quod autem carmina nostra integras periodos habeant, ab eadem littera incipientes, ut itidem asserunt, id casu fit interdum, non ratione.

<sup>5)</sup> Hoc consilium, praeter alios, secutus est Praepos. quondam et Pastor Uloënsium in Ostrobotnia ZACHAR. LITHOVIUS, in *Epitaphio Episc. Joh. Gezelii, filii*, Runico carmine conscripto, impresso Holmiae A. 1718.

aliis verbis facta repetitione. Admodum enim in omni Runico carmine necessarium habetur, *ut quivis sensus, non simplici enunciatione exhibeatur, sed duobus ut plurimum versibus, aut etjam pro re nata pluribus, diversis tamen in quoque versu verbis, idem exprimat et inculcetur.* Sive, sententiae singulae quibus carmen constat, duo semper aut plura habere debent distincta membra, totidem comprehensa versibus, eoque inter se modo juncta, ut insequens eandem cum praecedenti rem, diverso verborum apparatu, et si fieri potest, efficaciori pronunciet. Ita primi versus sententia repetendo absoluta, altera demum subjicitur, rursus simili ratione conduplicanda, atque sic deinceps. Diversam a reliquorum Europaeorum poëmatibus, hoc metri genus Runis nostris indolem adfert, et habitum orientalium populorum poësi similiorem inducit, sed magnificentiam quandam simul et vim plane insignem illis conciliat. Non enim potest non vehementius affici mens legentis aut audientis, cum repetitis quasi ictibus verberatur, et quod de figura *interpretationis* dicit *Auctor Rhett. ad Herennium, necesse est ejus, qui audit (aut legit), animum commoveri, cum gravitas prioris dicti renovatur interpretatione verborum*<sup>1)</sup>. Atque hac ratione totum carmen continua quadam figurarum serie insurgit. Sed exempla rem uberius illustrabunt, quae ad verbum latine reddam, ut linguae nostrae minus etjam periti, aliquam tamen de indole Poëseos Fennicae notionem acquirere sibi possint. Unus ex felicioribus nostris Poëtis, carmen gratulatorium Regi nostro Augustissimo Fenniam peragranti dicatum ita orditur:

Rossa kullst Kuningamme,  
 Adolph Fredric armollinen  
 Meidän maalla matkusteli,  
 Kaikki wereni wenähti,  
 Kaikki kijahti lihani,  
 Että wirteni wiritin,  
 Kannoin minun kandeleni  
 Isän istuimen edehen,

Cum proficisceretur Rex noster,  
 Adolphus Fridericus clemens  
 Per terram nostram iter faceret,  
 Omnis sanguis meus extendebatur,  
 Omnis commovebatur caro mea,  
 Ita ut canticum meum intenderem,  
 Portarem lyram meam  
 Ante (ad) solium Patris,

<sup>1)</sup> Lib. IV cap. 28.



Raidiwallan kamarihin;  
Jofsa anoin andimia etc. 2).

Ad omnipotentis domum;  
Unde expetebam dona etc.

Alius terrae motum, mortem sanctissimi Servatoris secutum, ita describit:

Wielä maatkin manderetkin,

Quin terraeque firmique terrarum  
tractus,

Ihe kaiken ilman pohja,  
Luojan surmaa surepi,  
Wapisepi waikasti.

Ipsè omnis aëris fundus,  
Creatoris caedem dolet,  
Tremet misere,

Sangen hämmästy surusta;

Admodum stupet prae dolore,

Tahtoi painua peräti

Voluit sidere (ruere) prorsus

Pojes päälä pöastensa,

De columnis suis,

Kaata muurit korkeimmat,

Evertere muros altissimos

Sywät huonehet hukata,

Eximias domus perdere,

Kakata ylös alaihin.

Dejicere funditus.

Wielä kalliot kowimmat,

Etjam rupes durissimae,

Joit' ej kisko kirwes pohja,

Quas non avellit securis malleus,

Ej särje sepän wasara,

Non frangit fabri tudes,

Pistäne terävät pistit,

Forant acutae sagittae,

Murhen tähden murtunewat,

Prae dolore diffringuntur,

Pelwoista pakastelewat,

Ex metu disrumpuntur.

Tustan tähden halkiawat,

Prae anxietate finduntur,

Kosk' on Luoja kuolemasa etc. 3).

Cum est Creator in morte, etc.

Nemo credo hic virtutem carminis desiderabit, cujus etjam in tam exili versione non obscura apparent vestigia; neque indoles metri nostri ex his exemplis non intelligetur, quibus igitur, brevitatis studio hoc loco plura non addimus. Parcissime ab hujus rhythmii observatione Poëtis nostris recedere licet, et duos inprimis aut plures tali vitio laborantes versus conjungere, aegerrime permittitur. Exemplum praebent hi versus: Koska kijnä tahtonetta Miestä muita wiecähinda, Muištatte usehen ennen, Karfaisi käsiä kansan etc. qui prosaicum nimis habitum produnt. Ipsa autem linguae Fennicae indoles, copiosae et phrasibus synonymicis abundantis, egregie vatum favet conatibus. Caeterum nemo, antiquae poëseos Hebraicae, cujus in sacro Vet. Testamenti

2) CALAMNIUS Wähäinen Koskos Suomal. Runoista, p. 1.

3) SALAMNIUS Mo Paulu Jesuksesta, etc. Cap. XX.

codice exempla habemus, vel tantillum cognoscens indolem, aut carmina Biblica, etjam in alias linguas fideliter translata, diligentius considerans, insignem illorum cum nostrarum Runarum conformatione hac in re facile non animadvertet convenientiam, quam pulchre indicat, ipsamque hanc poëseos nostrae rationem, a se primum distincte expositam, simul aperit Reverendiss. JUSLENIUS <sup>4)</sup>, his verbis: *Inprimis notabilis est Hebraicorum et Fennicorum carminum concentus, consistens qua poësin in periodi (aut cujusvis enunciationis) divisione in duo hemistichia, quorum posterius variata phrasi, sensum cum priori continet eundem vel etjam ἐμφατικώτερον. Si vero contingit plura poni membra, aut partium (plerumque) est enumeratio, aut gradatio orationis. . . . Ex unico nostrati proverbio, sunt enim ut plurimum metrica, tota res apparebit. Sumalall' on onnen ohjat, Suojalla lhyjn awaimet: Waan ei lateen kainalosa, Paahan suowan formen päässä. Sic sonaret ad verbum: Deo sunt habenae fortunae, Creatori sortis claves; sed non invidi sub axilla, malevoli digitorum in apicibus. Quo poëmate, cum id in idiomate suo consideratur, quid uspiam elegantius, quid concinnius, quid quod veterum Hebraeorum poësin referat exactius? Metri hujus, quod cum Hebraeis nobis commune est, naturam et laudes uberius explicatas, videre licet in elegantissima de Poësi Biblica dissertatione, Upsal. A. 1758 edita <sup>5)</sup>; cfr. ejus § 3, ubi egregie inter alia dicitur: *Quid? quod Biblicae Poëseos metro, quod ostendimus, haec inest singularis omnino praestantia, ut quam demum cunque in linguam, fideliori quidem versione transfundatur, migret una et illaesum servetur, rerum quippe ipsarum intextum imaginibus, quae mutari versione non possunt, dum contra caeterarum in gentium poësi omnium, perire adeo cogatur metrum versi carminis, ut nisi disjecti postea poëtae membra vix appareant. Quamquam praeter hoc rhythmici genus, nostra carmina multis gaudent, quae popu-**

<sup>4)</sup> *Orat. de conv. ling. Fenn. cum Hebr. et Graeca.* NETTELBLADT Schwed. *Bibl.* 1 Stüd. p. 168.

<sup>5)</sup> A. Cl. Sv. ULLHOLM, Praeside Cel. CAR. AURIVILLIO.

larium aures impense delectant, in versionibus vero inte-reunt, uti ex supra disputatis facile intelligitur, quod videlicet syllabarum et numerum et quantitatem nostri exactius curent quam Hebraei, literasque insuper vocum initiales easdem repeti velint, adeoque versus artificiose magis struant. Caeterum peculiarem quam et Biblica et nostra carmina agnoscunt metri constitutionem, modo descriptam, aptissime *Rhythmum sensus*, *Rime du sens*, appellavit, et Europaeorum *Rhythmo soni*, *Rime du son*, opposuit, JOH. des CHAMPS <sup>6)</sup>, utpote sententiarum et notionum ipsarum harmoniam, loco ejusdem in fine versuum recurrentis soni, exhibentem. Specialius autem ut hujus rhythmici naturam, qualem Runae spectandam praebent, explicemus, observamus varie eundem pro re nata a vatibus nostris instrui, non tantum membra ejus nunc plura nunc pauciora ponendo, sicut allata ostendunt exempla, sed etiam integram modo sententiam, modo partem tantum enunciationis insigniorem repetendo. Sic in his versibus: *Raha joutui rastahaxi, Rään-dji huolexi hopia*, pecunia fiebat onus, argentum mutatum est in curam, integra sententia dupliciter exprimitur; nec non in his: *Wierhwät wedet wäfewät, Wallot paljon pauhajawat*, voluntur aquae potentes, fluctus multum tumultuantur. Sed cum dicunt: *Kewät feikuin tulepi, Mon kanşa ilmesthi*, vertripudians venit, cum gaudio manifestatur, apparet solum praedicatum enunciationis repeti, uti subjectum solum in his duplicatur: *Suru saatti rohliaxi, Murhe Herran haavoista*, Dolor fecit audacem, Sollicitudo de vulneribus Domini. Interdum et subjectum propositionis et praedicatum conduplicatur, sed utrumque separatim, ut in his versibus: *Kansan huuto huifeimbi, Poru pappein pahinden, Tucki korvat Tuomarilda, Pehmitti pahoin sydämmen* <sup>7)</sup>, Populi clamor gravior, vociferatio sacerdotum pessimorum, obturavit aures iudicis, mollivit male animum. Nonnunquam praeter subjecti aut praedicati sigil-

<sup>6)</sup> In Epist. inserta Diar. Britann. T. XIII p. 268, sicut docet Auctor Dissert. supra laudatae.

<sup>7)</sup> SALAMNIUS l. c. Cap. 15.



latim factam repetitionem, tota quoque propositio iteratur, ut in his: *Suru särjepi syhdämmen, Häikiaasti haawoittapi, Murhe lhöpi rinnat ricki, Dolor frangit cor, acerbe vulnerat, luctus lacerat pectora; aut alio ordine, qui magis placere solet: Suru särjepi syhdämen, Murhe mielen rikottapi, Häikiaasti haawoittapi, dolor frangit cor, luctus animum lacerat, acerbe vulnerat. Saepe etjam non totum subjectum aut totum praedicatum, sed insignior alterutrius pars aliis verbis enunciatur, ut in his: Kerran mendhä merelle, Väinehille laivan kansja, Meri miehet melkiähän, Tulit ilmahan isohon, Aliquando petentes mare, Undas cum nave, Nautae in magnam venerunt, in tempestatem ingentem. Et quis omnem hujus collocationis varietatem persequetur? Uti licet hac in re poëtis summa libertate, modo generalibus pareant rhythmus legibus. Perfecta autem si adhibetur periodus, non nisi per partes suas duplicari facile potest, quae varie repetuntur, ita ut colon quodvis, singulo contentum versu, sigillatim repetatur, hoc modo:*

Ohkä Juuttahat iloigut,  
Paha parwi pauhajapi,  
Surmasa suloisen Herran,  
Luojan pijnasta parahän;  
Rärst kuiteng' kaitti luondo,  
Mlla tustan taitwahattin etc. 8).

Quamvis Judaei laetabantur,  
Mala grex plaudit,  
In morte benigni Domini,  
De Creatoris cruciatu optimi;  
Tamen patiebatur tota natura,  
Sub anxietate etjam coeli etc.

## L. B.

*Alteram jam dissertationis de Poësi Fennica particulam, benigno Lectoris C. judicio submitto. Praeter continuatam ipsius opellae seriem, passim observationes inserui, quae in priore adferendae fuissent parte, si tum quidem in eas incidissem; nunc vero quo loco commodissime fieri potuit, eas collocavi, qui non absolutam et diligentissimo ordine elaboratam de poëseos nostrae ratione commentationem, sed silvam tantummodo observationum ad eam illustrandam pertinentium et*

8) l. c. cap. 19.

*subinde augendarum, me exhibiturum promisi. Quae in superioribus minus diligenter explicata, melius mihi postea innotuerunt, accuratius exponere studui; quae necdum satis explorata habeo, si deinceps comperero, sequentibus adjungam partibus: non enim primo conatu hujusmodi res perficiuntur. Quamobrem etiam, ut docti Populares, quibus vernaculae placent musae, studium his litteris mecum illustrandis, operaeque meae adjuvandae porro conferre velint, enixe rogo; illis qui hactenus consilio meo benigna faverunt ope, gratias agens habensque summas, meritissimas.*

## § VI.

Ex iis quae de repetitionis sententiarum indole et necessitate <sup>1)</sup>, § proxime antecedente diximus, luculenter simul patet, quemvis in carminibus nostris versum, integram quodammodo sententiam partemve periodi continere debere, neque sensum unquam nisi cum versu terminari, aut vocem aliquam, quae ad superiorem sententiam pertineat, ad sequentem versum rejici, qui novam rursus enunciationem simul inchoet. Illud igitur vitium quod *enjamber* Galli dicunt, sollicite poëtae nostri fugiunt; neque Graecorum Latinorumque, hac in parte, carminum libertatem imitari licet. Quare hujusmodi haud probantur versus: Saamat tietäjät totuden Tietä, kautta kirjameisten, et Mutta joka ombi aina Raiika, ei hän paljon paina, et Talos joku hyvä pala Sos on, sen hän pitä sala, et Taidka kossas wiljemään Peldos, niittus niittelemään Menet, silloin ovat walmit Sinull talon kalut kaunit, etc. Namque in his, praeterquam quod sensus valde fluit impedit, repetitio ejusdem locum nullo modo habere potest; qua itaque licentia, tota ratio carminum nostrorum

<sup>1)</sup> Omitti nimirum sine vitii nota haud potest, nisi gravior subest caussa, ut cum SALAMNIUS Mo-Laulu, etc. Cap. I hunc morem negligit, de Jesu puerulo canens: *Isä istu taimahasa, Äiti waljusa wajasa*; ubi celeritas oppositionis, vim et elegantiam insignem orationi concilians, per repetitionis longiorem anfractum languesceret et periret. In cujusmodi locis saepe virtus est, leviora vitia non reformidare.

perturbatur. Quod autem, hac lege, poetis nostris injici frenum, in tam brevi praesertim versuum genere, videtur, id rem diligenter tentanti haud magnam parere difficultatem reperietur. Propter eundem hunc repetendarum sententiarum morem, raro etiam fit, ut commode plura *subjecta* vel plura *praedicata* enunciationis in eodem versu enumerentur, sed vel *simplicem* quisque *propositionem* totam complectitur, ejusve partem solummodo alterutram (subjectum nempe aut praedicatum), vel partium *compositae propositionis* singula membra (cfr. § praec. p. 323 sq.) continet. Inficetos igitur hujusmodi versus nemo probat: *Hačka wahwar wenhes, lautas, Ruhes, airos, melas, porfas, Pieves, pida purjet puhtat, Warust keula, perä, tuhto, et Mies ja waimo, isä, äiti, . . . Olles wierais, taicka koto, Sifäll huones, eli ulkon, Olles töisä ja myös mattois, Istuis, seisois, maates, walwois . . . Pellä Herrä kohdastansa.* Accommodatius ad poëseos nostrae indolem, felicior Poëta ita hac *distributionis figura* utitur: *Now' on laki kuolemalle, . . . Sillä ottapi omaxi Milloin nuoren nuorukaisen, Milloin miehen miehullisen, Milloin wanhan waipuwaisen, Milloin tarttupi tawalla Ruhtinoihin rupiapi etc.,* ubi singula enumerationis membra singulis exhibentur versibus, apto cuique adjecto epitheto. Atque haec via patentissimum et commodissimum repetitioni aperit campum; etsi hic quoque illud tenendum: *ne quid nimis*. Latius enim quam res postulat si evagemur, in vitium superflua haec copia mutatur. Neque negari potest, repetitionis consuetudinem, quamvis modeste etiam et sobrie usurpatam, aliquanto tamen largius orationem in carminibus nostris diffundere, quod autem virtute et magnificentia, ex eodem instituto oriunda, abunde compensatur, linguae praeterea emphatica indole, et ponderosa verborum gravitate, multum sensum complectentium, huic incommodo egregie medentibus (cf. § sequentem VIII). Eo igitur diligentius cavendum est, ne temere orationem nostram inutili loquacitate circumducamus, sicque vim ejus inconsulte dissolvamus. Addo adhuc, quod ad ipsam pertinet repetitionis rationem, pulcherrime eam demtis particulis connectentibus fieri, perpetuisque sic *asyn-*



*detis* versus nostros ornari. Ex adducto modo exemplo: *Sifäll huones, eli ulfon, Olles töifä ja myös mattois*, quam ingrate in carmine nostro ista *conjunctionum* vincula adhibeantur, patere existimo; neque magis placet hoc, quod integros versus eadem ratione connexos exhibet: *Sangen suuren siunauren, Sa myös ilon ihasturen*. Quanto aptius dicitur: *Ilon aiwan ihanaisen!* Pauca loca sunt, paucaeque connexionum formae, quae hic excipi debent. Posset tamen eleganter etiam dici v. g. *Että ilon ihanaisen*. Sed in haec curiosius hac occasione non inquirimus. Caeterum nullae probatae legi et audiri possunt Runae, quin allatae modo observationis veritas manifestissime mox in oculos incurrat, auriumque indicio sentiatur.

## § VII.

Ad ipsam quod attinet orationis in versibus nostris structuram et compagem, lucida sit oportet, sana atque concinna, verbaque non moleste contorqueri, sed apte et faciliter fluere debent. Regularum Grammaticalium sancta semper servanda est auctoritas. Ad prosae tamen orationis severitatem non ita superstitiose poetae nostri se adstringunt, ut immutare vocum ordinem, metro postulante, non audeant; quin hujusmodi *inversionem*, etiam ubi nulla cogit metri necessitas, interdum adhibent, nimis familiarem et prosaicum orationis fluxum interrumpentes, quo versibus suis magis poeticum quendam habitum concilient <sup>1)</sup>. Exempla ex su-

<sup>1)</sup> Neque hujusmodi inversioni verborum, modestius adhibita, salvisque, ut monuimus, de caetero regulis Grammaticis et perspicuitate orationis, linguae nostrae indoles repugnat. Atque sine dubio ob inversionis elegantiam interdum quoque sit quod supra § III p. 316 indicavimus, *ut videlicet versus longiore voce potius terminetur*, sicut ex adducto ibi exemplo: *Koffa kullfi Ruuningamme, Meidän maalla matkusteli*, apparet. Quin hanc aliquando regulam, svadente inversionis jucunditate negligi, ex hoc versu: *Stävöitje ilma laidfi* (SALAMNIUS l. c.) qui in contextu carminis considerari debet, luculenter patet; ut variae contra rationes, praeter modo indicatas, locum inversioni commodum nonnunquam praecludunt.

terioribus, pag. 313—316, peti possunt; quibus hoc addimus: *Ransa outoja anopi, Stävöitge ilma laicki etc.* Item: *Otti Herra orjan muodon, et Päästi pääsä puolen wuoden.* Longe haec placent magis, quam si dixisset poeta: *Raicki ilma ifävöitge, et Herra otti orjan muodon, et Päästi puolen wuoden pääsä;* in quibus tamen nulla metri ratio (quod fit in primo versu: *Ransa outoja anopi*, cfr. § III n:o 4), a naturali vocum ordine recedere jubet. Existimari hinc potest, in nostra non minus quam in aliis linguis, uti phrases ita et construendi rationes occurrere poëticas, quae quamvis a prosa abeuntes, probatissimae tamen habeantur, in quarum vero indolem accuratius inquirere, quod res prolixioris sit indaginis, jam non vacat. Ad confirmanda ea quae mox disputavimus, hosce tantum adhuc versus adjiciemus: *Silloin silmiä sitomat, Rijnni kulmia kurowat Rylittäin khynelehet, Westi pišarat wetäwät*, i. e. *tum* (de dolore autem auctor loquitur) *oculos colligant, Arcte angulos oculorum consuunt Abundanter provenientes lacrimae, Aquae guttulae contrahunt;* qui quamquam notabiliter a prosaica recedunt constructione verborum, sine omni tamen offensione leguntur et audiuntur. Caeterum exquisito et limato, etiam hic, ut in multis aliis rebus, quo intra justos se continere sciant limites, poëtis opus est *gustu*, quem vocant, et iudicio.

Vocibus temere fictis<sup>2)</sup>, non probatis et prave flexis, versum infercire, aut otiosa et inania quaedam verba, quasi complementa numerorum inculcare, nemini licet, nisi qui ex-

2) An peculiaria quaedam *verba*, usu poëtis solis recepta, ideoque *poëtica* jure dicenda, apud Fennos habeantur, satis liquido compertum mihi non est. Voces occurrere insolentiores, atque in vulgari sermone rarissimas saltem, sed Runis familiares, dubio caret. Num vero nulla tamen forte dialecto usitatae sint, tam vasta non praeditus linguae nostrae cognitione, judicare non ausim. Fieri omnino potest, ut quaedam vocabula, a nota radice *parce detorta*, fingere sibi licere, poëtae existimaverint, et ut alia olim usurpata communiter, sensim obsoleverint atque in carminibus solum remanserint, cujus generis forte sunt *Sima mel, Umbi virgo*, etc. in Runis antiquioribus praesertim, saepius obvia; sed nihil pro certo affirmo.

sibilarum a prudentioribus cupit. Felicibus et veris poetis, ad inepta hujusmodi auxilia confugere, opus non est, qui non servare metro, sed quasi imperare videntur. Hinc neque anxiosa quaedam cura de rhythmis et repetitione sententiarum (§ IV et V), in illorum carminibus adparet, et ingrattam omnem uniformitatem vitantes<sup>3)</sup>, ita tamen libertate

<sup>3)</sup> Praeter eam varietatem, quam diverse collocata verba similiter incipientia, et aliter atque aliter instituta repetitio sensus (§ IV p. 318 et § V p. 323 sq.), quamvis metro constanter servato, versibus nostris largiuntur, cavent etiam poetae praestantiores ne ὁμοιοτέλευτα nimis longa continuatione cumulentur; nam sicut ea ceteroqui nec anxie affectant, pro orationis potius figura quam constanti versuum caractere habentes, nec in illis eligendis eandem ac Syeci accuratorem adhibent, adeo ut ὁμοιοπτώτοις magis quam ὁμοιοτελευτοις studere videantur, quamquam nec haec apte incidentia respuunt (cf. § IV p. 317), ita nec religioni sibi ducunt hoc schemate ornatos versus tres aut quatuor conjungere: -ex. gr. Nijnkuin kossi kuohumainen, Soutusafti juorewaineu, Nijnkuin uni umbinainen, et Saittaa lapset laula-wiri, Wanhat waarit wilpiäxi, Linnun kielet kemiaxi, Wisertämään wiceläxi. Vix autem commode ferentur plures, ut taedium non oriatur. Propter hanc quoque varietatis sectandae legem, trisyllabicis in carmine nostro vocibus carere haud possumus (cfr. quae supra § III p. 317 sq. pro iis retinendis disputavimus). Illis enim damnatis, singuli fere versus duobus dissyllabis et uno tetrasyllabo constabunt (paucis exceptis, in quibus aut duo tetrasyllaba, aut dissyllabum et hexasyllabum, aut quatuor dissyllaba etc. locum invenire possunt), ad hanc formam: Sosa lasti laupiafti Lewon maahan matalahan; quod non potest non insuavem et molestam parere *μονοτονίαν*, quo vitio etiam auctor carminis § III not. 2) indicati, minime caret. Longioribus vocibus, uti supra indicavi, maxime amant versus nostri terminari. Cujus rei ratio (praeter eam quam nuper attulimus not. 1), in eo forte quaerenda, quod licet genuinam *caesuram* versus Runici respuant, tamen non adeo eleganter fluunt ubi singuli pedes dissoluti, quam cum inter se, ope vocum ultra duas syllabas porrectarum, connexi sunt; unde monosyllabis (his quidem, binis plerumque junctis, nec in eodem versu admodum frequentibus uti convenit) et dissyllabis solum constantes, minus apparent magnifici, quamobrem hujusmodi versus non debent multi conjungi, sed aliis prudenter interponi; et cum accuratio major in ultimis requiratur pedibus, longiora verba his aptissime tribuuntur. Deinde ad res



utuntur, ut in licentiam non degeneret. Exempla passim per hanc opellam habentur. Pro lubitu in verba grassari, frequentibusque mutilationibus, contractionibus etc. ea deformare, minime conceditur <sup>4)</sup>. Male igitur PETRAEUS et qui eum ubique fideliter expressit MARTINIUS pronunciant: *viam rhythmos componendi propterea in lingua nostra esse facilem, quod syllabarum abbreviationes etiam patiatur in compositione* <sup>5)</sup>. Et exempla quae adferunt, nemini accurato Fenno

celerem et motum vehementiores exprimendos, pulcherrime inseruiunt versus trisyllabicas recipientes voces (quarum una plerumque etiam poscit sibi adjungi alteram), ex. g. Pirahti tuli foroinen de igne ex silice excusso, et de undis rubri maris, iter Israelitis aperientibus Westi vierhyppi mäeri, Kallioxi kahden puolen, Haldo pihvihiin pleni, Zätti pohjan paljahari, i. e. *Aqua contorquet se in montem, In rupem ab utraque parte, Unda elevavit se (tumuit) ad nubes, Fundum reliquit nudum*, quibus versibus nihil audiri potest in suo genere exquisitius. Ipsa pronuntiatio in hujusmodi locis ad rerum indolem accommodate institui potest, et versus recitari ut *dactylis* constantes, *immixtis trochaeis*. Ob vim itaque et ἐνέργειαν hujusmodi versuum, in carminibus suis magicis, de quibus infra, multum iis utuntur incantatores, et cum vehementia proferunt. Cum res contra graviores et tardiores describendae sunt, tardiori metro prudenter gaudent poëtae; v. g. Zähde fulda fultemahan, *Incipe sodes proficisci*. Natura porro cum vatis, vero inflammati entusiasmo poëtico, tum argumenti, satis admonebit quo loco cujusque generis versus adhibendi, quoque aptissime miscendi modo. Cujus artificii vestigia in versibus nuper adductis quoque aliqua apparent. Atque si huic rei poëtae nostri attendere diligentius voluerint, egregiam carminibus nostris laudem, Graecorum Romanorumque gloriae aemulam, vindicare poterunt. Sed his diutius non immoramur; rem indicasse contenti.

<sup>4)</sup> Hoc igitur grave omnino vitium, quo in versibus nostris evitetur, omni inconsulto studio, regulas carmini nostro peregrinas et ad ejus naturam minus pertinentes, illi obrudendi, plane abstinentum (cfr. § III, p. 314 et 316 sq. § IV, p. 317 sqq.), omnisque scrupulosus rigor, minus necessarias et minus inviolabiles leges constanter observandi, abjiciatur. Aliter enim istam mutilandi licentiam effugere non poterimus. Quae autem hoc malo redimuntur commoda, exiguum poësi nostrae lucrum adferunt. Apparet hinc rursus, trisyllaba ex carminibus nostris haud esse exterminanda.

<sup>5)</sup> ll. cc.

probari possunt. Aboënsi dialecto adsvetos, qui etiam in sermone quotidiano *elisionibus* crebris delectantur, minus fortasse haec licentia offenderit. Reliqua et maxima pars gentis, ut loquitur admodum distincte, et verba tardius profert, ita nullam facile syllabam auferri patitur, in Runis maxime. Quod autem Poëtae nostri etiam praestantiores, non ubique ab hac licentia abstinuerunt, eo nomine excusari potius quam laudari aut ad imitandum proponi merentur; praesertim cum et rarissime tamen illi indulgeant, et diligenti plerumque cautione adhibita, ut quam minime offendat <sup>6)</sup>. Hujusmodi autem versus: Turun kirjon fauniijt' fauniijt' Katon kaiken wastell' wahwiijt', Hywin eli, hywin opett', Hy-

<sup>6)</sup> Primo enim nunquam nisi *vocalem* vocis *ultimam* abjiciunt, neque ulla ratione hunc probarent versum: Hywin syndhyn' (pro syndhynyt) hymäist' mäest', aliosque similes, ingrata *apocope* inprimis vitiosos. Deinde aegrius etiam elisioni locum concedunt, nisi *sequente voce a vocali item incipiente*, quo pacto lenius multum aures afficit, ut in his: Jot' on wasta walittuna, et Läpi maat' on matkustanut, et Jot' en ennätä jutella. Contra, haec duriora sunt: Pyhäin seuras' feltiäsä, et Tofin andoi alus' meille, et Jot' nyt rauhan rakendanut, et jot' nyt jaananen jutella, adeoque apud probatos poëtas haud facile occurrunt, qui etiam diligenter cavent *ne per elisionem existat positio in fine vocis*, indoli linguae Fennicae maxime contraria, adeoque ingrattissima; quare hi non placent versus: Andoi Sengens' althixi, et aiwan oudoiz' orpanoixi. *Maxime vero laeduntur aures, si hujusmodi vocibus mutilatis terminetur versus* (cf. § III, n:o 2), quod igitur vitium accuratiores poëtae sollicite fugiunt; nam quis haec exempla probabit: Jot' on korkein korkeudes', et Tehnyt laidi funniogens', Ikiänsä ilmoitagens', et Tapahduisit taiwan tawall', et Eikä meren waifuturest', et Eloll' pyhäll' pyhitetyr'? *Verborum praeterea paucissimae terminationes, neque nomina fere nisi in casibus obliquis (adjectivis quibusdam, pauciorum praecipue syllabarum, exceptis) elisionem admittunt tolerabilem.* Quis enim feret hos versus: Hajott' hähdet wiholdisten, et Dpett' oifein monin ferran, et Erfan' aiwan autuasti? aut hos: Wig' on joututwa Zumalan, et Rauf' on ricki ripoitettu, et Eläm' ihmisen enäne? Contra, his facilius veniam damus: Row' on lafi fuolemalle, et hyw' on olla hymbyrälle. Nemo non intelligit, versum eo evadere duriozem, quo pluribus, quoque asperioribus simul oneretur elisionibus; quod adducta etiam supra exempla abunde confirmant. Caeterum levius totam hanc

wäst' wijmein ifens' lopett', quibus vix quidquam audiri potest durius, apud illos haud invenies. Similiter *syncopen* quoque non nisi in paucissimis vocibus, praeunte communi loquendi consuetudine, usurpare licet, ut cum mun pro minun, sun pro sinun etc. dicimus. Paulo frequentiorem *figurae* hujus (cum *synecphonesi* quadam conjunctae) Poëtis nostris usum concederemus, si pro communi linguae nostrae lege habere permissum foret morem a VHAELIO in *Grammatica* sua *Fennica* adoptatum, in multis nominum atque verborum flexionibus, vocales geminatas, interposita H littera distinguendi, qua rejecta, unam non raro utramque vocalem in Runis facere videmus syllabam. Exemplo sint hi versus: Suofoon Jumala ilolla, et parveen toiseen talutella, et Waan ei fateen fainalosa, et Enändhneet endisistä. Sed illud VHAELII institutum, ut quibusdam tantum dialectis consentaneum, ab aliis repudiatur, et pro epenthesi, si non plane ingrata, at minus certe necessaria habetur 7). Duriores ta-

doctrinam attigimus, quod omnino ab hac licentia poëtis nostris esse abstinendum judicamus.

7) Secutus est hac in re inprimis dialectum conterraneorum suorum Ostrobotniensium septentrionalium, qui nonnulla etiam adverbium etc. hujusmodi epenthesi augent, dicentes v. g. *fjiruhusti*, *hartahasti*, *jälsehen* etc. Neque quoad *casus* nominum *penetrativos* (et quae cum illis plane conveniunt *gerundia secunda*), analogiae praeterea cujusdam suffragatione destituitur. Nam sicut a *tämä* pronomine, formatur *tähän* et in plurali *näihin*, H littera in auxilium adsumta, quod imitantur omnia nomina monosyllabica, *maa*, *puu*, *työ*, *pää* etc. habentia in casu penetrativo *maahan*, *puuhun*, *työhön*, *päähän* etc.; ita his non multum absimilia sunt *minuhun*, *siuhun*, *waarahan* etc. Lenior tamen est illa pronunciandi ratio, cum hac epenthesi abstinentes dicimus *falaan*, *taiwaan* etc. atque difficilius H illud interseri potest cum in proxime antecedente aliud jam habetur syllaba, ut cum a *puhe*, *waša*, *farhu* etc. formatur *puhehen*, *wahahan*, *farhuhun*; abutuntur etiam hoc more, qui, cum *futuro* utendum sit, *περιφράζοντες* dicunt v. g. *pitä elämähän*, *pitä sanomahan*, ipsi etiam VHAELII praeceptis repugnantes, qui *casum genitivum* nominis verbalis *elämä*, *sanoma*, hic agnoscit, cf. *Gram. Fenn.* Sect. 2. c. 3, § 3 et c. 1. § 6. In caeteris istam adhibere dialectum, ad velificandum metro, vocalesque longas divisas luculentius di-



men sunt versus modo allati, quam hi qui cum VHAELII praeceptis congruunt: *Herra palkas palkitohon, et Sijrrä sitmänsi siwuhun, et Tuolla taiwahan talosa, et Totka pulskat pudonnehet; ejus autem rei ea ratio est, quod superiores isti in metri leges magis peccant<sup>s)</sup>*; quam ob causam haec

stinguendas, Poëtis Runicis omnino permittitur, minimeque haec ex. g. auribus displicent: *Ulös ristihin ripusta, Pane puuhun corstahan, et Turwaxensa tuttimahan, et Lewon omat löytänehet, quin egregie potius placent. In accusativis vero partialibus primae declinationis, et praesentibus infinitivis, atque tertius personis singularibus praesentis indicativi activi, primae conjugationis, quae vocali geminata sive longa terminantur, quamvis diaeresis adhibeatur, H tamen illud epentheticum locum habere nequit. Quis enim ferret p̄yhähä, kaataha, elähä, pro p̄yhää, kaataa, elää etc.?*

<sup>s)</sup> Diximus supra (§ III p. 313) versus nostros quo propius ad metrum trochaicum accedunt, eo dulcius fluere, et in genere difficilius corripitur longas, quam breves produci syllabas (§ III n:o 1). Verum quidem est, ut item docuimus (§ III not. <sup>s)</sup>), *diphthongum, geminatam et positionem, ad perfectam moram efficiendam non sufficere, nisi aliquis accedat accentus; cum penultimam trisyllaborum vere longam, qualem Runae, secundum metri rigorem, desiderant, reddere non valeant. Claudatur enim versus v. g. hujusmodi vocibus tuhoisi, mafaapi, pahaxi, sanoimme etc. (non adhibita diaeresi), et res statim patebit. At satis tamen longae ad offendendas aures hujusmodi syllabae sunt, cum pro brevibus usurpantur, quod in his sentiri potest versibus: *Uina armons' andaa meille, et Raidi meittä kulun päiwät, et Eikä tarkein tutkistele, et Pojes piiskin putoisit. Longe certe hi jucundius fluunt: *Uivan äääsi ääisti et meidän oikia osamme, et Waiwan alla waiwaloisen, et Eikä saawat surman alla. Itaque sollicite illud vitium effugere deberemus, nisi haec cura in nimis arctum nos gyrum compelleret. Ubi tamen leviori fieri potest labore, danda omnino est opera, ut auribus haec etiam in parte satisfiat. Ita caeteris paribus potius dico: Sota loppunut suruinen, quam Loppunut sota suruinen, et Sepin aalbohon asetti, quam Aalbohon sepin asetti, quia prior ratio collocationis verborum efficit ut accentus tonicus quantitatem primae syllabae in vocibus sota et sepin aliquantum compenset. Caveri saltem oportet, ne plures facile in uno versu tales occurrant naevi, qui asperiores illam reddant; nisi res duras et asperas describere debeamus, quo facto pulchre omnino metrum rebus accommodatur. Neque in fine versuum durities ejusmodi ferri facile potest, qua-***

exempla adhuc minus placent: Andoi monda muuta prántijn, et Tule tänne kuundeleman, et Jopa kohta pahax kuultijn, ubi in fine versuum vitium sentitur gravius (cf. § III, n:o 1 et 2). Longe dicitur elegantius: Tule tänne kuulemahan, et Kohta kuultihin pahaxi. Ut igitur metro se accommodent, qui H illud epentheticum rejiciunt, vocales tamen geminatas, ubi opus est, adhibita diaeresi distingvunt, ut ex his apparet versibus: Innä hhteen lufien, et halaitfoon hartaafti, et Tefe warfin terweexi. *Diaereseos* enim figura, ad implendum versum, familiarius poëtae nostri utuntur. Sic in his exemplis: Kyslittäin kyynelehet, et Pennän pääsket tuhoisi, utramque vocem kyslittäin et tuhoisi, *diphthongo* dissoluta, pro tetrasylla-

lis in his est exemplis: Aina meille moiton andoi; Waldakunnan kofoon kugui; Pakanan syhdän pahastui; Dlet töisäs Zumalatoin, Raidi pahat farttamatoin, cf. § III, n:o 2. Inprimis graviter displicet, si contingit *ut simul et breves producantur, et* (quod magis offendere docuimus, cf. § III, n:o 1), *longae corripiantur syllabae* (cf. § III, n:o 4), quod vitium hos adeo inſvaves reddit versus: Jot' manha ja nuori kuoli, et Joit' oppimaan ole wirja, et Koko kahta vuotta kului, et Tuli tai wijmein Turkuhun, Kuoli fiellä sitt jultuhun. Unde etiam *illa trisyllaba in fine versuum plane intolerabilia sunt, quorum antepenultima syllaba, aut geminatam aut diphthongum aut positionem habet;* quia accentu primam semper syllabam afficiente, illa longissima, et penultima contra brevis fit, invitissimo metro. Quare hi adeo graviter offendunt versus: Töisä pahoiſa paatunut, et Tuli kiuinen tuodahan, et Hurffas ja hywin oppenut. (Reliqua trisyllaba, claudendis etiam versibus, apte adhiberi possunt). Non multo facilius hic fluit: Teille tamarat tuon aina, quia monosyllabum, ultimum praecedens pedem, quantitate longum est, cum tamen antepenultima syllaba necessario debeat esse brevis. Hinc maafunda vox est poëtis Runicis non tractabilior, quam Tuticani nomen Nasoni fuit. Quod etiam supra (§ III, n:o 4) monuimus, *penultima syllabae versus Runicis, aegrius licere esse brevi, id de vocibus dissyllabicis versus terminantibus inprimis valet;* quare hic non placet: Ruja jota fitten oli. Namque trisyllaba hujus regulae exemimus rigori. De tetrasyllabis versum claudentibus et supra (§ III, p. 316), dictum est, et in sequenti nota <sup>11)</sup> dicitur. De positione observationem addo, eam nempe in Runis non attendi, nisi utraque consonans ad eandem pertineat vocem. Sulman fanſan, binos igitur exhibent trochaeos.

bica usurpari, liquet. Ejusdem generis sunt hi versus: Saumu lähtepi safia, Paçu peljättää pimiä (*fumus effunditur densus, Spissae terrent tenebrae*) et Räändhi huolexi hopia; nisi quis dialectum *Savonum* potius hic in subsidium venire existimet, qui safea, pimeä, hoepa, fere efferunt, et *antithesi* quadam adhibita, diphtongos in his et similibus vocibus, etiam cum prosa utuntur oratione disjungunt, quorumque nonnulli poëtae morem scribendo quoque exprimunt. Similiter vocales longas in duas interdum breviores, vates nostri solvunt, non solum in illis *casibus* ubi H epentheticum nonnullae dialecti interserunt, qua de re modo diximus, sed etiam in vocibus quae geminata terminantur (cf. praec. not. 7). Exempla hi praebent versus: Että ehtifit elää, et Terwe fertaa tuhannen, et monda mennyttä pyhää, et Maahan kaataa käfesi; quamquam hic quoque more *Savonum* nonnulli aliam interponunt vocalem, ultimam in brevem mutant, qui et dicere et scribere amant eleä, fertoa, pyheä, kaatoa. In prima vero syllaba vocum, quae occurrunt vocales geminatae aut diphtongi, tantum non omnes, diaeresin plane respuunt; multoque minus H illud epentheticum illis interserere licet: nam pahasi, tuhuli etc. pro paasi, tuuli, quis unquam ferret? Accentus, qui hanc semper occupat syllabam, sine dubio hujus rei continet rationem 9). De caetero generatim affirmari potest, et diphtongos, et geminatas, in Runis nostris pulchrius dividi, metro ita poscente, quam corripit 10) (cf. not.

9) Inter pauca illa verba quae excipi hic debent, occurrit näin (*videbam*) v. g. näön näin nukuissa. Item teen (*facio*), per omnes fere conjugandi formas (teffelen, teetän etc.) quod verbum dividitur elegantius, quam producit in prima syllaba, ex. g. Teen tiethxi teoyen, adeo ut pro dissyllabo haberi posset. Sed reperias tamen: Tulen teen lehttomaxi, et Teedos tunnus tultuanxi, et Mitä teeffeli isäni. In hoc autem versu: Tehesä (pro teesä) isän iloa, etiam per epenthesisin divisas cernere geminatas licet. Saan pro jakaan potius dissyllabum esse videtur, adeoque huc non pertinere etc. Caeterum aliam hic regulam tradere hactenus nequeo, quam ut aures diligenter consulantur, quae hunc v. g. versum mox improbant: Tahj päästän Barraban.

10) Exceptis diphtongis formativis adjectivorum et diminu-



praec. 8). *Paragogen*, in prosa quoque oratione ad numerum explendum usitatam, qua *tertiis personis singularibus praesentium indicativorum et subjunctivorum*, particulam pi vel Savonice mi addimus, tanto minus poëtae, cum versuum eam ratio exigit, refugiunt. Exempla haec adponemus: Kääpi Simoni surusa, Mlen mielen matkustapi, Huowi pilkana pitäpi, et Kossa waara koftajawi, Lähimmäistäs lähestywi, Silloin taitawi sinua Kansa koftata kowasti. Hujus etiam figurae praebet exemplum hic versus: Oli miesi merkillinen, Savonicae dialecto non inimicum. *Epenthesis* quoque a poëtis Runicis interdum usurpari, praeter ea, de H litterae familiari nonnullis dialectis in geminatis distinguendis usu, modo disputavimus, alia quoque exempla demonstrant. Dicunt enim aliquando v. g. khynelehët pro khynelet, ut ex adducto supra versu patet, ainehet pro ainet, v. g. Itfun ainehet paosa etc. peculiari quadam nixi dialecto. Quin etiam werahat pro werat, wanaha pro wanha etc. invenias, quamquam duriora haec merito habentur. Integros adponam versus: Wiepi waiwaisten werahat, et Taasa waiwanen wanaha, etc. quibus et hic accenseri potest: Kaidi kauhjat karuhut (pro karhut). Ex quibus simul apparet, quales epentheticas maxime soleant vocibus adjectiones inserere. Ex dialectorum praeterea varietate, multae quoque aliae oriuntur diversae vocum formae, in Runis frequenter occurrentes, certarum litterarum

---

tivorum trisyllabicorum (waiwanen, aifainen, poifainen etc.), ut quae pro brevibus commode usurpari possunt. Quam observationem, ut et plures alias, debeo favori P. Reverendi atque Cl. D:ni Sacellani in *Lillkyro* Ostrobotniae, *Caroli Rein*, qui pulchras suas de indole Poëseos Runicae annotationes mecum benevole communicavit, ex quibus simul perspexi, in plerisque plane utriusque nostrum esse visum, quod non parum me in sententiis meis confirmavit. Ceterum in vocibus nuper indicatis, quaedam dialecti diphtongos plane rejiciunt, quibus waiwanen, aifanen, poifanent, magis placet, adeo ut eo facilius penultima syllaba pro brevi possit haberi. Quaedam etiam *tertia personae singulares praesentis indicativi activi*, corripere se potius fere quam dissolvi in ultima syllaba patiuntur; exemplo sit hic versus; Andaa itzens' ältihiji.

vel transpositione vel additione, metro aptatae; quibus enumerandis jam supersedemus. Nonnulla tantum exempla adferemus. Pro auttaja Savonum more aliquando poëtae dicunt awittaja, pro fohtaa, fohtajaa, etc. Quali epenthesi diaeresis durior pulchre lenitur. In his versibus: Rääsi waatipi walehta, et Wuistit Wuojansa murehta, et Simesthit isot imehet, pluribusque ejusdem generis, Savonica similiter adhibetur dialectus, quae admodum Runis familiaris est; dicunt enim Savones waleh, mureh, imeh &c. *metathesi* quadam gaudentes, unde in genitivo formatur walehen, murehen &c. in accusativo walehta, murehta, vel ut alii (qui etiam in nominativo habent muret, imet &c.) lenius efferunt waletta, muretta, &c. pro walhe, murhe, ihme &c. (in genetivo walhen, murhen, ihmen, et in accusativo walhetta, murhetta &c.), unde versibus hae voces in casibus obliquis plurimum conciliant facilitatis. Pertinet ad ejusmodi metatheseos exempla sequens quoque versus: Waimot noušewat warahin (pro warhain). Eadem praeunte dialecto, eleganter saepe, *diplasiismi* cujusdam beneficio augetur quantitas penultima syllabae, in vocibus praesertim versum terminantibus, ex. gr. in his exemplis: Sson mailman majasa, wuorofauden waihetesa (pro majasa, waihetesa <sup>11</sup>).

<sup>11</sup>) Favet metro egregie hoc consilium. Absolute tamen necessarium non est, ut penultima vocum tetrasyllabicarum et hexasyllabicarum quae versum terminant, aut geminatione aut diphtongo aut positione longa sit, cum accentus euphonicus moram sufficientem efficiat (§ III p. 315 sq). Pulcherrime quidem fluunt hi versus: Kerran naada felwotoinen, Lindu pahin parwefansa &c., sed neque hi displicent: Zotka pulstfat pudonnehet Oslit maahan mainittawat. In vocibus autem trisyllabiceis, quamvis accedens sic beneficio dialecti Savonicae positio in casibus *locativis*, ad producendam penultimam aliquantum adjuvet, tamen perfectam moram non gignit, uti supra ostendimus. Sed ad tetrasyllaba et hexasyllaba redeamus. Jucundius dicitur: Wjattele aiwofansa, quam Wiwofansa ajattele, quia praeterquam quod penultima syllaba in ajattele est brevior quam in aiwofansa, positio antepenultimam etiam videtur nonnihil producere; sed leviolem hanc moram (ut et eam quae ex diphtongo in hujusmodi vocibus nascitur) accentus uterque, ab utraque parte vicinus, omni fere vi privat. Exemplo sunt hi versus: Rohta tuollo fourillansa,

Nihil quoque poëtis nostris familiarius est, quam ut Savones item imitantes, in *praeterito secundo* et *plusquamperfecto* verborum, *casum nuncupativum participii praeteriti* pro *nominativo* usurpent, metri ita ratione ferente, ut haec ostendunt exempla: *Tott' on tulluna minulle, Sopa hetfi joutununna,*

Wäfewällä moimallansa, elämästä eroittapi, Toisen poijes toimittapi. Quoniam *accentuum*, et inprimis *euphonic*, injeci mentionem, addam hoc loco (quamquam in sequentibus ex professo illam doctrinam examinabimus) ad illustranda ea quae supra § III not. 5) de illorum in lingua nostra ratione disputavimus, non temere nos, nisi valde fallimur, *tonicum* appellasse eum accentum qui cujusque vocis primam occupat syllabam, et alterum in longioribus vocibus accedentem, *euphonic* nomine insignivisse. Contrariam quidem eosdem denominandi rationem, more Grammaticorum Hebraeorum, iniit antesignanus noster in hac doctrina Rev. *Justenius*, loco indicato; sed cum primae syllabae accentus sine dubio in lingua nostra sit primarius, et reliquis notabiliter acutior, ob eam etiam caussam ab omnibus animadversus, cum de posterioribus parum rescivisse videantur, isque effectum constanter eundem, sive vox unius sive plurium sit syllabarum, habeat, adeoque idem semper existimandus, cujus naturalis et immota sedes in omnium vocum prima syllaba sit: nostrae linguae indoli accommodatius meum esse consilium arbitratus sum. Plane enim hic alia Hebraeae linguae esse constitutio videtur. Nos tonum in antepenultima syllaba saepe habemus (in vocibus trisyllabicis omnibus, et non paucis pentesyllabicis) illi nunquam. Apud nos accentus nunquam ultimam elevare solet syllabam, apud illos saepissime et ordinario. Voce a fine crescente, apud nos nunquam accentus priorem relinquit locum, ut apud illos, sed si ultra tres porrigatur syllabas, adsciscitur ob pronunciandi commoditatem alter, quem aptiori quam *euphonic* appellatione indigitari non posse existimo. Carent illi saepe accentu in prima syllaba, nos nunquam. Cum igitur illos in fine vocum, nos in initio, syllabas elevare inprimis solere constet; patet cur apud illos prior, apud nos posterior vocis accentus, ob euphoniā adscitus existimari debeat. Quaeritur nempe hic de *toni* loco naturali et primario. Anglicae et Gallicae linguarum exemplum, quae diversam similiter in plurimis vocibus, quoad hanc rem produnt indolem, hic etiam considerandum commendo. Pluribus, in re praesertim levioris momenti, cumulandis rationibus supersedeo; institutum meum honoratissimis popularibus ex his posse probari sperans.



et Bihan alla wiffattuna &c. Sed hunc campum aliis diligentius excolendum relinquimus.

### § VIII.

Hanc vero omnem, de qua hactenus fere diximus, in versibus concinnandis externaque illorum conformatione polienda, industriam et accurationem, etsi apprime quidem probanda et necessaria sit, ad laudem tamen praestantis poëtae conciliandam non valere, sed boni tantum versificatoris titulum parere, quotquot de carminibus nostris iudicare norunt, uno cuncti ore fatentur. Possunt versus esse aridi, exsanguis, jejuni, insulsi, quamvis metro exactissime parentes, cujus jucunditatem vehiculi ejusdam instar esse decet, non extrinsecus tantum ornati et intus vacui, sed optimarum rerum internarumque carminis virtutum opibus simul referti; his ut spiritu suo externa illa structura animetur, verum hinc poëmatis vigorem coloremque accipiat, necesse est. Sensibus igitur abundare probatum carmen oportet, praeclaris, pulchris, acutis, gravibus, sublimibus, et imaginibus ornari laetis, vividis, insignibus, splendidis; quae singula scite, varie et apte intexantur. Verbis poëtae utantur lectis, elegantibus, sonoris et ponderosis; tropis et figuris gaudeant et crebrioribus et audacioribus etiam, quam quae prosae orationi permittuntur. Veritas tamen servetur in omnibus, fucusque sollicite caveatur et frigus. Oratio non temere, subsultim et inaequaliter currat, humi interdum repens, interdum nubes captans et inania, sed consilio dirigatur, et prudenti temperata aequabilitate fluat; ad rerum ubique et argumentorum indolem diligenter accommodetur; atque cum horum pondera, tum dictionis ornamenta et lumina, *singula quaeque locum teneant sortita decenter.* Horatius de arte Poët. v. 92. Qui igitur praeclaras has versibus suis impertire nequeunt virtutes, a musarum sacris temerandis abstinenceant, et segetem ineptorum carminum quibus abundamus, augere desinant. Speciales et cuique poëmatum generi proprias regulas, non tango. De his, uti etiam de poëticae orationis in universum indole et or-

natu (plura plenioraque si desiderantur), consulantur qui hujus artis praecepta ex instituto tradiderunt; communia enim haec nobis cum reliquarum omnium sunt nationum vatibus. Et hos igitur, et illos scriptores, poëtis nostris diligenter legendos commendamus; et inter vates inprimis eos qui maxime excellunt, cum antiquiorum tum recentiorum, diurna nocturnaue manu versandos, et sollerti imitatione, pro rerum nostrarum usu, exprimendos felicibus popularium ingeniis, quae musas nostras ad altius fastigium evectas cupiunt, impense svademus. Sed de his forte in sequentibus nonnulla adhuc monebimus. Nunc ad Runas nostras redeamus. Earum virtutum quas in poëmate inprimis necessarias esse diximus, quae praeclara omnino supeditent exmepla, carminibus gens nostra haud destituitur; neque nescit vatibus suis pretium pro majore aut minore, qua his ornare opera sua valent ingenii felicitate et studii industriaeque intentione, statuere. Quamobrem graviter de poësi nostra Reverendiss. *Juslenius*: *ejus inquit elegantia, vis commovendi animos et affectus ciendi, brevibus enarrari nequit: et si maxime id possem, fidem facerem nemini, qui illius intima non penetraverit sermonis. . . . Figuris tam dictionum quam sententiarum abundat, ut sine illis poësis non aestimetur.* Synonymiae inprimis et exergasiae ubique adsunt. Praefat. Lexici Fenn. § 16. Nominatim indicatae *συνωνυμίας* et *ἐξεργασίας* figurae, cur a poëtis nostris inprimis frequententur, ratio ex ipsius metri constitutione, ad cujus fere naturam pertinent, facile intelligitur. Mirum enim non est, si aegre abesse possunt, a carmine, cujus primaria lex supra (§ V.) explicata *repetitionis* consuetudine continetur. Quantam vero vim et elegantiam orationi concilient, et loco jam indicato ostendimus, et praeclare explicat *Gellius* Noct. Att. Lib. XIII c. 23 ubi inter alia docet haec schemata *exaggerationem facere speciosam*, et quae ista ratione *cum dignitate orationis et cum gravi verborum copia dicuntur, quamquam eadem fere sint, et ex una sententia cooriantur, plura tamen esse existimari: quoniam et aures et animum saepius feriunt.* Neque tamen eadem plane,

aliis tantum verbis, a poëtis nostris semper repetuntur; sicut ex adductis passim exemplis satis apparet. Sed plerumque posterius est ἔξηγητικὸν prioris, v. g. in his versibus: Joka luotti Luojan päälle, Myönnäthi hälle mieltä myöden, Sepä vifein osafi Lemon mafian majahan, Sielun tyvenen tapafi. Aut etiam *incremento* oratio augetur, quod non potest non virtutem atque efficaciam carmini conciliare maximam, omnemque simul tollere sensum superfluitatis et satietatis, ex nuda *synonymia* aut *expolitione* interdum oriundae. Exemplo hi possunt esse versus: Kufa ne kaidi faneli, Puhui tähtsin puolettana? Item: Tuli aisa armotoinen, Päivä isofti ikävä, Hetki aiwan ahdistawa. Indicavimus etiam § praeced. VI, (cfr. quoque de his omnibus verba *Juslenii* supra p. 322 allata), repetitionem istam nonnunquam per *μερισμὸν* institui, et varietatis jucunditate et propria virtute gratiam carmini adferentem; qui cum *synonymia* et *exergasia*, vel quoad singula vel quoad potiora saltem sua membra, rursus saepe conjungitur. Exempla utriusque generis in his versibus habentur: Oli ucko uskon wuoxi, Wahwa wuori toiwon wuoxi, Awujen asuma sia, et Kaidi käppi karwalleni, Muistuhuisa mieleheni; Silmät hylä hynneleitä, Wuotawat mesjä paljon; Rielt käppi kambelaxi Kurdu luiwaxi tulepi. Iteramus autem hic quod jam supra p. 326 sq. monuimus, modum tamen esse observandum in dilatanda, hac via, oratione, ne excrescat nimium. Per nudam *synonymiam* aut *exergasiam* facta repetitio ejusdem sententiae, ultra quatuor membra raro in versibus nostris extendi potest, qualis in his cernitur: Hänen tunsit tundewaxi, Takasimat taitawaxi, Äkäiset ählyksixi, Näit nähden wiisahaxi, quamquam crescere hic etiam simul orationem, statui potest. Cum caeteris quoque juncta figuris quam diu continuari repetitio debeat, judicio poëtae pro re nata terminandum est; cui providendum diligenter ne languere incipiat oratio, cum eam nimis augere voluerit. Applicari huc commode potest quod de tumido dicendi genere pulcherrime pro more suo monet *Longinus*: *qui granditatem orationis sectantur, timentes humilitatis et ariditatis reprehensionem, nescio quomodo in hoc vitium abripiuntur; magnitudine peccare,*



*nobilem esse culpam persuasi. Mali autem tumores, et in corporibus et in verbis, fungosi sunt et morbidi, atque aliquando cedunt nobis in contrarium: Neminem enim dicunt hydropico esse aridiorem* <sup>1)</sup>. Naturali quasi huic et ordinario carminum nostrorum ornatui, variae jam accedunt aliae orationis virtutes atque schemata, cum tanquam gemmis eam distinguentia, tum vim atque lacertos illi communicantia, ceu ex allatis hactenus exemplis, et infra adhuc adducendis, videre licet. Atque etiam hic nonnulla egregia loca adponam, quorum vim et venustatem, lectori intelligenti facile obviam, opus mihi non est singillatim explicare: uti neque latine reddere eadem, operae pretium existimavi; quam nec linguae periti desiderant, et qua sermonis nostri ignari, tamen perfecte ad elegantiam carminum nostrorum sentiendam adjuvari nequeunt. Sed en ipsa exempla. Animi angorem quo in horto Gethsemani sanctissimus Servator conflictabatur, vatum nostrorum unus <sup>2)</sup> ita describit:

|                          |                           |
|--------------------------|---------------------------|
| Annettu hlön Sfälbä,     | Wierhwät wesiþisarar,     |
| Wihan alla wiskattuna,   | Wierhwät weren näkföisnä. |
| Rowan kuoleman käsisä,   | Pesepi pahimman nurmen,   |
| Häijyn helwetin kidasä,  | Tofa kauwan kastettuna    |
| Teki thötä thölähindä;   | Wirhixi weren wioilla. x. |
| Hiki tiuckui hartioista, |                           |

Idem <sup>3)</sup> cruciatus infernales hac ratione depingit:

|                         |                            |
|-------------------------|----------------------------|
| Sauwu lähtepi sasia,    | Waiwapi wilu wäkewä,       |
| Paþat kulkewat kipinät; | Nälkä tusttan nähyttänepi, |
| Þistawät madot purewat, | Tano julma nänhyttäpi,     |
| Ripu suuri kärmehistä;  | Þaxu peljättä pimiä,       |

1) *Οι μεγάτους ἐπιέμενοι, φευγοντες ασθενείας και ξηροτητος καταγνωσιν, ουκ οιδ ὅπως επι τούτ ὑποφέρονται, πειθόμενοι τῷ μεγάλῳ απολισθάινειν ὁμως ευγενες ἀμάοτητα. Κακοὶ δε ὄγκοι, και επι σωμάτων και λογων, οἱ χαῦνοι και αναλθεῖς, και μήποτε περιόσαντες ἡμᾶς εις τουναντιον: ουδὲν γαρ, φασί, ξηρότερον ὑδρωπικοῦ. In aureo περι ὑψους libello cap. 2.*

2) SALAMNIUS Στο-Ἐαυῦ x. cap. VIII. 3) l. c. claus.

Ajat kaikki kauhistapi  
 Huuto hengien pahoen.  
 Wee on ehtona edessä,  
 Namu wirtenä walitus,  
 Parku päällä puolen päivän.  
 Waan mit' ehtota kysymme,  
 Puoli päivästä puhumme,  
 Kus' ei kuuta, auringota?

Yö edes' alinomainen,  
 Puuttumat pimeys päällä:  
 Seinät tehtynä surusta,  
 Kauhistus katon edestä;  
 Kuoka ruostimus rumien,  
 Suoma järwestä pahasta  
 Tuodahan tuli kiwinen,  
 Viekin kansa läichyväinen &c.

Alius <sup>4)</sup> Regem *Carolus XII* apud Turcas morantem, ut ad populum suum tuendum redeat, nomine incolarum oppressae ab hostibus Fenniae, his verbis obtestatur:

Kusas kuulbelit hymäinen,  
 Kusas wirjä wijwyttelit?  
 Kuilla oudoilla ohjilla,  
 Kuilla mailla, mandereilla?  
 Mikä thönnä, mikä syhynnä,  
 Mitkä estehet edessä?  
 Herra wäellen wihainen,  
 Joka suuttui Suomen maalle,  
 Teki eron perehesen,  
 Otta pään, jätti perehen,  
 Otta oudoillen omiltas,  
 Yhessä länneestä itähän.

Kuin sa tulet, etsä tunne  
 Paikojä oikia omises,  
 Eikä maita manderehes.  
 Tule kullainen kotihin,  
 Tuopas rauha tullesanji,  
 Armas armoa isända!  
 Wieras waldana talosa,  
 Wäkiwallanen Wenäjä,  
 Wieras Wenäjä werinen &c.

= = = =  
 Tule kullainen kotihin,  
 Ehdä waiwaiusten etehen,  
 Nouse apuhun nojori &c.

Alius <sup>5)</sup> in carmine gratulatorio ad regem *Fridericum* sceptra regni capessentem, ita canit:

Sota suuri sammukohon,  
 Pahat päivät paetkohon,  
 Rauwetkohon raju ilmat,  
 Muuttukohon murhen mustat,  
 Surkeudet sijrthköhön!  
 = = = =  
 Wahwist' woimall' waldifansa,

Hurstaudell' huonehensa,  
 Kruununs kaunist kunnialla,  
 Sstuiemens onnen ofalla,  
 Mieskans' myöskin miehudella,  
 Awaimensa awaralla  
 Tarmittewill' tawaralla &c.

<sup>4)</sup> B. *Barthold*. VHAEL, Praep. et Past. quondam in *Ilmoila* Ostrob., laudatus a nobis antea Grammaticae Fennicae auctor.

<sup>5)</sup> B. *Zach*. LITHOVIUS, Vide § IV not. <sup>5)</sup>.

Alius <sup>6)</sup> doloris vehementiam his versibus (quorum priores jam supra p. 328 adduximus), ob oculos ponit:

|                         |                           |
|-------------------------|---------------------------|
| Silloin filmiä sitowat, | Muret mielä muuttelapi,   |
| Rijnni kulmia kuowat    | Wiwoa ajatuttapi;         |
| Rhšittäin khynelehet,   | Syrjä särkypi sydännen,   |
| Wesipisarat wetäwät;    | Werta wuotapi werinen &c. |

Alius <sup>7)</sup> infaustam improborum mortem his verbis exprimit:

|                           |                          |
|---------------------------|--------------------------|
| Silloin pelko piirittäpi, | Edes ilman estehetä,     |
| Hämmästyš hätähttäpi,     | Dman tunnon turmelewat;  |
| Synnit syngiät tulewat    | Kuolema käyxi käyppi &c. |

Alius <sup>8)</sup> potentiam et sapientiam summi Creatoris, in operibus ejus conspicuam, egregie hunc in modum celebrat:

|                             |                              |
|-----------------------------|------------------------------|
| Soll' on meret määrättnä,   | Painelepi, ponnistapi:       |
| Merens pisarat pitwosa:     | Hänen waltansa wakawa        |
| Soka weti waaxallansa       | Pitelepi pilwet kaicki,      |
| Mitan tarhan taiwahalle,    | Hattaroita hallitjepi,       |
| Pani mitan, pani määrän,    | Häll' on tuttu tuulen synty  |
| Painon niinkuin pundarilla, | Pohjasesen pisimmät pohjat,  |
| Pani solmut ja sitehet,     | Sillä nosti nousemahan       |
| Tarhan tästehin etehen,     | Merens lainehet lawian,      |
| Soka juogun jouduttawat,    | Soilla laiwat lentelawat &c. |
| Toinen toista painelepi,    |                              |

Alius <sup>9)</sup> in carmine gratulatorio, Regiae Celsitudini Prin-

<sup>6)</sup> *Henr. BONG* Sacellanus quondam Ostrobotniensis.

<sup>7)</sup> *Pl. Rev. atque Praecl. D. Is. LITHOVIUS*, Past. in *Lapo Ostrob.*

<sup>8)</sup> *Pl. Red. atque Praecl. D. Mag. Joh. FROSTERUS*, Past. in *Sotkamo Ostrobotniae.*

<sup>9)</sup> *Gabr. Calamnius* filius, *Phil. Mag. et V. D. M. Ostrobotniensis.* Caeterum de ipsis carminibus, unde haec exempla sumsimus, infra mentionem faciemus, cum brevem praecipuarum Runarum nostrarum, imprimis quae typis prodierunt, auctorumque qui in hoc genere elaborarunt, indiculum dabimus. Qui ut plenior exactiorque evadat, Honoratissimos Populares qui hujusmodi carmina possident, officiose rogamus, ut eorum nobis copiam facere, notitiamve saltim tradere, benigne velint. Plurima enim adhuc esse, quae ad cognitionem meam non pervenerunt, haud dubito.



cipi Successori *Gustavo* dicato, primam Ejus aetatem, virilis maturitatis splendorem annunciantem, lucifero comparsans, ita inter alia fatur:

|                            |                          |
|----------------------------|--------------------------|
| Mäin se alkapi aluša,      | Päivä pääsepi pesästä,   |
| Mäin se ruumis ruskottapi, | Tosta valkian valonša    |
| Että wihdoin wirkuapi      | Ilmoittapi ihmifille &c. |

Qui etiam se ipsum ad laetitiam ex redeunte fulgentissimi Principis fausto die natali perceptam, alacriter explicandam suscitans, haec fundit verba:

|                          |                             |
|--------------------------|-----------------------------|
| Nyt siis wirteni wirene, | Nöyryhesä nöyrimmästä,      |
| Kaifu minun kandeleni!   | Sywin Herralle helise,      |
| Mammaiseša majaša,       | Soita sydämmen sydästä! &c. |

Vel latius haec loca adducere, vel ex aliis quoque praestantibus vatum nostrorum carminibus, plura adjicere exempla, pagellarum angustia in praesenti vetat; aliqua tamen in sequentibus adhuc adferemus, et ingenium poetarum et praestantiam carminum nostrorum pulchre commonstrantia. In universum de Runis nostris notamus, plures nos habere in forti, gravi et magnifico genere probatas pulchrasque, quam in amoeno laetoque, cujus quidem rei rationem, vel leviter conditionem gentis perpendenti, cernere facile est. Ipsa autem carminis nostri indoles, etiam huic generi nequaquam inimica est; cujus aliqua quoque exempla infra occurrent. Genius ipsius linguae Fennicae, copiosa vocum ponderosissimarum et elegantissimarum varietate superbientis, egregie vatum favet industriae. Divitias enim ejus probe possidenti, difficile non est et verba eligere metro aptissima, et pro lubitu sententias variare, si ingenio praeterea ornatus est foecundo et generoso; qui labor in verborum et phrasium inopia foret multo molestissimus, et singularum sententiarum constanter repetendarum lege, nisi copiis ipsius sermonis affluentibus poetarum conatus sublevarentur, nullum illis imponi potuisset jugum inclementius. Ad hanc opulentiam linguae nostrae generandam, non parum confert Dialectorum insignis varietas; quarum nulla omnino sordida habetur, aut ita vitiosa et

inquinata (excepta illa, de qua supra diximus, nimia verborum mutilandorum licentia), ut ea, tam in prosa quam ligata oratione, libere uti non permittatur. Quin misceri etiam inter se et in eodem versu plures adhiberi, sine ulla offensa possunt. Magna scilicet nobis hac in re cum Graecis intercedit similitudo; cf. *Orat. Reverendiss. Juslenii De Conv. Linguae Fenn. cum Hebraea et Graeca*, supra citatam, ejusque in primis pag. 167. Quamquam negari tamen non potest, aliam dialectum alia esse pulchriorem; quod autem adeo late extendendum non est, quasi saepe, quae ceteroqui minus sit elegans, verba aliqua suppeditare elegantissima non queat. Quibus de caetero quaeque dialectus prae reliquis gaudeat praerogativis, aut quaenam aliis maxime praeferri debeat, explicare, nimis ab instituto nostro alienum, nimisque longae et difficilis foret disquisitionis opus. Praebent autem variae istae dialecti, non solum diversarum plane vocum, in primisque synonymicarum, insignem multitudinem, sed etiam verborum, ab omnibus receptorum et usu communium, diversas flexiones et conformationes, ut ex iis quae praecedenti § diximus, intelligi potest; quin etiam totas phrases et loquendi rationes varias, et singulis peculiare, exhibent. De quibus omnibus optima et aptissima seligere, suumque in usum convertere, poëtarum est curae atque industriae permissum. Pulchritudinem vero et *ἔμφασιν*, svavitatem non minus quam virtutem, carminibus nostris conciliare, in primis valent multae illae voces diminutivae, verba frequentativa, inchoativa etc., auctae et exquisitae significationis, quibus lingua nostra abundat, quibusque poëtae frequentissime merito utuntur. Mos cum Hebraeis nobis communis, per quatuor illas conjugationum formas, aut plurimas saltem illarum (quibus apud nos aliae saepe adhuc accedunt ex his rursus exsurgentes <sup>10</sup>), verba

<sup>10</sup>) V. g. a. Juotan (quod formatur in hiphil a Juon) oritur juottelen, frequentativum et diminutivum simul, et a. juowun (in hitphaël) juowutan quasi novum hiphil; quibus sua respondent passiva. Sic a juoren est juorendelen et juoxttelen, praeter ordinariam formam piel et hiphil; etc.

flectendi, quantum solus hac in re praestet, nemini ignotum esse potest, qui vel parum indolem sermonis nostri perspexerit. Unico verbo nos significantissime exprimimus, quod per languidam et imperfectam περιφρασίω alii efferunt; et si diligentius illam verborum nostrorum quoad sensum suum variam et singularem indolem, quam paucissimis indicat *Vhaelius* Gram. Fenn. Sect. II Cap. III § 2, persequi instituti nos ratio non prohiberet, linguae nostrae praestantiam, et ad res graviter, vivide et jucunde exprimendas, optimam naturam, ob oculos clarissime poneremus. Quærentur Galli suam linguam ad latinorum voces frequentativas et diminutivas reddendas esse ineptam (cfr. *Rollin* maniere d'enseigner et d'étudier les Belles Lettres. T. I Liv. I ch. I § III) qua in parte, praesertim quoad *verba*, plurimarum reliquarum nationum Europaearum non multo melior est sors. At quantum nostra lingua ea re etiam Latinae praestat! Horum autem verborum magna pars, quatuor constat syllabis, adeoque etiam metro nostro pulcherrime convenit<sup>11)</sup>. Pronomina praeterea, affixa tam verbis quam nominibus, non parum quoque augent orationis nostrae ἐνέργειαν, et voces plerumque versibus reddunt egregie adaptatas. *Casuum* insignis varietas, qua nostra, prae caeteris, lingua splendet, et quae liberam illam ab ingenti ista et incommoda reddit articulorum turba, quae hodiernarum reliquarum plerumque trahit gentium orationem, multum etiam carminibus nostris prodest. Praeter vim enim et accuratam claritatem, quam dictioni addunt, liberiores etiam vocum, sine ullo perspicuitatis dispendio transpositionem permittunt, poetis ad metro satisfaciendum saepe perquam utilem; sicut ex supra dictis facile intelligitur. Haec omnia plenius et adjectis exemplis illustrare atque confirmare, brevitas ratio nos vetat. Ex illis autem quae jam disputavimus, abunde liquet, eos qui Runis pangendis laudabilem

<sup>11)</sup> Nempe illa quae formantur ex vocibus trisyllabicis; quae autem ex bisyllabicis oriuntur, *trisyllabica* sunt. Unde rursus patet, quam insigni parte elegantiarum suarum lingua nostra, illis damnatis mulctaretur. cf. § III p. 316.



impendere volunt curam, laborisque sui successu frustrari nolunt, linguae nostrae in potestate habere divitias ante omnia debere; sine quarum vasta et accurata cognitione, usu multo et diligentia comparatam, inanem omnino ludent operam.

## § IX.

Hujusmodi autem carmina, non eruditiores solum populares, qui literarum commercio ingenia excoluerunt, amant atque factitant, sed latius omnino harum deliciarum gustus per nationem nostram diffunditur, Rusticis etiam nostris vel praecipuo studio eas complectentibus, quamvis a literarum ope nudis, quarum videlicet aetatem haec ars apud gentem nostram longe superat. Quin ex horum carminibus optimis maximeque probatis, utpote qui peregrinae artis imitatione et admistione nativam poëseos nostrae indolem non immutant et corrumpunt, vera et prisca ejus ratio, tanquam ex limpido et incorrupto fonte haurienda et inprimis dijudicanda est. Agrestes enim hi musarum amici, qualia a majoribus suis acceperunt carmina praecipue amant, magni faciunt, libenter audiunt, discunt, cantitant, atque ipsi etiam pangere, solo adjuti mentis impetu et ingenii mira quadam fecunditate, norunt. Neque foeminae etiam hujus facultatis plane sunt expertes, sed quaedam earum, virorum studio laudique socias se adjungunt. Savonum vero, Careliorum, et eorum qui a mari remotius habitant Ostrobotniensium (Cajaneburgensis maxime ditionis incolarum, qui Savonicae originis sunt) propria inprimis haec laus est, apud quos patrii moris diligentior custodia mansit; quamvis et inter hos languere jam pulcherrimum studium passim incipiat, ita ut metuendum sit ne tandem cesset penitus. Apud reliquos plane interiit, maritimos praesertim, quos Svecorum mutavit vicinia, adeo quidem, ut inter hos pauci qui Runas recitare et intelligere, paucissimi qui ipsi componere valeant, supersint. Neque negari potest, inconsulto quorundam sacerdotum zelo magnam hujus cladis partem esse adscribendam, qui cum a superstitiosis Runas suis adhiberi

incantationibus viderent, usum ab abusu discernere nescientes, toti arti infamiam conflarunt. In laudatis vero supra provinciis, quamvis adeo hoc studium commune plerumque sit, ut nemo facile, aetate quidem provecior, occasione data carmen aliquando pangere non audeat, cum tamen non omnes aequae fertili ac excellenti nascantur ingenio, neque eandem huic arti industriam impendant, qui utraque re praestant, atque igitur palmam reliquis facile praeripiunt, prae caeteris etiam honorantur magnique fiunt, et Poëtarum ornantur nomine, Runo-niefat dicti, quasi *Runarum periti et artifices*<sup>1)</sup>. Hi de quovis argumento, quod quidem ad illorum captum sit accommodatum, et plerumque ex tempore, haud infelicia effundunt carmina, ferventiori impetu et poëtico quodam enthusiasmo acti; cujus quidem rei non semel cum admiratione testis fui<sup>2)</sup>. Prooemia

1) Itaque in Epicedio, memoriae fratris sui *Matthiae Remes*, Rustici *Idensalmensis*, a Rustico itidem ejusdem paroeciae *Paulo Remes* dicato, quod et Aboae typis expressum fuit (a. 1765, 4:o), hujusmodi verbis poëtica illius laus celebratur:

Waidka waipui kuolemaſa,  
 Meni mustahan majahan,  
 Se Mathias mainittawa,  
 Remes Remeyen kylästä;  
 Niin on kuiteng' kuuluisana  
 Nimi niidengin seäſä,  
 Joiden ei joukosa asunut,  
 Tähdän rakasten runojen,  
 Tähdän mielä wirttenſäffin,  
 Joita teki taitawaſti,  
 Warſin ſomaſti ſowitti.

Quamquam fessus occubuit morte,  
 Abiit in nigrum domicilium,  
*Matthias* ille celebrandus  
*Remes* e *Remesensi* pago;  
 Tamen est inclitum  
 Nomen ejus eorum quoque in medio  
 Quorum in coetu non habitaverat,  
 Causa amabilium Runarum,  
 Causaque cantilenarum suarum,  
 Quas fecit scienter,  
 Plane affabre contextuit.

2) Poëticam facultatem, literarum etiam auxilio destitutam, haud spernendum posse fastigium attingere, non unius nationis docet exemplum; stupenda inprimis veteris Poëseos *Scoticae* specimina in lucem protulit haud ita pridem *MACPHERSONIUS*, quae ab ipso esse cuncta efficta, ut nonnullis visum, durum fuerit pronuciare. Extemporanea autem facultas quousque evehi queat, vel illi Itolorum poëtae, qui *Improvisanti* apud suos dicuntur, exemplo suo docent. Cfr. praeter alios, *Litt. Cel. BJÖRNSTÅHL*, *Sammlaren III del. St. 46 pag. 365*. Et tales vetustissimos omnium fere gentium vates fuisse probabile est; quod nec parum contulit ad inspirationis divinae fidem illis conciliandam.

interdum, haud sane inficeta, poëmatibus suis praemittere solent; quidam versus omni fere sermoni immiscent, orationesque inprimis gravioris poetico quodam habitu vestire student. Nec ipsi nesciunt se esse poëtas, sed venam sibi adscribere, ut et Gothorum olim *skaldi* et Graecorum Romanorumque vates, haud dubitant<sup>3)</sup>. Regulas quidem carminum conficiendorum distinctas non callent; sed aurium exacto judicio, usu diligenti comparato, et confusa illius quod in hac arte pulcrum est cognitione adjuti, satis tamen constanter observant. Probos versus et pulcros accuratosque a vitiosis dextre valent discernere; quin peccantes emendare quidam, si roges, non renuunt, quamvis vitia sigillatim indicare, aut praecipua boni carminis requisita enucleate explicare nesciant. Linguae suae vasta et admirabili cognitione praediti, divitiasque ejus in promptu habentes, ad licentiam putidam confugere raro opus habent: quamobrem puritate sermonis et locutionum jucunda proprietate, elegantiarumque vernaculae intelligentia, illorum inprimis se commendant carmina, ab externi cujusvis fuci affectatione, et ingrata coactione plerumque immunia, facillimeque fluentia; inania verba non saepe inculcant, sensus rarius hiat. Maxime admirandum est, quod cum longiora saepe carmina composuerunt, scribendi licet arte destituti<sup>4)</sup>, exacte tamen eadem in memoria retineant, eaque sola cu-

<sup>3)</sup> Ita horum unus, cum aegre a se impetrari passus esset, ut arcanas quasdam et superstitiosas majorum Runas recitaret, in prooemio de se ipso cecinit:

On mulla sata sanaa,  
 Alla wyöni ansahäsa,  
 Kengahäsa reidelläni,  
 Joit' ei laulaa kaikki lapsset,  
 Eikä pojat puolekkana.

Sunt mihi centum verba,  
 Sub cingulo meo in laqueo,  
 In annulo ad femur meum \*).  
 Quae non canunt omnes pueri,  
 Neque adolescentes dimidiam partem.

\*) h. e. studiose servata, et in promptu.

<sup>4)</sup> Qui Runarum pangendarum studio inprimis delectantur, vehementer tamen scribendi arte se destitui, dolere solent; quin nonnulli, ad imitationem literarum typis expressarum, ut memoriae suae subsidium parent, literas formare proprio instituant marte.



stode inter se propagent<sup>5)</sup>. Non vero extemporaneis his semper conatibus sunt contenti, sed majorem interdum sumunt operam et diligentius emendant, donec versus sibi placuerint. Etiam aliorum nonnunquam judicio proficiunt, et plures aliquando symbolam ad carmen componendum poliendumque conferunt. Laudatam facultatem ut acquirere literarum hi rudes queant vates, praeter naturalem ingenii vim, acrem memoriam, et vernaculae egregiam cognitionem, cujus genius eximie his eorum favet conatibus, facit diligens alios audiendi studium, et plurimorum carminum copiam ediscendi industria<sup>6)</sup>, quorum ope phrasium, sententiarum, imaginum, figurarumque ingentem vim colligunt, et indoli carminis adsuescunt; quam deinde facultatem crebro usu et canendi diligentia augent<sup>7)</sup>. Interdum tamen in

<sup>5)</sup> Literarum videlicet auxilio destituti, quibus mentis cogitata queant custodienda committere, memoriae eo diligentius infigunt; cum contra, qui scribendi artem callent, *litteris confisimus memoriae student; quod fere plerisque accidit, ut praesidio literarum, diligentiam in perdiscendo ac memoriam remittant*, docte observante CAESARE *de Bello Gall.* L. VI C. XIV. De caetero notum, apud omnes gentes antiquissimas carmina non alia ratione potuisse propagari. Fuisse, qui nec HOMERUM sua litteris mandasse traderent, vel e JOSEPHO *Contra Appionem*, L. I initio liquet, cujus verba sunt: *Et ajunt neque HOMERUM litteris suum poëma reliquisse: sed cantibus memoria reservatum postea fuisse compositum.*

<sup>6)</sup> Idem tradit de Gallorum Druidis CAESAR l. c. *Magnum*, inquit, *ibi (apud Druidas) numerum versuum ediscere dicuntur (qui in disciplinam conveniunt). Itaque nonnulli annos vicenos in disciplina permanent.* Non permittit fortunae ratio nostris, ut soli huic arti tempus consecrent: itaque occasiones coguntur captare oblatas.

<sup>7)</sup> Mira saepe est copia carminum, quae memoriter callent. Qui videlicet studio ardent discendi artem, attente et diligenter magistros audiunt, nullam facile proficiendi occasionem praetermittentes, observant eos, carmina canentibus repetitoris operam praestant, et memoriae ea accurate infigunt; quin cerevisia quoque et vino adusto largiendo, interdum magistri benevolentiam captant. Plerumque igitur, antequam ad aetatem jam pervenerunt maturiorem, laudem nomenque aliquod in hac arte compa-

regulas impingere rudes hos et extemporaneos plerumque poëtas, voces aliquando et locutiones immiscere plebejas, non locuplete satis eminere inventionis varietate, easdem frequentius imagines et orationis ornamenta ex alio in aliud carmen transferre, haec inquam vitia indoctos nostros vates, neque otio necessario praeditos, nec eo quo potentium et clarissimarum gentium poëtae, fortunae blandientis quasi vento elatos, diligentissime non semper cavere, nemo credo mirabitur; adeo quidem, ut admirabile potius videri debeat, tam feliciter tamen hunc laborem iis succedere. Sane iidem defectus in doctissimarum etiam gentium vetustioribus in hoc genere conatibus et monumentis frequentissimi comparant, literarum demum ope, faventiorisque fortunae benignitate tollendi. Speciminis autem loco, quam non spernenda rudibus his nostris poëtis soleat vena contingere, versus quosdam adponemus, latine etiam, in eorum gratiam qui Fennice nesciunt, ad verbum expressos; cujusmodi tamen interpretatione nemo puto venustatem archetypi plene posse exprimi sperabit. Is ipse rusticus, cujus poëticam facultatem laudibus a fratre esse ornatam supra diximus, Threno super morte Praepositi atque Pastoris Ecclesiae Idensalmensis M. *Henrici Helsingii* a se composito, typisque expresso <sup>8)</sup>, hujusmodi praemisit prooemium:

Jos mä saifin jouten olla,  
Eli jaraifin jutella;

Si mihi liceret otioso esse,  
Aut valerem verba facere;

rare sibi vix valent. Qui magicorum s. superstitiosorum carminum arcanas discere avent formulas, superstitiosis quoque et ridiculis quibusdam caerimoniis praeterea a magistro suo his mysteriis initiantur.

<sup>8)</sup> Aboae (1757), 12:o. Non tamen vero suo et nativo habitu, sed aliquibus locis, nullo suo lucro, interpolatum, typis esse commissum audivi; et confirmant vestigia quaedam artis affectatae, a simplicitate musae rusticae alienae. Praepostera hujusmodi corrigendi diligentia non uni tali nocuit carmini; mihi quidem maculis suis adpersa placent magis, quam ita emaculata ut verus eorum color inde perierit: quare rusticorum vatum cantica corrigendi diligentiam vehementer literatis popularibus dissuadeo, in sua carmina hanc iis severitatem etiam atque etiam commendans.

Selittäisin Suomen kielen  
 Wähäisen walitus laulun,  
 Jonga olen äsken kuullut  
 Miehen kuullun kuolemasta,  
 Edeksenneen erosta:  
 Mut' on mulla mustat päiwät,  
 Warfin waikia elämä,  
 Muutoin vielä tylsä muisio,  
 Siihen kielen käännö leho,  
 Sekä pehmä puhen parsi;

Sill' en saanut opiä olla,

Käydä koulun kumpanina.

Tol' on laulu laulettawa  
 Kuollut kowin laiwattawa.

Exponerem Fennico idiomate  
 Brevem threnum,  
 Quem modo audiui<sup>9)</sup>,  
 Super celebris viri morte,  
 Praeteriti (defuncti) discessu:  
 Sed sunt mihi atri dies<sup>10)</sup>,  
 Valde molesta vita,  
 Alioquin etiam hebes memoria,  
 Praeterea linguae volubilitas debilis,  
 Nec non mollis (languida) sermonis  
 facultas;  
 Namque non licuit mihi disciplina ex-  
 coli,  
 Neque frequentare scholam cum so-  
 dalibus,  
 Tamen est cantilena canenda,  
 Mortuus acerbè lugendus.

Ipsius autem carminis tale principium est:

Mieleni minun tekopi,  
 Ajuni ajattelepi,  
 Waikka suurella surulla,  
 Runeta Runon telohon,  
 Vielä wirttä weisamahan,  
 Jonga murhe muistuttapi,  
 Saattapi sanoma uusi,  
 Koska kuulen korwistani  
 Sanomata surkiata,  
 Ett' on kuollut kuulu Herrä,

Waipunut se mies walittu,  
**Jnsalmen** iso Prowasti,  
 Juuri julkinen Prowasti,  
 Joka joutui taamaksi,  
 Edemmeri ennätteli,  
 Meidän päämme paimenemme,  
 Dikia opin isämme,

Animus fert mihi,  
 Mens mea constituit,  
 Quamvis magno dolore,  
 Aggredi Runae (pangendae) opus,  
 Adhuc carmen canere,  
 Quod luctus memoriae suggerit,  
 Parit rumor novus (inopinatus),  
 Quum audiam auribus meis  
 Rumorem luctuosum,  
 Mortuum esse clarum Dominum (vi-  
 rum),  
 Fessum defecisse lectum illum virum,  
 Idensalmensium eximium Praepositum  
 Plane insignem Praepositum,  
 Qui delatus est a nobis procul  
 In dissitam terram properavit<sup>11)</sup>,  
 Noster principalis pastor,  
 Verus noster doctrinae pater (doctor),

<sup>9)</sup> Fingit se carmen canere non a se compositum, sed auditum modo, et sibi quasi inspiratum. Non infrequentia sunt hujus moris in Runarum proemiis vestigia. *Sit mihi fas audita loqui*, ad eandem rationem VIRGILIUS *Aeneid. L. VI v. 266.*

<sup>10)</sup> i. e. morbo intabesco.

<sup>11)</sup> Mortuus fuit Stockholmae, in itinere constitutus.



Koko kuulu kunniasa,  
 Koko korkia opisa,  
 Kuulu tiedon kuffulalla,  
 Kuulu kunnian kodisa,  
 Oli muiden hymmättävä,  
 Paras Pappein parisa,  
 Kiitettävä Kirkon töisä,  
 Menoisan sa merkkillinen,  
 Sangen selvä saarnasansa.

Kuin se sattui saarna töihin,

Ei se puuttunut puheita,  
 Aflaita arvaellut;  
 Sanat sen satoja maroit,

Toimi toista enemmän:  
 Bertauret verrattomat,  
 Muistomerkit muistettavat.

Aina uutta, aina uutta,  
 Parasta pani eteen.

Sillä syystä Seurakunnan  
 Murehtipi monda miestä,  
 Walittapi waimo kansa,  
 Lapset laulawat surussa;  
 Itke kylä kylitellen,  
 Itke äänellä isolla,  
 Koska kuuluu kuolleeri,  
 Sättäneeri jää hywästi etc.

Plane celebris gloria,  
 Prorsus sublimis doctrina,  
 Celebris in scientiae colle,  
 Celebris in honoris domicilliis,  
 Supra alios intelligens,  
 Optimus in Sacerdotum coetu,  
 Laudabilis in ecclesiasticis laboribus,  
 In moribus suis egregius,  
 Admodum dilucidus in concionibus  
 suis.

Cum ille aggredereetur concionandi o-  
 pus,

Non illi deficiebat sermo,  
 Non res conjectando persecutus est;  
 Verba ejus centenis (numis) contra  
 cara erant,

Prudentia (ejus) alia omnia superabat,  
 Comparationes incomparabiles,  
 Memoriae commendata (dicta) memo-  
 ria (erant) digna.

Semper nova, semper nova,  
 Optima protulit in medium.

Eam ob caussam Ecclesiae  
 Dolent multi viri,  
 Luget foeminarum coetus,  
 Pueri dolorem cantu proferunt;  
 Plorat (ecclesia) satis ad abundantiam,  
 Plorat voce magna,  
 Quando eum audit obiisse,  
 Dixisse supremum vale.

### Finem carmini his imponit versibus:

Idensalmi itkelläön,  
 Katterasti kaimatkoon,  
 Opia isä oikata,  
 Prowastia mainittavaa!  
 Halaitkoon juur' hartaasti,  
 Rukoilukoon rat' ahkerasti,  
 Että Herra herättäisi,  
 Sen siaan sowitzaisi,  
 Joka olisi oivallinen,  
 Diwallinen ja omainen!  
 Kannosi' wesan kaswattaisi,

Idensalmi lacrymas profundat,  
 Acerbe desideret,  
 Doctrinae partem verum,  
 Praepositum celebrandum!  
 Optet plane animitus,  
 Precibus efflagitet diligentissime,  
 Ut Dominus suscitet,  
 In ejus locum aptet,  
 Eum qui sit idoneus,  
 Idoneus et sanguine cognatus!  
 E trunco surculum educet,

Wanhan juuren wahwistaisi!  
Lasten lapset lausukoon,

Mahhollisest' muistakoon,  
**S**densalmen ylistystä,  
**H**enriki Helsingiusta!

Veterem radicem confirmet!  
Liberorum liberi (sera posteritas) ce-  
lebrent,

Digne memoria prosequantur,  
*Idensalmensium decus,*  
*Henricum Helsingium!*

Aliud exemplum nobis praebebit Epicedium fraternae memoriae dictum, cujus supra jam meminimus (not. <sup>1</sup>), hujusmodi initium habens:

Ah! ah! armotoin isändä!  
Niwan tuima tuonen woima!  
Boit niit' kouria kowia,  
Kuolon kowan lämmentä!  
Jotka murtawat murugi,  
Lyöwät maahan marhahazi,  
Ihmisetkin ilman alla,  
Sekä nuoren että wanhat:  
Olimmäiset, alemmäiset,  
Kaikki kaatuvat käsiä.

Syndinen waimon sifiä,  
Syndy synniä, suruhun;  
Wähäisen ajan eläpi,  
Lewotoinna lendelepi;  
Täynnä ristin tähläpäitä,  
Täynnä huolda, huokausa.  
Niinkuin kulkainen katopi,  
Kaswamasta kuiwettupi,  
Paikastansa pakenepi,  
Niinkuin warjo waeldapi.  
Mutta waikka wanha liitto  
Wielä pystyää pystypi;  
Waikka kalma kaatelepi,

Ruumihita rundelepi;  
Waikka warji mätänepi,  
Ruumis raukepi tomugi:

Heu! heu! immitem dominum!  
Admodum ferocem libitinae vim!  
Eheu pgnos duros,  
Mortis duras manus!  
Quae diffringunt in frustula,  
In terram disjiciunt fragilis instar  
Hominesque sub sole, (pulveris  
Cum juvenes, tum senes:  
Summi, infimi,  
Omnes ruunt inter manus ejus.

Peccato infecta mulieris progenies,  
Nascitur in peccato, ad dolorem;  
Breviculo tempore vivit,  
Irrequieta volitat;  
Plena crucis spicarum <sup>12</sup>),  
Plena curae, gemitus.  
Sicut flosculus perit,  
Inter crescendum exarescit,  
E loco suo fugit,  
Sicut umbra abit <sup>13</sup>),  
Sed licet vetus foedus  
Usque nunc validum maneat;  
Licet foetor (vis destruens) mortis  
deturbet,

Corpora contundat;  
Licet machina (corporis) putrescat,  
Corpus dissolvatur in pulverem:

<sup>12</sup>) Id est multiplicibus aerumnis atque miseriis plena, cui arga *mensis* calamitatum obtigit. Alluditur praeterea ad vocem *Schibboleth*, *Judic. C. XII. v. 6.*

<sup>13</sup>) Paraphrasis verborum *Jobi C. XIV. v. 1.*

Ruiteng' ihe kuolemaşa  
 Säilywät fiwiät miehet,  
 Eläwät eronš' perästä,  
 Kautta armon korkeimman.  
 Hurjasten hymä sanoma  
 Muilla muistoşa pysyşi.  
 Ei se kuole kuolemaşa,  
 Ei se mustari mätäne;  
 Waan se kauwan kukoistapi,  
 Wiherjäisnä wihoittapi <sup>14)</sup>.

Tamen in ipsa morte  
 Perstant mites viri,  
 Vivunt post discessum suum,  
 Auxilio gratiae supremae.  
 Justorum bona fama  
 Aliorum memoria custoditur.  
 Non illa moritur in morte,  
 Non in atram speciem corrumpitur;  
 Sed diu florescit,  
 Viridis germinat.

Inter ceteras deinde laudes, has poëta defuncto fratri tribuit:

Oli miesi merkillinen,  
 Talonpoika taitawainen,  
 Joka wagasti waelfi,  
 Aina kulki kunnialla;

Oli ukko uskon wuori,

Wahwa wuori toiwon wuori,  
 Amujen asumasia,  
 Kaiken kansan kiitettävä.  
 Kaunis kansakäymiseşa,  
 Olimmäisten, alemmaisten.  
 Miehen toimi, miehen mieli,  
 Miehen järki, miehen fieli.

Erat vir memorandus,  
 Rusticus intelligens,  
 Qui integre ambulavit (vitam egit),  
 Semper iter suum (vitae) egit hono-  
 rabiliter;

Erat senex (firmus, ut vir maturae  
 aetatis) fidei nomine,

Firmus mons spei nomine,  
 Virtutum habitaculum,  
 Omni populo laudabilis.  
 Jucundus in conversatione  
 Summorum, infimorum.  
 Viri dexteritas, viri animus,  
 Viri intellectus, viri lingua.

Russorum tangens hostilem vim, cui se subtracturus frater suus, adhucdum puer, cum parentibus vastas silvas pererrare cogebatur, ita canit:

Ei ollut iso ijäldä,  
 Wahwa warren kaswannolša;

Piti olla piiloisalla,

Wainon aikana pahana,  
 Meşän korweşa kowaşa,  
 Sitten, peurain seaşa;  
 Wiele nälkä wieraşina,  
 Karhut kantaş kumpanina.

Non erat grandis aetate,  
 Firmus structurae (corporis) incre-  
 mento;

Coactus (tamen) jam fuit commorari  
 in latebris,

Persecutionis (belli) tempore diro,  
 In silvae deserto horrido,  
 Luporum, cervorum in medio;  
 Accedebat fames hospes,  
 Ursi contubernales.

<sup>14)</sup> Paraphrasis *Proverb.* C. X. v. 7.



Myhä ryssäpi kotona,  
 Joukko julma kartanolla:  
 Vielä mehäpä meluist,  
 Sota-sangarit saloşa.  
 Jotka käändyiwät läsihin,  
 Niitä poltti, niitä paistoi.  
 Monda muita murha töitä  
 Teti tämä tuima wieras.  
 Kengä kerkisi sanoa?  
 Kuka kailki kirjoitella?  
 Kailki käypi karwalleni  
 Muistuhuisa mieleheni;  
 Silmät kyllä khyneleitä  
 Wuotawat wesiä paljon,  
 Kieli käypi kambelari,  
 Kurkku kuitwari tulepi.

Russus tumultuatur domi,  
 Turba crudelis in praedio:  
 Etiam in silva belligerabant,  
 Milites seroces in saltu profundo.  
 Qui incidabant in manus suas,  
 Illos cremavit, illos assavit.  
 Multa alia cruenta facinora  
 Fecit hic dirus hospes.  
 Cui vacat dicere?  
 Cui omnia perscribere?  
 Tota acerbo dolore commovetur  
 In memoriam revocans, mens mea;  
 Oculi abunde lacrimas,  
 Fundunt aquam largiter,  
 Lingua evadit torpida  
 Fauces aridae fiunt.

### Mortem ejus hujuscemodi enarrat verbis:

Käwi kästy taiwahasta,  
 Kaiken luondon kandaajasta:

Exivit mandatum de coelo,  
 A totius naturae portatore (conser-  
 vatore):

Tule tänne tuttavani,  
 Astu armas ystäväni  
 Astu Amanan tyköä,  
 Muuta murhesta majasi;  
 Kyll' on jo osasi ollut,  
 Kyll' on ollut khyneleitä,  
 Walitusta, waiwotusta.  
 Nyt on päällä pääsin päivä,  
 Pääsö päätwistä pahoišta;  
 Rauha riendäpi tygösi,  
 Waiwoista wapaus suuri.  
 Näimbä läyi luoye Luojan,  
 Kulki pojes kunniahän,  
 Kienfi riemuhun jalohon,  
 Wapautehen waelsi,  
 Elämästä surkiasta,  
 Näistä mailman majoišta.

Veni huc familiaris mi,  
 Accede care amice,  
 Accede ab Amanae colle <sup>15)</sup>,  
 Transfer procul a dolore sedem tuam;  
 Satis jam tibi obtigit,  
 Satis fuit lacrimarum,  
 Querelarum, afflictionum <sup>16)</sup>.  
 Nunc instat liberationis dies,  
 Ereptio e diebus malis;  
 Pax festinat ad te,  
 Ex aerumnis libertas insignis.  
 Ita profectus est ad Creatorem,  
 Abiit in gloriam,  
 Festinavit ad gaudium eximium,  
 Ad libertatem commeavit,  
 E vita luctuosa,  
 Ex his terrenis habitaculis.

Sed jam satis adductum est exemplorum. Loca longiora exscripsimus, ut de facultate poetica horum vatum

<sup>15)</sup> *Cant. Cantico.* C. IV. v. 8.

<sup>16)</sup> Morbo enim diuturno fuerat conflictatus.

lectoribus plenius tutiusque existimare liceret. Typis vulgata in hunc usum praetulimus, ut notiora, et quae plurimum versantur manibus. Posterius carmen, ab auctore ipso, nisi memoria me fallit, literis exaratum (cfr. supra not. <sup>4</sup>), etiam libentius, quod aut nullam aut parcissimam subiisse correctionem scirem; ejus simul exemplo constat, aliis licet literis non adjutos, ex S. tamen Scripturae diligenti lectione multum auxilii hos vates nostros, in gravioribus quidem argumentis tractandis, habere.

### § X

Caeterum variae occasiones variaque argumenta poëticam hanc gentis industriam exercent. Eventus casusque celebrant memorabiles, sua aut civium ornant egregia facta, publicam felicitatem aut calamitatem depingunt, amicorum deplorant mortem, hilaritatem in conviviis adjuvant <sup>1)</sup>, turpia facta exagitant, in inimicos invehuntur, etc.; neque ulla facile se offert notabilior canendi opportunitas, quae non alicujus vatis suscitaret musam. Itaque satis magnum carminum proventum annus quisque affert; quorum pauca tamen aut extra paroeciam auctoris natalem propagantur, aut diu supersunt, aetatemque inprimis poëtae coaevorumque illi hominum superant, novis subinde vetera trudentibus, nisi interim literati alicujus calamo excepta, aut omnino, quod rarius contingit, typis fuerint commissa. Excipimus ea, quae memorabuntur infra, quibus majorum opinio, vel etiam superstitione, pretium addidit. Historica carmina, cum Gothorum etc. monumentis comparanda, vetustas gentis res ex instituto celebrantia, hodie nulla amplius supersunt; mihi sane, diligentissime conquirenti, nulla reperta sunt Reformationis seculo anteriora <sup>2)</sup>: qualia, an illius etiam auctoris

<sup>1)</sup> Itaque proverbio dicitur: *Yöllä päimä jattetaan, Wirsilä mähät oluet* (*Noctem addendo, diei spatium extenditur, Carminibus canendis parcius prebitae cerevisiae defectus suppletur*); quod de pauperum inprimis conviviis usurpatur.

<sup>2)</sup> Inter vetustiores Runas superstites, merito locum occupat illa, quam adhuc cantant nonnulli Rustici paroeciarum *Wiita-*

aetate, qui *Chronicon Finlandiae* conscripsit ab Illustr. a NETTELBLA conservatum<sup>3)</sup>, insigni saltem antiquitate conspicua, exstiterint, valde dubito<sup>4)</sup>. Unde tamen non efficitur, morem carminibus res gestas celebrandi, genti jam olim familiarem non fuisse, licet sensim memoria, literarum non accedente ope, exciderint; inprimis cum majores nostri tam splendidas (dicamve aliis nationibus et praecipue vicinis suis funestas et exitiabiles?) in theatro orbis partes

*saari et Saarijärvi*, territorii *Rautalambensis*, de gestis et fatibus suorum qui socios se Ostrobotniensibus addiderunt in famoso tumultu rustico, (a clavis rusticorum, quibus pro telibus utebantur, *Älube-friget* dicto), tempore Regis SIGISMUNDI excitato. Ejus initium hujusmodi est:

**Sivijärven** fillit miehet,  
**Wastingin** wahmat uroot,  
 Dujat nurkisa pitävät,  
 Eopeisa sota aseet,  
 Äimiäsa pikkät warret;  
 Solla huowia hofuwat,  
 Hytterä rytkyttävät.  
 Geldä **Saarelle** samowat,  
 Kot oiße oifenewat,  
 Sota aseis sotimahan.  
 Teri parskui paidan päälle,  
 Siolet singoilit sisäldä,  
 Hyttäreiß rympetyistä,  
 Siowista hofotetuista, etc.

*Kivijärviensis* pagi † egregii viri,  
*Wastingensis* †† fortes heroes,  
 Clavas in angulis servant,  
 In interioribus angulis bellica tela,  
 In tenebris longa manubria (clavarum);  
 Quibus milites caedunt,  
 Equites verberant.  
 Inde ad *Saaris* (pagum) currunt,  
 Viri recta tendunt,  
 Ut in armis dimicent.  
 Sanguine adspergebatur indusium,  
 Viscera evolabant foras,  
 Equitum vehementer pulsatorum,  
 Militum verberatorum, etc.

Cr. Tidn. utgifne af et Sällskap i Åbo, pro a. 1776, N:o 9, p. 61 et pro a. 1777, N:o 10, p. 75. Exstant etiam carmina quibus Savolaxii et Carelii sua contra Russos gesta celebrant; sed superioris fere seculi res attingunt.

<sup>3)</sup> Schwedische Bibliothec, 1 Stück, N:o IV, p. 96—115.

<sup>4)</sup> Hujusmodi tamen carmina inter fontes recenset, unde *Chronicon* suum hauserit, quod res Fennorum ad Religionis tantum Christianae initia complectitur. Verba ejus sunt: *Supersat autem in ipsa Finlandia cantilenae nonnullae vetustae, quas Rinas vocant, quaeque scaldis reliquorum septentrionis populorum respondent, historiamque nostram non parum illustrent. Parum autem hunc fontem eum consuluisse, qui scriptum suum pelegerit, ex Islandorum et Svecorum monumentis imperite consacinatam, facile animadvertet.*

† Paroeciae *Wütasaari*. †† Paroeciae *Saarijärvi*.



egisse non videantur, ut inde, multorum aliorum exemplo populorum, satis ardoris posteris accresceret ad memoriam earum seris etiam nepotibus transmittendam. Ex superstitionibus autem, quae adhuc supersunt, Runis quid opis, ad res majorum illustrandas, sperandum sit, deinceps docebimus. Carmina in contumeliam inimicorum, civium vitiosorum, interdum etiam magistratuum minorum, a quibus se laesos putant, composita, nonnunquam auctoribus suis mala creare, et poenas etiam arcessere, mirum quidem videbitur nemini, illi autem minime qui quantum bilis et amaritudinis inesse illis soleat, cognoverit: cujus generis, nisi res vetaret, exempla apponere possem mordacissima et haudquaquam inficeta. Apologias etiam pro se aliquando factitant, inimicorumque insultus repellunt et in ipsos tela regerunt. *Proverbia*, quae antiquissimam fere gentis cujusque exhibere solent sapientiam, quorumque insigni copia, et ponderosorum et acutissimorum abundamus <sup>5)</sup>, magnam partem nostris metrica sunt, sive, ut memoriae felicius irhaerent, ad Runarum leges concinnata <sup>6)</sup>. Exemplo sequentia esse possunt:

<sup>5)</sup> Proverbiale Fennicum, a *Laurentio Petri*, Praeposito et Pastore *Tammelensi* affectum, a filio *M. Gabriele Tammelino*, Praeposito et Pastore *Lojoënsi* auctum, et a se porro locupletatum, edidit Aboae an. 1702. *M. Henricus M. Florinus*, Praeposit. et Pastor tum *Pemarensis*, deinde *Kimitoënsis*, 8:0; quod duplicare facile posset: nec ejus ornatoris in lucem emittendi spe destituitur.

<sup>6)</sup> Cfr. Reverendiss. *JUSLENIUS* loco supra (§ V, p. 32) citato; cujus periti harum rerum iudicis alium etiam locum, de ratione studii nostrorum poetici, cum iis quae docuimus continentem, adponemus; ille igitur, *Dissert. de Aboa Vet. et Nova* C. II, § 33, p. 91, *Peculiaris*, inquit, *hujus linguae est plësis: . . . Illam artem non doctissimi alias magis callent, quam rustici; quibus, ut de Arcadibus traditur* (*PHIL. SIDNEY Ac. L. I. C. 6. VIRGILII Eccl. 10 v. 32, 33*), *ingenitum est, de qualibet materia, in instanti, carmina canere elegantissima: quod peregrino quidem creditu impossibile esse poterit; at nos toies experti novimus, apud nostros praesertim, „nasci poëtas, non fieri“*. Docuerat jam ante *Cl. CAJANUS*, in *Dissert. de Lingua-*

Anda hyvä vähästäkin,  
 Eipä paha paljostakan.  
 Kokennut kaikki tietä,  
 Vainainen kaikki kokepi.  
 Ei itku häädästä päästä,  
 Poru päiviästä pahoista.  
 Ennen tehny työn telepi,  
 Wasta-alku ajattele.  
 Noista miisäs mirren otti:  
 Hullun pitkäistä puheista,  
 Mielettömän lausumijest.  
 Omat maat maquammat,  
 Omat mehäät mielummat.

Dat bonus e parvo (penu),  
 Neque ex magno malus.  
 Expertus omnia novit,  
 Miser experitur (tentat) omnia.  
 Non fletus e periculo liberat,  
 Lamentatio e diebus malis.  
 Qui ante fecit (expertus) opus facit,  
 Qui nuper incepit (tiro) deliberat.  
 Ex his sapiens carmen (doctrinam):  
 E stulti longis sermonibus,  
 E desipientis dictis (arripuit).  
 Suae terrae (cuique) dulcissimae,  
 Suae silvae jucundissimae.

*rum Ebraeae et Fennicae convenientia* (Aboae 1697, Praes. Rev. Dav. Lund, editae) membro post. p. 12 seq., cujus itidem verba exscribam, cum iis quae nos supra disputavimus comparanda: *Nec minimi ponderis ad probandam convenientiam est illa ratio, quae a simili depromitur poësi. Non enim secus poëta Ebraeus ac etiam Fennicus Rhythmus seu sonum in fine aequalem observat. Ac licet Finnonibus antiquitus non nisi unicum carminis fuerit genus, illud tamen, quia veram indicat convenientiam, non est dubium, quin sarta tectaque haec maneant sententia, praecipue cum runae istae antiquae (ad imitationem enim runarum Sveo-Gothicarum runoi appellantur) eodem et fluant metro et ratione syllabarum sint octosyllabae, quod genus carminis a poëtis Ebraeis frequentari vel ex Opitio constat. . . Distichon saltem quoddam Finnicum, unde quod monstratur, liqueat, adscripturus: Aina muita miistelemme, Arwoffi ajatelemme etc. „semper aliorum recordamur Futiliaque cogitamus“. Sunt duae hae lineae initium carminis cujusdam, quo tota historia passionis Christi elegantissime tractatur, auctore nescio quo; Rusticum sacrarum rerum peritum fuisse reor, cujus ordinis non pauci artis istius sunt callentissimi, imo, quod magis mirandum, adeo expediti, ut ex tempore de quacunque materia suas et formare et canere, ceu ipsis mos est, queant runas. Judicium de metro Hebraeorum paucis forte probabitur. Carmen Fennicum quod laudat, ne jam intereiderit metuo: mihi quidem haud licuit videre; neque constat, an typis fuerit impressum. Quod notum vocat carmen, de procis advenientibus, Rever. JUSLENIUS, loco superius indicato (§ V, p. 322), perinde mihi ignotum. Dolendum est vehementer, meritissimi hujus nationis et literarum nostrarum vindicis relicta collectanea et adversaria, cum magna librorum suorum parte, igne infeliciter fuisse consumpta.*

Duboisia omat tulewat,  
 Hywät welfet wieraifta.  
 Pääldä tunnen päiwäfunnan,  
 Silmistä hywän fikian.  
 Lehty työ on aljettuna,  
 Niwotēs aifa menepi.  
 Teräwä tekäwän afe,  
 Tyhjä weiği tyhmän miehen.

E peregrinis fiunt cognati,  
 Coniuncti fratres ex alienis.  
 E primo mane divino diem,  
 Ex oculis bonam indolem.  
 Factum opus est inceptum,  
 Destinando tempus perit.  
 Acutum (est) industrii instrumentum,  
 Hebes culter fatui viri.

## § XI.

Carmina sua recitandi peculiari porro more agrestes nostri musarum cultores utuntur, a majoribus sibi tradito. Canunt nempe duo semper, solenni ritu, auditorum cincti corona, qui *arrectis auribus adstant*. *Praecentor*, *Saulaja*, vel *Päämieš*, *Princeps* operis, qui vel carmen recitandum solus aut inprimis callet, vel aetate auctoritateve praestat <sup>1)</sup>, (cujus partes ipse semper poëta agit cum ex tempore carmen fundendum est), adjungit sibi alium *Socium* sive *Adjutorem*, *Puoltaja* vel *Säištäjä* dictum <sup>2)</sup>; cum quo per vices canendi opus ita partitur, ut postquam ille versum ad tertiam circiter a fine syllabam, vel ultimum pedem, perduxit <sup>3)</sup>, hic suam admisceat vocem, (quod facile jam ex sensu ipso, atque metri lege, reliquum pedem conjectando definire licet) atque ita ambo eum efferant; quo facto, adjutor versum solus repetit, variato aliquantum modo, quasi libenti

<sup>1)</sup> Si pares auctoritate atque doctrina sunt, vices quoque inter se permutant aliquando, ut alternis Praecentoris et Repetitoris agant partes; quamquam saepius tamen quisque peritior cantor juniorem quendam, poëticae studiosum, sibi adjutorem eligit, et ordine ad se delato, facultatem demonstrat suam.

<sup>2)</sup> Hinc etiam verba puoltaja, säištää, actum ipsum ita vicem adjutoris cantori Runarum praestandi, significant. Illa vox notior, et Savonibus usitata; haec apud Ostrobotnienses quosdam recepta, qui tamen nec alteram illam ignorant.

<sup>3)</sup> Contingit interdum ut adjutor, qui carmen callet, in tertia jam aut quarta a fine syllaba suam adjungat vocem, sed hoc minus commode fit; ut et quod adjutor tiro nonnunquam in ultima demum syllaba sociam suam vocem adjungere valet.



assensione approbaret<sup>4)</sup>, tacente interim praecentore, donec ille ad extremum rursus pedem accessit, quem con-

<sup>4)</sup> Adjicit igitur quoque Adjutor, sub repetendo, primo versus pedi, si voce dissyllabica, ut plerumque fit, absolvitur, voculam *mu*, *scilicet, bene*, vel *sanon dico*, aut *sanon dic (recte dictum)* voce illa prima etiam enclitica definitiva *pa* vel *pä* (*paš*, *päs* etc. cfr. *JUSLENI Lex. Fenn.* sub hac particula) *sane, certe, quidem*, aucta (quod facilius succedit, si vox ipsa vocali terminatur); videlicet ad approbationem suam fortius exprimendam, et emphasin quoque indicandam: quam syllabarum redundantiam, celeriori primi pedis et inculcati hujus supplementi pronuntiatione ita compensat, ut a tertia versus syllaba solito rursus eum modo proferat. Si vero contingit versum a voce incipere monosyllabica, trisyllabica vel tetrasyllabica, hujusmodi augmento non facile locus conceditur. Sequens exemplum totam hanc luculenter demonstrabit rationem:

Cantor: Ah! ah! armotoin isändä,  
 Adjutor: Ah! ah! armotoin isändä!  
 Cantor: Niwan tuima tuonen woima!  
 Adjutor: Niwan sano tuima tuonen woima!  
 Cantor: Voi niit kouria kowia,  
 Adjutor: Voi niit kouria kowia,  
 Cantor: Suolon kowan kämmeniä,  
 Adjutor: Suolopa sano kowan kämmeniä!  
 Cantor: Zotka murtawat muruxi,  
 Adjutor: Zotkapa sano murtawat muruxi,  
 Cantor: Pyöwät maahan martahari,  
 Adjutor: Pyöwätpä sano maahan martahari,  
 Cantor: Shmissetkin ilman alla,  
 Adjutor: Shmissetkin ilman alla,  
 Cantor: Sekä nuoret että wanhat,  
 Adjutor: Sekä sano nuoret että wanhat,  
 Cantor: Ylimmäiset, alemmäiset,  
 Adjutor: Ylimmäiset, alemmäiset,  
 Cantor: Raitfi kaatuwat käsißä,  
 Adjutor: Raitfipa sano kaatuwat käsißä, etc.

Sed uti significavi, mos hujusmodi vuculas interserendi, nec ab omnibus, nec semper, observatur. Si accidit, ut *Adjutor* peritiam *Praecentori* non cedat, quin eum vincat adeo, et hic, memoria vel vena deficiente, desinere et silere cogatur, solet ille primarias interdum partes deposcere, tali aut simili formula:

juncta voce ambo proferunt. Adjungit deinde sequentem versum praecentor solus, simili lege ab adjutore repetendum, et sic deinceps, usque ad finem carminis. Quae tota ratio ut clarius intelligi possit, in sequenti exemplo eae syllabae alia literarum forma expressae sunt, in quibus effe-  
rendis vocem ambo cantores conjungunt:

Kansa outoja anopi,  
Käwöige ilma kaitki;  
Menot kurjat kuultajensa,  
Saadanja sadat sanomat <sup>5)</sup>.

Spatio temporis sibi interim concesso, dum repetitor praecedentem versum iterat, Poëta ex tempore canens, ad sequentem versum excogitandum et concinnandum utitur; qui tamen labor nisi vati exercitatissimo et prompto ingenio vnaque fertilissima praedito, haud sane potest succedere. Modus quem adhibent musicus, unus semper idemque est, sine omni fere variatione, simplicissimus et vetustissimam redolens originem; quem notis expressum musicorum consuetis, aeri incisus, opellae adjungemus. Cantores vel juxta se in-

En tunnek edellä käywä,  
Ennen föhmätön ejillä,  
Ennen maan matelemata.  
Sull' on kengät paikkašemmat,  
Paikkašemmat, tallasšemmat.

Respondet aliquando ad hanc opprobriationem *Praecentor*:

Koff' ett tunnek tuhma käywäf,  
Epätieto tien ofaita,  
Laulolkomme, soitelkomme,  
Teltömme ijän ilolla;  
Joka thöyämme pätöwi,  
Thöyemme kelpoapi.  
Kunnek lyömme lyhyämme,  
Syhäjämme syhyämme.

Savonum dialecto conformiter expressimus, (ut et plura exempla deinceps), e quorum ore verba excepta sunt.

<sup>5)</sup> SALAMNIUS *Ho-laulu* etc. initio.

vicem sedent, vel ex adverso, ita propinqui ut dextras jungere possint et genua, dextrum scilicet unius et laevum alterius, quibus manus consertas fulciunt; et sub canendi opere corpus lente movent, quasi capite vellent caput contingere, vultum gerentes meditabundum et gravem. Rarissime stantes canunt; et si contingat aliquando, ut musarum quasi quodam afflatu moti stantes carmen ordiantur, mox tamen, conjunctis dextris sessum eunt, et ritu solito, cantandi continuant operam. Cantus autem hujusmodi solennis instituitur in conviviis fere, cum adest et mentes excire solet *laetitiae Bacchus dator*; itaque videas plerumque juxta cantantes stare cerevisiae cantharum, de quo, ad finem perducto carmine, novoque recitando se accingentes subinde haurire solent, viresque reficere: ut etiam raro se ad canendum conferunt, antequam Bacchi muneribus spiritus excitati fuerint et animi alacriores redditi. Carmina vero hujusmodi cantoribus deficere non solent, qui ad multam saepe noctem hunc ludum producant. Neque alii fere oblectationis generi videntur majores nostri, ad convivia congregati, indulgisse: ludos genti peculiares et domesticos in usu fuisse nullos reperio; choreas et saltationes hodieque nesciunt fere Savones et Carelii <sup>6)</sup>; Tavastii et maritimi a Svecis sine dubio didicerunt, nomine etiam tanği, tanğan, id testante. Praeter convivia, canendi quoque occasionem commodam incolis superiorum provinciarum praebent itinera illa longinqua, quae ad urbes et emporia quotannis, hiberno imprimis tempore, coguntur suscipere, mercium suarum dividendarum et aliarum, vicissim sibi necessariarum, comparandarum caussa. Tum enim plures, ultra XL saepe vel L, aut una domo profecti, aut in itinere undique quasi confluentes, in unum junguntur coetum, societatemque faciunt itineris; fere ut orientalium Caravanii. Haec multitudo, cum in hospitia, ad quietem corpo-

<sup>6)</sup> Nisi quod incolae juniores pagorum quorundam, praediis nobilium et civium lautioris sortis vicinorum, mores horum imitari, majorum severitate relicta, nuperius coeperunt.



ribus fatigatis dandam equisque pastum praebendum, divertit, taedii fugandi temporisque fallendi gratia ad oblectamentum confugit genti jucundissimum, et solennes quos descripsimus cantus laeta celebrat. Bacchi quidem munera non semper abunde praesto sunt: sed otium tamen et hominum frequentia animos sollicitant. Neque deesse solent in tali comitatu vates, aut cantores saltem exercitati, qui inopia carminum haud laborant; plerumque enim patresfamilias ipsi, aut viri maturioris aetatis, hujusmodi itinera instituunt. Quando tantam aliquando Runa quaedam, typis non expressa, celebritatem nanciscitur, ut per totam fere Fenniam, vel plures saltem provincias cantetur, his id itinerum societatibus plerumque tribuendum est, quae plurium provinciarum incolas congregant, et familiaritate quadam jungunt. Quoties solenni cantu se populares nostri oblectant, lyrae etiam occentum adjungere libenter solent; si itaque copia est citharoedi periti, ille vocem cantantium fidibus comitatur. Si unus tantum cantat, citharoedus Adjutoris praestat vicem, modum musicum Adjutori attributum, lyra repetens, tacente interim cantore. Sunt autem triplicis omnino generis citharae Fennis in usu: una, quae reliquis antiquior et usitatior, *Randeke* vocatur, chordis instructa quinque, hodie orichalcinis, olim setis equinis, quae pulsatur digitis <sup>7)</sup>; cujus inventionem, ut et artis eandem scienter pulsandi, ipsi *Wainämöinen*, Runicae artis auctori, praecipuo quondam Fennorum Deo, majores nostros tribuisse, infra docebimus. Aliud citharae genus, vel barbiton, *Sarpu* nostris vocatum, nomine a Svecis mutuato, propè duos cubitos est longum, et cubitum circiter latum, subtus apertum, tribus chordis orichalcinis ornatum, super quae plectrum setis equinis constans (*stråfe*) ultro citroque ducitur. Tertii generis, *Souhje-Randeke* dicta, huic fere similis, sed duplo mi-

<sup>7)</sup> Lyram V chordarum vetustum fuisse apud septentrionales populos instrumentum musicum confirmat JULIUS POLLUX *Onomast.* L. IV. C. IX, narrans a Scythis eam fuisse inventam, et postea inde ad Graecos pervenisse.

nor, chordisque tribus e setis equinis tensa<sup>8)</sup>, plectro ad eundem morem tangitur. His iisdem instrumentis ad saltantium quoque motus et numeros moderandos, iis locis ubi incolis hujusmodi placet ludus, saepe utuntur; tetrachordi (*violon*) usus recentissimis demum temporibus invalescere coepit.

## § XII.

Peculiarem carminum classem constituunt *Runae* nostratum *molendinariae*, *Runo-Runot*, quas sub molesto labore molendi mulieres Savonum, Careliorum et Cajaneburgensis ditionis cantant. Non enim olim modo, sed multis hodie etiam locis, machinis destituti molariis, manu molas circumagere incolae coguntur, eaque sola ratione omne quod consumunt frumentum minuere<sup>1)</sup>. Devolutus autem fuit hic labor apud nostros, ut apud multas alias nationes, totus ad foeminas; quae interim dum viri itinera ad urbes suscipiunt, venatui operam navant, ligna, foenum et frumenta e silvis domum deportant etc., per totam fere hiemem, aut pistillum tractant, aut molam manuariam trudunt: ut vere de se, in una hujusmodi Runarum, poëtria canat:

Päivät pyörin petseleisä,

Per dies integros volvor pistillo (manubrio?) adfixa,

Riven puuša kiikuttesen.

Lapidis (molaris) ligno adhaerens circumagitor.

<sup>8)</sup> Quas, ut scilicet barbiton sonos reddat clariores et suaviores, e cauda decerpere jubent equi acris, impigri et nobilis: cujus pervasionis vestigia infra etiam occurrent.

<sup>1)</sup> Antiquioribus temporibus pistillis contudisse, probabile est, in mortariis ejusmodi ligneis quae adhuc ad corticem pini frangendum adhibentur, quoties eo pro pane uti cogit necessitas. Hodie molae aquaticae plures indies exstruuntur, in provinciis etiam interioribus, adeo ut molesto molas manuiarias circumagendi labore foeminae sensim liberentur: molae autem quae vento truduntur, ubi a maritimis provinciis recesseris, rarissime adhuc, in Savolaxia et Carelia imprimis, conspiciuntur. Quo vero rarior molendi labor mulieribus incumbit, eo etiam magis carmina s. Runae molariae in desuetudinem abeunt.

Ad animum itaque hilarandum et a laboris molestia revocandum, felicissimo consilio, molentes carmina canunt, imprimis tradita sibi a majoribus, nonnulla recentius composita. Canit illa sola quae molam circumagit, reliquis quae interim quiescunt, tacentibus et audientibus; itaque mos repetendi locum hic non obtinet. Eundem tamen modum musicum observant, et cantu lentiori delectantur. Si molendi opera duae simul funguntur, aut utraque aut per vires alterutra, cantum peragit. Agunt haec carmina partim de argumentis severioribus, maxime moralibus, partim fabulas aut historiolas continent, partim etiam amori consecrata sunt, non infimum inter sexus curas locum suo merito poscenti; satyras quoque interdum exhibent, egregiorum facinorum laudes etc. Haud pauca colligere mihi licuit, quae ingenii laude nequaquam indigna sunt. Amori vero dicatas Runas, non facile, nisi inter se solae recitant, juniores imprimis; itaque a vetulis eliciendae sunt, quarum quaedam nec solennis istius in conviviiis cantus vires detrectant, quas suscipere puellas nunquam videas. Horum carminum plurima saltem pars foeminas agnoscit auctores; quarum nonnullae imprimis, ut de viris supra docuimus, laude clarent Runarum feliciter pangendarum. Exempla etiam hujus generis apponam. Uxor viri varis pedibus deformis, natu jam grandior et orba liberis, conditionem suam describit et desiderium absentis mariti, longo, ut videtur, itinere detenti, hujusmodi carmine exprimit:

Minä jauhæn **Jaakolleni**,  
 Wäännän wäärä-säärelleni;  
 Waan ej **Jaako** mullen jauhæ,  
 Gifä wäännä wäärä-sääri,  
 Gifä hymbyrä hylerrä.

Syw' on olla hymbyrällä,

Saunis kamburajalalla;  
 Hymbyrä hywällä syötti,

Ego molo *Jacobo* meo,  
 Circumago (molam) loripedi meo;  
 Verum non *Jacobus* mihi molit,  
 Neque circumagit loripes,  
 Neque varipes trudit (lapidem mola-  
 rem) cum sonitu 2).

Faustum (lamen) est pertinere ad va-  
 ripedem,

Beatum (pertinere) ad loripedem;  
 Varipes victu lauto (te) aluit,

2) H. e. abest.



Kambura weden kaloilla;  
 Ei sitä sotaan wiedä,  
 Ei tahoita tappeluhun.  
 Ihe jauhan wanha waimo,  
 Homeh-korwa houhattelen:

Ei mulle minia jauhaa,  
 Eikä pyörrää pojan wainio.  
 Kuin mun tuttuni tulisi,  
 Ennen nähtyni nähtyisi!  
 Kohta suuta suidajaisin,  
 Lewitäisän leukapielä.  
 Mut' ej kuulu kullaisistani!  
 Eill' on illoilla ikäwä,  
 Maata pannesä pahembi,  
 Usken yöllä äitelämbi,  
 Sawaitesä haikiambi;  
 Kopra (koura) tyhiä kokopi,  
 Käsi waatipi walehta.  
 Aina aikahan tulisin,  
 Waan on waiwa aamuisilla,  
 Muiden työllen työnnätäpä,  
 Muiden liitäisä lewollen,  
 Olla yötä yrinänsä,  
 Sängysä ufottomasä,  
 Ej kutaana kumppalina,  
 Kuka suuta suidajapi,  
 Kuka syhyttä siwuja,  
 Kupeita kufuttapi.  
 Kos' ej kuulu kuldaistani,

Kolkkawan kodan edessä,  
 Puita pilkkawan pihalla,  
 Weräillä westelemän,  
 Alla idunan asuwan!  
 Lule tureta tuutuhuni,

Loripes aquae piscibus;  
 Non eum ad bellum auferunt,  
 Non poscunt ad pugnam.  
 Ipsa molo aetate provecta mulier,  
 Situ aures obducta molae strepitum  
 excito <sup>3)</sup>:

Non mihi nurus molit,  
 Neque contorquet (molam) filii uxor.  
 O si ille familiaris meus veniret,  
 Antea visus mihi appareret!  
 Mox svavium oppingerem,  
 Extenderem os meum.  
 Sed nihil auditur de dilecto meo!  
 Itaque vespera desiderio angor,  
 Cubitum itura magis etiam conficior,  
 Noctes vero taediosissimae mihi sunt,  
 Expergefacta discrucior animi;  
 Manus inania colligit,  
 Dextra quaerit mendacium <sup>4)</sup>.  
 Utcunque me sortis non poeniteret,  
 Verum molestiam sentio mane,  
 Caeteros ad labores impulsura <sup>5)</sup>,  
 Conjunctura (vesperi) eos ad quietem,  
 Actura ipsa noctem sola,  
 In lecto marito orbo,  
 Nullo existente socio,  
 Qui osculum oppingat,  
 Qui leniter profricet latus,  
 Costas titillet.

O (me miseram) quod non auditur di-  
 lectus meus,  
 Fragorem edens ante domum,  
 Ligna findens in area,  
 Juxta portam ascians (tigna),  
 Sub fenestra commorans!  
 Veni o bone! in cubile meum,

<sup>3)</sup> H. e. aetate jam ultra juveniles annos provecta, cui requies a tam duro labore esset concedenda. Hyperbolice loquitur.

<sup>4)</sup> H. e. Maritum juxta cubantem manu quaerens, sentio mentem desiderio aegram vana spe illudi.

<sup>5)</sup> Nempe videbat tum, operarios suos quemque sua gaudere conjuge; se vero solam esse.

Astu armas sängghyni!

Embä kowan kujukkaan;  
 Kyll' sun luondo luoge tuopi,  
 Weri wierellen wetäpi;  
 Sitte tuutun tusduanfi,  
 Lifi, lifi, linduifeni,  
 Kufi, kufi, kuldaifeni!

Fer gradum, sodes, in lectulum me-  
 um <sup>6)</sup>!

Neque tamen vehementer (te) appello;  
 Sane te natura ad me adducet,  
 Sanguis versus me impellet;  
 Tum vero in cubile meum reversus,  
 Prope, prope, deliciae meae,  
 Juxta, juxta, corculum meum!

Nemo credo in hoc carmine poëticam venam, affectum, naturae simplicis veritatem, imaginemque rusticae nostrorum vitae haud injucundam <sup>7)</sup>, non animadvertet; itaque integrum exhibui. Suppetit mihi aliud, satiram continens in puellas quae nimis altum spiritum gerentes formaque sua elatae, spernunt florentibus annis temere procos honestos, deinde vero, annis veneres auferentibus, ipsae viros coguntur enixe ambire: proponitur primum puella fastidium suum narrans, deinde conditionem suam flens et nubendi desiderium significans, tum virum ad se frustra alliciens; postea illudens adjicit vates, eam diu incassum vestitu cultuque exquisito placere studuisse, atque tandem e compressu furtivo gravidam factam, latebras pudore confusam petiisse. Sed longior est Runa, quam ut adponere eam locus permittat. In alia, amoris sui constantiam testata sponsa, se a svaviando amico suo, modo comparuerit, non iri deterritum affirmat, si vel lupi sanguine os ejus esset adpersum, nec dubitaturam dextram dextrae ejus conjungere, quamvis anguis in digitorum apicibus micaret, etc. Fennica verba sunt:

Sillen suuta suidaajain,  
 Jos olis suu suden weresä;  
 Sillen kättä kääppäjäisin,  
 Jospa kärke kämment-päässä.  
 Diisko tuuli mielellisä,  
 Ahawainen kielessisä!

O si ventui esset intellectus,  
 Tempestati linguae facultas!

<sup>6)</sup> H. e. reditum tuum matura!

<sup>7)</sup> Tempori vero hiberno, quo molendi opus, adeoque hujusmodi cantus, inprimis fervet, scenam adaptatam esse, facile animadvertitur.

Sanan toifi, sanan weifi,  
 Sanan iijan liifuttaiſi,  
 Raſhden raſaan wäſillä. etc.

Verbum adduceret, verbum reportaret,  
 Verbum abundans, ultro citroque ferret,  
 Duos amantes inter etc.

Alia Runa sponsorum amorem celebrat, ut magnitudine affectui parentum, cognatorum et affinium longe superiorem, historiola narranda de puella, quam, postquam proeus a parentibus, multis donis et illis et reliquis necessariis tributis, obtinisset, Russus furtim abreptam cymbae suae imposuerat abducturus, quamque cum parentes et cognati iis ipsis donis quae a proco acceperant redimere singuli recusassent, hic, quamvis superbius ab ea primum tractatus, non dubitavit centum thaleris imperialibus Russo numeratis, captivitati eximere. In alia, virgo sponsum sibi exoptat; sed nisi strenuo, copioso et egregio viro sese haud nupturam simul asseverat. Initium carminis hujusmodi est:

Tuo Jumala tuota mieſtä,  
 Jonga formuret ſopiſi,  
 Rinta riſtit kelpoaſi!  
 Allös tuhma tullockohon,  
 Rärvin kanta keikuttoof,

Adduc Deus eum virum,  
 Cujus annuli apti mihi sint <sup>8)</sup>,  
 Cujus pectorales cruces <sup>9)</sup> idoneae sint!  
 Ne veniat quidem fatuus,  
 Neque ſtipis captator vacillanti gressu  
 accedat,

Ruin ei tulles tuuhiammat,  
 Rorianmat kōhti kähnel!  
 En minä ſinä ifänä,  
 Ruuna kullan päiwänähän,  
 Ruku nurjuren nutussen,  
 Painu paika-kuckarollen,  
 Raja-kengellen rakastuf etc.

Siquidem non veniant praestantiores,  
 Formosiores ad me tendant!  
 Non ego ullo tempore,  
 Luna aureo splendore fulgente,  
 Dormiam nauci hominis in stragula,  
 Cubitum ibo sordidi ad latus,  
 Mendici deliciae fiam <sup>10)</sup> etc.

Poëticae elocutionis in his cantilenis venustatem, linguae nostrae gnari ex hujus etiam Runae initio, ubi cantrix lapidem molarem alloquitur, existimare poterunt:

<sup>8)</sup> H. è. cujus acceptare queam annulos et dona.

<sup>9)</sup> Ornamenti genus, crucis formam gerens, a pectore dependens, noto more christianismi hoc signo superbiendi.

<sup>10)</sup> Verbotenus: *Sidam ad latus hominis crumenam gestantis adsutis centonibus variam, Ab homine induto calceis attritis et laceris, amabor.*



Jauhuos sinä fiwoinen,  
 Hyvä paafi pauhailko,  
 Somerinen souwatelko,  
 Minun jauhihin vuorollani,  
 Jilman formin soutamata,  
 Käden puuta käändämätä,  
 Peukalon palajamata!

Rationem itaque hujus generis carminum satis nos exposuisse putantes, imaginem tantum adjiciemus bonae matrisfamilias, ex popularium nostrorum opinione, versibus sequentibus expressam, quibus hospiti suae vates gratias agit:

— — — — fitän  
 Emännän fitä perästä,  
 Hyvän leivän leipomasta,  
 Hyvän pannehen oloisen.  
 Smelet hänen itusaf,  
 Makiat on maltaisefaf.  
 Ei ol' iskullen itusaf,  
 Eikä maallen maltaisefaf.  
 On kuullut kukoital nousta,  
 Ranan lapseta karataf;  
 Piti tuot kuckonansa,  
 Dtawaisfet merkinänsä.

Eipä furunna fustia,  
 Pelännyt metän petoja,  
 Saunan tietä käyhäsänfä.

Eipä koutuilla kohennut,

Molito tu lapille,  
 Bona lamina saxeae strepito,  
 Glareae proles circumagitor <sup>11)</sup>,  
 Vice molendi ad me devoluta!  
 Ut non opus sit digitis circum volvere,  
 Manui lignum (manubrium) torquere,  
 Pollici in orbem verti!

— — — — gratias ago  
 Matrifamilias deinde,  
 Quod bonum panem fecit,  
 Bonam coxit cerevisiam.  
 Dulcis ejus polenta <sup>12)</sup>,  
 Svavis est byne <sup>13)</sup>.  
 Non est crudi saporis byne ejus  
 Neque austeri polenta ejus.  
 Audiit gallos evigilare,  
 Gallinae filium prosilire <sup>14)</sup>;  
 Lunam galli loco habuit <sup>14)</sup>,  
 Ursae majoris (constellat.) signum observavit.

Neque luporum metu angebatür,  
 Nec silvae feras formidavit,  
 Cum ad balneum via esset carpenda <sup>15)</sup>.

Non uncis tractavit <sup>16)</sup>,

11) Verbotenus: *E glarea concrete* (hoc nomine vocatur lapis molaris), *remigato*.

12) Malt.

13) H. e. Vigilantior gallis fuit.

14) Id est, *horam surgendi e Lunde cursu existimavit, non e galli cantu*, quo horologii loco rustici utuntur: ad vigilantiam significandam matrisfamilias.

15) In balneo foeminae peragunt rusticae multa sua opera; significat itaque, eam caussas non praetexuisse, cur ab opere matutino se abstineret.

16) Penum structura, ollas, patinas etc. calidiores non instrumentis manus munita tractavit, verita ne urerent; nudes manibus tangere non timuit, adveta labori, et manus delicatas non habens.

Mutta koprilla kofenti,  
 Rämmentillä käännätteli,  
 Setä formilla somitti.

Sed manibus contrectavit,  
 Palmis versavit,  
 Atque digitis ordine locavit.

### § XIII.

Nullum vero carminum nostratum genus vel celebratius fuit vel infamia majore notatum *Runis* sic dictis *Magicis*, sive superstitiosis illis carminibus, quibus miram vim inesse homines stulti et anilibus persvasionibus occaecati, et sibi et aliis fidem fecerunt. Dubitare plurimae non sinunt rationes, quin olim Fenni nostri, ut reliquae nationes, carminibus cum diis suis egerint, unde sanctitatis et efficacitatis illis adhaesit opinio; quae mox deleri ex animis hominum, cum ad Christiana sacra amplectenda perducerentur, eo minus potuit, quod non rationibus et argumentis, sed vi et armis, ad Christi nomen profitendum cogentur. Itaque haec carmina gentilismo incunabula sua debere, quamvis postea varie interpolata et Papisticis superstitionibus nugisque locupletata, mihi certum videtur, et infra plenius demonstrabitur. Antiquitate igitur reliquas Runas nostras sine dubio vincunt; quae, quoad metrum et poëticam rationem, ad illa ut exemplaria et archetypos deinde conformata esse videntur. Hodie quoque, apud superstitiosos, nullae aliae Runae cum illis dignitate et praestantia comparandae existimantur. Neque vero proprie *Runarum* illis nomen tribuitur, quo reliqua tantum innocentia, superstitiosis visa *profana*, carmina denotantur, quae in conviviis et circulis cantantur; magica illa carmina contra vocantur *ſugut*, quasi *lectiones*, quae nunquam cantu proferuntur, multo minus solenni quem descripsimus more, sed occulte remotisque arbitris vel dicuntur alta voce, cum ardore quodam animi, *hålbioſa*, cui pedum suppletio, exsultantes corporis motus, variaequae gesticulationes et contorsiones absurdae deformesque adduntur, vel submisse mussitantur, expuendo simul, flando etc.; semperque fere superstitiosae et ridiculae quaedam praxes aliae praeterea adjiciuntur. Applicata autem ad certas res quarum vel minuere atque frangere vim,

vel damnosos effectus tollere, etc. putantur, Sanat etiam appellantur, id est *verba efficacia*; exempli gratia Madon sanat, *verba contra serpentis morsum*, Tulen sanat, *verba contra ignis vim, et valida ad sananda vulnera ab igne inusta*, Raudan sanat, *verba pro sanandis vulneribus ferro inflictis*, et sic porro. Horum pleraque simul Synnyht dicuntur, id est *origines* sive *archaeologiae*, v. g. Madon synnyht, (vel Synnyht) Tulen synnyht, Raudan synnyht &c. quod ortum ex ea traxit opinione, in qua sunt harum nugarum amici, fore se elementis, corporibus, animalibusque omnibus compescendis vique eorum superandae pares, si modo occultam et mythicam eorum originem resciscant, carminaque recitent eam aperientia; hac autem scientia majores suos fuisse instructos, coelitus sibi tradita, quorum itaque arcanas formulas admirabili virtute pollere. Hinc in archaeologiis hujusmodi, cum quadam confidentia et quasi triumphantes solent ferrum, ignem, serpentem etc. alloqui: *non fugit me unde genitus et natus sis*, item: *cur ausus miselle es mala facere, Cur perniciose suscipere facinora? Origo tua minime ignota est mihi, Prima cunabula tua sunt mihi explorata.*

Tiedän synnyhtö synnyhtymäsi,

Poika kalksi kaskwannosi,

Et: Mikitä teit pahoja,

Kurika tihua työtä?

Kyllä tiedän kusta tulit,

Kusta synnyhtit ja fikisit &c.

Superstitiosorum hujusmodi carminum magna est copia. Et quamquam in maritimis provinciis paucissimi supersunt qui illa callent, nec ea aut multa aut concinna et integra; in regionibus tamen remotioribus, iisdem quas poëticae facultatis laude excellere supra docuimus, sacerdotum zelus atque industria iis obliterandis hactenus non suffecit<sup>1)</sup>. Sen-

<sup>1)</sup> Non tamen existimandum, quae mens quorundam est, eo semper minus superstitionis apud plebem reperiri, quo ab horum carminum notitia magis destituitur; novi enim, qui haec



sim vero magis magisque memoria excidunt, quod apud juniores et eos qui religionis cognitione solidiore mature imbuuntur, superstitione indies decrescente, pretium auctoritatemque perdunt: senes et vetulae superstitioni pertinacius, ut fit, adhaerent, atque ad minores etiam libenter propagant<sup>2)</sup>. Quidam inprimis, et olim et hodie, hujus sapientiae fama prae caeteris floruerunt florentque, atque a reliquis superstitionis oraculorum instar adeuntur, pretio etiam haud raro spem illis opis suae vendentes. Hi, quamquam et aliis, praecipue tamen liberis suis artem communicant suam; unde certis maxime familiis solet esse quasi haereditaria. Cujusmodi mystae artem simul quandam medicam plerumque profitentur; interdum simplicium quorundam medicamentorum domesticorum vim et usum edocti, saepius ineptis et absurdis consiliis fucum credulis facientes<sup>3)</sup>. Semper vero carminibus suis praecipuam vim attri-

ignorant, persuasionibus nihilominus anilibus et observantiis superstitionis saepe esse addictissimos, et nostros illos mystas si non superare, aequare saltem: ut apud Svecanam plebem non paucae reperiuntur superstitiones Fennis nostris ignotae; quamvis in plurimis utriusque plebis ineptias consentire, facile deprehendatur, communemque papisticarum nugarum fontem prodere.

<sup>2)</sup> Quare quidam harum consultus nugarum, exoratus ut specimina quaedam proferret sapientiae suae, ita exorsus est:

Lähtefämme laulamahan,

Profisciscamur cantum (incipiamus canere),

Sanoja sanelemahan,  
Ennen saatuja sanoja,  
Joita ennen euffo neutwoi,  
Wanha wanhembä opetti etc.

Verba dictum,  
Olim accepta verba,  
Quae quondam avia praecepit,  
Senex parens docuit, etc.

<sup>3)</sup> Materiae, quibus vim sanandi, carminibus his suis addere allaborant, maxime vulgares sunt sal, lac, vinum combustum, pinguedo etc.; cumque instrumenta et adminicula sua, in crumena quadam asservata portare secum atque circumferre vulgo soleant, hinc Rucaromieš (*Vir crumena instructus*), hujusmodi magum significat: majoris autem molis instrumenta, quae adhibenda sibi aliquando judicant, aut in terram defodiunt alicubi, aut in sylvä vel in tabulato aedium supremo (wind) condunt. Inter hos homines castratores inprimis circumforanei locum plerumque fueri solent suum, atque superstitionis etiam carmi-

buunt; quae nonnunquam stantes, saepius in genua subsidentes, more quo diximus recitant, capite nudo, pileum manu tenentes. Admodum igitur multiplicia haec sunt carmina, multiplicemque ab iis sperant opem. Aliis morbos credunt depelli et vulnera sanari, aliis venatum, piscatum, aliaque incepta prosperari, aliis hostes suos laedi aut noxia inimicorum consilia retundi atque in ipsos auctores converti, aliis amissa aut furto ablata recuperari, aliis pecorum saluti et incolumitati prospici, aliis praeliorum pericula depelli, ferrique aciem ac omnium telorum vim hebetari, et sic porro <sup>4)</sup>. Multa de stupendis horum carminum effectibus, magorumque qui ista scientia pollent facultate, vulgus narrat, similia fere illis quae de Lapponum magia tradita sunt; exempla citat hominum et pecudum, quibus morbi immissi aut depalsi sint, armentorum in quae ursus incitatus, hominum quibus mentis usus ereptus etc.: quin pro comperto venditat, praecipuos mystas animi deliquia sponte sibi accessere valere in quo statu, dum corpus sensu omni destitutum jaceat, ita ut nec ex vi ignis vehementi dolorem sentiat, animus vagetur et occultas res, aliorum etiam tacitas cogitationes, investiget, quas ad se rediens magus seiscitantibus aperire valeat: sexcenta ejusdem farinae alia. Quibus nugis quod fidem addunt multi homines honestioris etiam conditionis et a literis non remoti, horumque nebulonum potentiam nonnunquam extimescunt, mirum videri deberet et non infimum haberi artis hujusce specimen ac do-

num plurimorum scientia, eam ob rem eminere. Morborum theoria omnibus communis est: scilicet rarissime ex alia causa quam ex malorum hominum fascino, incantationibus et veneficiis oriri; itaque in carminibus suis mythicis commune contra omnes et potentissimum paratum esse remedium.

<sup>4)</sup> Notum est, superstitosam eandem de certorum vi carminum persuasionem, plurimarum gentium insedissee animis. Ex suae gentis opinione TIBULLUS:

*Cantus vicinis fruges traducit ab agris,*

*Cantus et iratae detinet angvis iter.*

Lib. I Eleg. IX v. 19 et 20. Plane ut nostri. Innumera alia praetereo testimonia.

cumentum, nisi nota esset praejudiciorum ingens vis, totque passim exemplis constaret quam aegre mentes humanae ab omni superstitionis contagione immunes se praestare valeant. Anxia nonnulli cura in vi harum praestigiarum explicanda versati sunt <sup>5)</sup>; qua nos supersedere posse existimamus, si observaverimus, commode redigi omnem ad fraudes, animi coecitatem, dementiam, et credulitatem <sup>6)</sup>.

<sup>5)</sup> Vid. ex. gr. GABR. MAXENII Dissert. *de effectibus fascino naturalibus*, praeside JOH. THORVÖSTE, Phys. Professore, hic Aboae a 1733 edita, 4:o, in qua non modo exempla carminum hujuscemodi magicorum nostris usitatorum adfert, (admodum plerumque vitiose exscripta), sed mirabiles etiam ipsius artis effectus explicare satagit; partim operationi adscribens diaboli, cum quo pacti quoddam genus magi ineant (hypothesin sit alia confirmans hypothesi, non dicam quam probabili), partim occultarum et admirabilium virium scientiae, quae rebus plurimis naturalibus insint, sympathiae, antipathiae etc. nomine venientium (quarum ridiculum etiam exemplum adfertur), partim vi nescio cui ipsorum carminum naturali, gestuum, vocis et affectus efficacia adjunctae (plane ut superstitionis amici inter nostros disputare solent rusticos). Ipsorum veritatem effectuum, quam extra dubium collocare primo fuisset necessarium, pro data assumit. Recurrit in memoriam mihi Celeb. FONTENELLII narratio de aureo dente pueri Silesiaci. Cum multi sacerdotum nostrorum, laudabilem in superstitione exstirpanda operam collocantes, similiter efficaciam harum praestigiarum nimis liberaliter admittunt, et potentiae tribuunt diaboli, minus mihi considerate agere videntur, quod haec ipsa de vi earum persuasio basis et fomes est mali, hominesque idiotas istis inprimis implicat deliriis; ita ut vim ejus debellaturi, ipse eam imprudenter saepe firment. Nihil illam potentius destruit, quam si de inanitate et futilitate totius artis mentes solide informentur, nihilque eam praeter ineptas nugae et impia deliramenta continere, luculenter doceatur, technae nebulonum qui credulis imponunt, diligenter detegantur, ars eorum contentui exponatur, et praecepta exemplo confirmentur fidentis animi, nugae has spernentis non minus quam abhorrentis, ut confidenter existimare discant homines, illa neque se juvari, neque sibi noceri posse.

<sup>6)</sup> Fides quam haec superstitio invenit, facilitate nititur qua praejudicia nobis imponunt nostra, quae nobis turpiter ludificandis auxilium officiose praebent, metu vel alio mentis affectu adjuncta minimas res repraesentant ut maximas, fortuitos



Carmina ipsa magica non facillime colligere hominibus licet literatis, quorum fidem suspectam habent superstitionis consulti, metuentes ne fraudem sibi innectant, et apud magistratum postea denuntient, poenas vetitae artis daturos. Accedit quod timere videantur, ne sacra haec carmina, cum profanis innotescunt atque ab iis irreverenter habentur, imo irrisione saepe luduntur, vim suam inde perdant. Itaque raro ea fideliter et sincere non initiatis impertiunt; nec unquam nisi larga vini cerevisiaeque potione prius inebriatis, (vino prudentiam timoremque superante), persuaderi illis potest, ut in chartam conjicienda recitent: quamquam et ubi nulla turbantur fraudis suspicione, carmina sua recitaturi, vini cerevisiaeque haustus poscunt, ut animus sibi audaciaque accedat. Sed quamvis ebrietate graves, tamen ea plerumque loca quae periculosa sibi maxime videntur, callide praetereunt aut mutant. Quae una est caussa, cur quae in hominum literatorum passim conservantur collectionibus ejusdem argumenti carmina, tantopere inter se dissideant, prout videlicet ab ore excepta sunt mystae magis minusve simplicis et sinceri. Deinde, quoniam soli memoriae hi ipsi confidere coguntur, mirum non est, prout ea magis minusve firma utuntur, ita carmina quoque eos

---

casus et aliarum caussarum effectus praestigiatorum arti tribuunt, 99 irritos conatus oblitos centesimi nos successu conturbant, etc. Notum est, sententiam aliquam, nullis nixam rationibus, sola frequenti ejus inculcatione fidem tandem hominum saepe consequi, saepe nos aliorum narrationes assidue repetitas cum nostra experientia confundere, saepe sensuum ipsorum aciem et judicia vehementis persuasionis falli deceptione etc., quorum omnium rationes ex animi humani natura non est difficile repetere. Nefandam de caetero superstitionem eo diligentiore et sollicita magis cura extirpari debere, quod praeter alia damna et incommoda, Divini nominis aliarumque rerum sacrarum abusus impium et diras execrationes foveat, fatendum cuique est: quin fatuos homines subsidium quoque idolorum gentis veterum in carminibus suis invocare, extra dubium est, quamvis obscuras admodum de iis ideas conservent, formulas fere vetustas, quarum ipsi plerumque sensum non assequuntur, recitantes. Imo mali etiam genii dicuntur implorare auxilium, qua de re postea.

magis minusve callere integra; aliis alia addentibus, dementibus, mutilantibus, interpolantibus, mutantibus, quamvis sua cuique plena videantur, intemerata et incorrupta, quod nemo facile consulto ea audeat variare aut corrumpere. Facile tamen apparet, illa inter se conferenti, ex uno omnia fluxisse fonte, et summa contentorum ideisque principalibus convenire; quod in hujusmodi carminibus, e diversis Fenniae provinciis, Carelia, Savolaxia, Ostrobotnia collectis, ipse expertus sum. Corruptionem, in tantae inprimis vetustatis monumenta, non alia quam memoriae, facile labentis, ope conservata, necessario irrepentem, obscuriora etiam illa et multis locis vix intelligibilia reddere, mirum videri nequit. Adde quod in plurimis, mythica illa rerum incunabula, quae narrant, studio plerumque indicantur obscurius; ac mythologiae praeterea priscae Fennicae ratio hodie fere ignoratur, unde munia et attributa idolorum veterum, quorum saepe mentio injicitur, aegerrime explicantur; ut allusiones taceam ad instituta et mores majorum, jam antiquatos. Atque haec obscuritatis nox, verioris etiam lectionis, in illa varietate, definitionem reddit difficillimam. Nonnihil tamen, pluribus inter se exemplis collatis ad integritatem et formam aptiorem illis restituendam posse praestari, experientia me docuit. Quamobrem mirum videri debet nemini, si quae ponentur infra exempla, cum illis quae cuique possint forte esse in promptu, non exactissime et per omnia conveniant; nam nos quidem quod in uno defecit exemplo ex altero suppletes, et secundum regulas criticas singula dijudicantes, quantum valuimus integra dare conati sumus. Interpolationes tamen, post christiana recepta sacra additas, retinendas esse duximus; lectiones etiam alicujus momenti variantes subjecturi. Exempla autem praetulimus quae non modo caeteris minus esse vitiosa videbantur, sed etiam adjumenti aliquid ad majorum mores opinionisque cognoscendas praebere. Primum igitur illius generis quaedam adferemus, quod *Shynht* vocant. In horum aliis ad naturalem rei ortum manifesto respicitur, licet per mythicas ambages significatum; in aliis

aegre, quò mentem referas, investigare licet. Ad priorem classem hoc carmen pertinet, *ferri natales*, adumbrans, Rauban syndy, quo vulnera ferro inflictà sanari sanguinisque fluxionem sisti putant:

Wuorest' on weden sittä,  
 Tulen syndy taiwahasta,  
 Rauban syndy ruostehesta.  
 Woi sinuas rauta rauca,  
 Rauta rauca koito kuona 7)!  
 Etäs silloin suuri ollut,  
 Etäs suuri, eikä pieni,  
 Et kowin koriaakahan 8),  
 Kuin sua suosta sotkettihin,  
 Wetelästä wellottihin,

Saatihin sawen seasta 11).  
 Woi sinuas rauta rauca,  
 Etäs silloin suuri ollut,  
 Etäs suuri, eikä pieni,  
 Et kowin koriaakahan,  
 Kuinsa maitona makaisit,  
 Nuoren neitosen niistä,  
 Kaswanaisen koinaloisa 12).  
 Kotonansa kolme neittä,  
 Koko kolme morsienda,  
 Pyyfi maallen maitoansa,  
 Tiputti nisurijansä 13).

Ex monte aquae progenies 9),  
 Ignis natales ex coelo,  
 Ferri natales e rubigine (ochra?).  
 O te ferrum misellum,  
 Ferrum misellum, lucida scoria!  
 Non eras tum grande,  
 Neque grande, neque pusillum 10),  
 Neque admodum speciosum,  
 Cum e palude calcando exturbarere,  
 E molli materia subigendo exprime-  
 rere,

Eximereris e lutosa argilla.  
 O te ferrum misellum,  
 Non tum grande eras,  
 Neque grande, neque pusillum,  
 Neque admodum speciosum,  
 Cum lactis instar jaceres,  
 In adolescentulae virginis uberibus,  
 Adhuc crescentis sinu.  
 Non pauciores quam tres virgines,  
 Non pauciores quam tres sponsae,  
 Mulgebant in terram lac suum,  
 Destillabant ex uberibus suis.

7) Alii legunt foita fuono, alii fuonan fouto vel foito: locus mihi non satis liquidus.

8) Alii habent sipusafahan, *ad iram praeceps, metuendum*.

9) Quod montes vapores colligunt, flumina e locis altioribus ad mare decurrunt etc?

10) H. e. forma carebas?

11) Confirmare hi versus videntur, non aliam ferri mineram majoribus nostris cognitam fuisse, quam e paludibus effosam, ejus purgandi et fundendi morem nec hodie in locis a mari et officinis ferrariis remotioribus rustici ignorant. Samen sisälä ali.

12) H. e. in loco paludoso hactenus intacto, ubi es genitum. Alii kaswajaimen, quod non capio.

13) Mythicae ambages, ad triplex ferri genus adumbrandum, ejus natales e supernaturali quodam principio hic dedu-



Yri lypsi mustan maidon;  
 Kuka lypsi mustan maidon?  
 Yri neisy wanhimmainen;  
 Siit on tehty melko-rauta.

Toinen wakkian walotti;  
 Kuka wakkian walotti?  
 Yri neisy kessimäinen.  
 Siit' on tehty räähä-rauta <sup>14)</sup>.  
 Kolmanen werenseläisen;  
 Siitt' on tehtynä teräget.

Teräs wanha tenhollinen <sup>15)</sup>,  
 Miäi welfesi weristit,  
 Mönkäsoit ystäväs?  
 Rauta Rehki <sup>16)</sup>, kulta ksilpi etc.

Una mulsit lac nigrum;  
 Quaenam nigrum lac mulsit?  
 Una virgo natu maximā;  
 Inde exstitit ferrum ductile (genero-  
 sum).

Altera album fudit;  
 Quaenam album fudit?  
 Una virgo mediae aetatis;  
 Inde ortum est ferrum fragile,  
 Tertia sanguine mixtum;  
 Inde enatus fuit chalybs.

Chalybs olim jam egregius,  
 Cur fratrem tuum cruentabas,  
 Spernebas amicum tuum?  
 Ferri genius, aureo scuto insignis etc.

cuntur. De caetero fateor me omnes hujus allegoriae partes  
 quo tendant, non perfecte pleneque intelligere. Misuriansa alii.

<sup>14)</sup> Alii räähä-rauta.

<sup>15)</sup> Alii tenho (i. teno) päivällinen, quod non intelligo. Lo-  
 cus obscurus, forte mendosus.

<sup>16)</sup> Nomen videtur esse idoli, rei ferrariae praefecti. Vel  
 an verti debet: *ferrum praestabile, aureum (h. e. eximium) scu-*  
*tum (s. praesidium?)* Non liquet.



NARRATIO

PAULI JUUSTEN, EPISCOPI ABOENSIS,

DE

LEGATIONE SUA RUSSICA.

DISSERTATIONIBUS EDIDIT

HENR. GABR. PORTHAN.

(*Aboae 1775*)





## Praefatio.

**L**egatorum quos Rex JOHANNES III, sceptris capessens Suecica, ad Magnum Principem Russiae, crudelitatis et superbiae fama notum, JOHANNEM BASILIDEM II misit, fata acerba et humanitati juriq[ue] gentium adversa, Historici nostrates, quotquot illorum temporum res tractant, indignantes commemorant; in quibusdam licet, ut fieri solet, leviter discrepantes <sup>1)</sup>. Hujus itineris et negotii totius plenam atque accuratam expositionem, a capite ipso infelicis Legationis, Rev. quondam Fennorum Episcopo M. PAULO JUUSTEN literis consignatam, Regiaeque Majestati post reditum exhibitam, luce dignam publicae existimavi. Rarum monumentum et antea non editum (antiquioribus licet Historicis nostris, qui sua hac de re inde derivasse videntur, haud ignotum), pro eo quo in literas, et Patriae maxime res illustrandas fertur studio et affectu, hoc consilio mecum benigne communicavit B. Auctoris post bina saecula in munere successor, Ecclesiis jam musisque nostris Fennicis brevi desiderandus, Reverendiss. Dn. Archi-Episcopus et Pro-Cancellarius D. CAROLUS FRIDERICUS MENNANDER; eoque potius edendum censui, quod et mores rationemque temporis illius illustrat, et fata tangit viri de Fennia nostra meritissimi. Narrationem Auctoris damus integram, parte nulla vel addita vel resecta. Sphalmata quaedam exscriptoris manifesta, leviora tamen etiam illa, correximus,

---

<sup>1)</sup> Cfr. GIRS K. Johan III Chrönika p. 3, 6, 31 sqq. PETREJUS Regni Muschovitici Sciagraphia, L. II p. 42 sqq. MESSENIUS Scand. Illustr. T. VII p. 1 sq. et 6 sq. LOCCENIUS Hist. Svec. L. VII p. 382 sq. VON DALIN Svea Rikes Hist. III Del. II Band, C. 12, § 2.


orthographia quoque ad constantes leges revocata. Notis onerare noluimus, quibus nec magnopere egere putamus. MSS. ipsum foliis constat XIX, quartae formae, notas haud dubias fidei et antiquitatis praeferens, duplici tamen manu exaratum, luculentiore altera, altera correctiore; quarum neutram tamen Auctori ipsi, rationibus destituti idoneis, asserere audemus.

Ad vitam Rev. Auctoris quod attinet, nihil nobis suppetit quod notissimis aliorum laboribus addamus<sup>2)</sup>. Molestiis et aerumnis fractus, post reditum a tristi Legatione, non diu superstes vixit. An praemia quaedam tulerit fidei in Regem et Patriam insignis, laborumque et vexationum eo nomine toleratarum, certo haud constat. Non tamen caret verisimilitudine, nobilitatis honore a Rege JOHANNE fuisse ornatum. Sane figuram insignium, effigiem hominis nudi, flagellum manu tenentis (in memoriam, ut videtur, perpessarum aerumnarum), in splendida sua effigierum et Tabularum aeri incisarum collectione servat Reverendiss. D:nus Archi-Episcopus, a Cancell. Regiae Consiliario et Histor. ad Reg. hanc Academiam Professore M. ALGOTHO SCARIN olim sibi dono datam, affirmante, illa insignia fuisse Episcopo quondam Aboënsi PAULO JUUSTEN concessa; et firmat mitra Episcopalis, inter duo flagella, scuto superimposita. Hanc igitur figuram, minuta forma aeri incisam, adjunximus (N:o 1); quamquam ignorantes et unde eam Cel. SCARIN acceperit, et quibus rationibus sententiam suam superstruxerit. Reverendissimi ejusdem Maecenatis beneficio, duo etiam sigilla b. Episcopi JUUSTEN adjecimus, literis ejus autographis adressa, die 11 Sept. anni 1572 (N:o 3) et die 3 Maji a. 1574 (N:o 2) exaratis; quorum posterius illud, hominem etiam nudum, crucem manu gestantem, scuto inclusum repraesentans, assertioni Cel. SCARIN egregie favet. Annorum quoque ratio idem confirmat. Liberos autem et progeniem, quibus ista potuerit transmittere ornamenta, an b. Episcopus reliquerit, nobis plane ignotum est.

<sup>2)</sup> Vid. RHYZELII Episcoposc. L. VII C. III p. 346 sq.



N<sup>o</sup> 1.



N<sup>o</sup> 2.



N<sup>o</sup> 3.





**Acta Legationis Muscoviticae, per Paulum Juusten  
Episcopum Aboënsē breviter comprehensa.**

Si complacuerit Regiae Majestati, Domino meo Serenissimo et Clementissimo, attento lectori haec perlegenda et suae Majestati referenda committat.

*Jeremiae 10.* Scio Domine, quod non est hominis via ejus, nec viri dirigere gressus suos.

Non est velocium cursus, neque fortium victoria. *Ecclasiast. 9.*

*Anno Domini 1569, Julii 13.* Itinerarium Legationis Ruthenicae, quae mihi una cum aliis prius deputatis mandabatur 3 die Coronationis Serenissimi Domini nostri Regis Johannis.

*Quae Legatio ut felix faustaque sit toti Regno Sveciae, et omnibus ejus incolis tranquillitati diuturnae, oro Deum omnipotentem in Christo Jesu ejus dilecto filio!*

Tota illa septimana Regiae Coronationis, mansi una cum aliis Upsaliae, exspectans donec pararetur Instructio Legationis: finito octiduo, sequutus sum Regiam Majestatem ad Svartzöö, ibique commoratus sum diebus aliquot; ubi tandem Julii 21 accepi Instructionem Legationis, una cum litteris ad Magnum Principem Muscovitarum, simul cum aliis litteris ad Dominos Commissarios Holmiae degentes de indumentis a Regia beneficentia mihi in usum Legationis donatis.

Elabebantur interim jam duo aut tres dies, quibus mihi necessaria itineris procuravi: relicta Holmia 24 Julii, vectus sum Abo versus, ac transscenso magna difficultate mari Olandico, collisa est navicula mea vi ventorum non procul a *Landöudd* (ut vocant), quod reputo fuisse primum omen infelicis legationis. Julii 30 in aliorum navicula perveni Abo, ibique quam citissimè procuratis dispositisque rebus domesticis, mansi usque ad 9 Augusti, quo die vesperi vehebar inde cimba ad *Pargas*, deinde versus Helsingforsiam, perveniendo Viburgiam 22 Augusti quae erat Dominica II



post Trinitatis; ubi quantum ad necessaria attinet alebamus quidem mediocriter, sed cerevisia erat nimis tenuis et homini male conveniens. Viburgiam reliquimus 2 Septembris; inde enim ante proficisci non licuit, propter negotia legationis, et colloquium cum Johanne Laurentii viro praestanti et nobili, qui praeteritis annis Ruthenos saepius inviserat. Ex *Kiveneb* discessimus 6 Septembris, non dum enim advenerat deductor Ruthenicus qui nos exciperet, Sept. 7 transcendimus fines Ruthenicos, et apud *Systerbeck* excepit nos, nomine principis Muscovitarum *Bogdan* praefectus arcis Nötheborg; ea die pervenimus ad *Purmuselke*. Interim in itinere accepimus nuncium de adventu deductoris missi ex Novogordia, cui nomen erat *Aphanasio*: illi adjuncti erant comites 23 fere, quidam nobiles, quidam plebeji ministri. Venerunt illi nobis obviam paullo ante quam divertimus ad hospitium, comprecantes nobis salvum et felix iter, et promittentes vecturam publicam, cum aliis necessariis victus, more antea consueto, sicque simul equitabamus in hospitium.

Sequenti die quae erat 8 Septembris, direximus iter nostrum versus Nötheborg; cum autem jam duo milliaria confecissemus, procuravit deductor noster Aphanasius offerri nobis in via aliquid vini sublimati, cum mulsa Ruthenica, et fragmentis panum melle pistis. Erat eo loco Monasterium Rusticum; ibi monachis occurrentibus, et mendicantibus donavimus ex Regia pecunia 4 marcas; deinde continuando iter pervenimus Nötheborgam, et statim post adventum nostrum advenerunt milites adolescentes ejusdem arcis, adferentes secum cantharos plenos cerevisia et mulsa triplicis generis, et nonnihil vini sublimati. Remisimus vero praefecto arcis cantharum plenum cerevisiae pruthenicae, cum alio cantharo vini quod Viburgiae emimus.

Altera die quae erat 9 Septembris, pervenimus ad hospitium *Nazid*; inde profecti sumus 10 die ejusdem mensis ad vicinum exactorem, distantem 6 miliaribus a priori, nomine *Sapochin*.

Undecima die, quae erat 14 dominica post Trinitatis, pervenimus ad diversorium *Valzi*; die lunae ad *Ditski*, die

martis ad *Lutski*: Eo die mane cum lento gradu equitando progredieremur, provolvebatur equus meus praeceps in terram, quae omnino plana et solida erat; (quod etiam mali ominis signum esse putabam). Die mercurii, quae erat olim dicata Exaltationi Crucis, pervenimus Novogordiam: in itinere, quod alioqui erat lutosum, remorabatur nos noster deductor et Pristavus; retinuit enim ne prius properarem ad magnam illam urbem, quam sibi constaret de illorum adventu qui nos exciperent nomine Magni Principis Muscovitarum et Commissarii Novogordensis, cui nomen erat *Knesz Petro Danilevitz Bronsko*. Advenerunt tandem 3 equis vecti qui nunciarent illos statim adfuturos, qui nos Magni Principis et ejus Commissarii nomine exciperent. Interim nos urbi magis ac magis pedetentim appropinquavimus, factis nobis obviam tribus Bajoribus cum reliqua turba comitum, qui omnes more Ruthenico erant splendidius induti. Horum quaestio erat in congressu, utrum nobiscum omnia salva essent? utrum in monarchia Magni Principis consequeremur necessaria victus aut alia quibus nobis in itinere opus fuit? Respondimus, Dei beneficio omnia nobiscum se prospere habere, et necessaria vitae pro mediocritate consecutos fuisse. Illi e contra ajebant se ideo egressos esse, ut nos debita reverentia exciperent, ac in urbem deducerent, comprecantes ut Deus utrique imperio Ruthenico et Svevico pacem largiatur et tranquillitatem. Nos vicissim gratias egimus Caesari Ruthenorum nec non Commissario Novogordensi, quorum mandatis hoc honore afficiebamur, ac in urbem deducebamur. Dedimus quoque illis spem amodo fore, Deo volente, ut et Ruthenorum legati, si quando regiam Majestatem essent invisuri, non minori pompa a nostratibus debeant excipi. Sicque inducti fuimus in urbem, uno Bajoro a dextris altero a sinistris, me vero in medium collocato, coëquitantibus. Hospitia nobis erant parata in ea platea quae a coriariis nomen habet: ubi etiam superioribus annis alii Svevorum legati sunt commorati. Illo vesperi sero admodum nobis necessaria victus et potus adferebantur.

### Acta Novogordensia.

Sequenti die, quae erat 15 Septembris, accessit nos noster prior Pristavus, cum interprete suo, petens ut ascenderemus ad colloquia Domini Commissarii; quibus respondimus, nos nihil habere in commissis, ut cum ejus Dominatione aut colloqueremur aut ageremus, nisi prius salutato Magno Principe et Caesare Muscovitarum, et propositis illi negotiis quae Regia Majestas nobis peragenda concedidit. Reversus fuit ille tali responso accepto ad Commissarium, qui eo audito contentum se non praebuit. Quare iterum atque iterum eundem Pristavum, comitatum aliquot Bajorum filiis jam adultae aetatis, statim ad nos remisit, illud ipsum repetens, ut ad Ruthenici Caesaris Commissarium venire non dedignaremur. Dixit enim eum habere de quibus nobiscum colloqueretur, quaeque utilia et necessaria forent utrique populo, tam Ruthenico quam Svevico. Respondimus illis, nos non esse tam stupidos, ut non discernere possimus inter personas et officia superioris aut inferioris potestatis, unicuique suum jus tribuendo. Et addidit Matthias Schubert, non esse consuetum, neque apud Tabellarios magnorum principum, multo minus inter Legatos, ut de negotiis suis cuiquam divulgent, antequam eo pervenerint quo a suo magistratu sunt transmissi; injuste ergo illos petere, ut praeter decorum nostrae legationis, illorum condescenderemus petitioni. Respondit Pristavus Ruthenicus cum sociis suis, Dominum Commissarium velle denegare nobis liberam protectionem, sed debere detineri Novogordiae, quia videbamus nostra inobedientia nonnihil derogare ejus auctoritati. Nos vicissim respondimus: perinde esse sive detineremur sive ablegaremur, tamen non cessuros esse a nostra sententia. Jam diu enim didicimus, Caesarem et Magnum Principem Ruthenorum multis parasangis sua excellentia et dignitate antecellere omnes Bajores et Woivodos. Ideo nos minus recte aut juste facere, si nos summo capiti alia inferiora membra anteferremus aut aequaremus. Post vero auditam causam, et libera dimissione accepta, libenter



promisimus nos Domino Commissario morem gesturos, si aut prandio aut colloquio nos vellet excipere. Hoc responso accepto, rursum redierunt ad arcem; quo die nihil praeterea actum est. Petierunt autem ut in arce Commissarium inviseremus, aut ex ambitione Ruthenica ac cupiditate vanae gloriae, ut inde sibi abblandirentur, quod nos illis subjecerimus, aut fortassis explorantes nostram ea in re levitatem.

Vesperi die Michaëlis archangeli, rursum convenit nos noster Aphanasius, cum aliis quibusdam sibi adjunctis, flagitans a nobis ut sequenti die arcem ascenderemus, colloquuturi cum Praeside arcis: sed eo vesperi nihil certi illi responsum est, propter impedimenta quaedam.

Rediit igitur 30 Septembris mane, urgens priorem suam petitionem; sed rejiciebamus eam propter priores rationes, dicentes: nos nihil habere in mandatis de quo ageremus cum Praeside arcis, sed tantum emissos esse ad Magnum Principem et Caesarem Muscovitarum, quo si non daretur libera profectio, ut apud ejus Majestatem ageremus de negotiis concreditis, remitterent potius nos in patriam, donec Magno Principi daretur major occasio admittendi Legatos Regni Sveciae. Ideoque Praesidem arcis Novogordiae frustra petere, ut ad se veniamus. Haec fuit summa colloquii ejus diei. Spargebatur praeterea illo occiduo certa fama de morte conjugis Magni Ducis Ruthenorum, et arbitrabantur quidam nos non debere admitti ut continuaremus iter inceptum, antequam exacti essent dies luctus post defunctam Dominam Principem.

Sequenti die Dominica, quae erat 2 Octobris, fiebant in arce Novogordensi parentalia Magni Principis, seu potius, (ut quidam existimabant) exsequiae defunctae Conjugis, idque duobus continuis diebus. Primo enim die convocabantur pauperes civitatis, sequenti die Sacerdotes et monachi, quorum illie magnus dicitur esse numerus. Ubi vero Praeses arcis animadvertit, nos nolle deflectere a sententia, ut eum vel salutandi vel colloquendi gratia inviseremus, remisit Tabellarium suum Muscoviam de nostra pertinacia:

interim suspendebatur tota nostra actio ad 16 Octobris, quo Tabellarius dicitur rediisse. Ab illo die diminuebantur nobis necessaria cibi et potus et aliarum rerum: dimidio enim minus nobis in omnibus fere postea conferebant. Hoc ipso tempore spargebatur fama de quibusdam Legatis qui adfuturi erant ex Livonia; quidam eos arbitrabantur esse Danos, mittendos in Muscoviam, nonnulli vero asserebant esse Livonienses, qui ex nobilibus et civitatibus defecerant in tutelam Magni Principis Ruthenorum, idque consiliis et suasu *Iffvan Tuue et Lenartt Krwsen* <sup>3)</sup> nobilium Livoniensium, qui ante aliquot annos nomen dederant Caesari Ruthenorum, suscepta etiam eorum fide et religione: idque sic verum esse eventus postea comprobavit. Nam circiter undecim millium virginum advenerant ipsi Novogordiam, bene vestiti atque ornati, (ut nobis referebatur) et postea 25 Octobris profecti sunt Muscoviam versus, quorum comitatus constabat 34 sociis. Quod autem non fuerint Dani, inde facile colligi potuit, quod in exitu dicebantur omnes induti esse veste et habitu Ruthenico. Illi fortassis retulerunt Muscovitis, utrum inter Danos et Svecos actio belli esset composita.

Decima nona mensis Octobris, convenit nos rursus Aphanasius Pristavus noster, cum aliis sibi adjunctis. Expostolavimus cum eo mane ejusdem diei, quare diminuta essent nobis victualia, aut quare nobis sit factus obviam in finibus, promittens nobis nomine Magni Principis Muscovitarum, non tantum liberam perfectionem, sed etiam alia necessaria quibus opus habebamus ad iter illud conficiendum? Ad quid etiam obviam nobis sunt facti nobiles isti Ruthenorum, *Schurat Onizsku et Iffvan Uzskou*, cum Novogordiam appropinquaremus, pollicentes nobis ea quae spectabant ad viaticum nostrum? Quare nunc et nos et comites nostri, diminuto dimenso diurno deberemus affligi, praesertim penuria potus, tam in cerevisia quam mulsa? Nullus enim

---

<sup>3)</sup> *Joh. Taube et Elerdum Cruse* vocat *Kelchen* Sifländi-  
sche-Hist. IV Th. p. 284 sqq. Cfr. tamen *Messenii Scand. T. VII*  
p. 17; *Loccenius l. c. VII p. 4.*

nostrum unquam antea consuevit aqua sitim restinguere, nisi magna necessitate cogente, idque non continuo. Respondit Pristavus, se emissum fuisse a Commissario Novogordensi, qui jam omnia nobiscum agit juxta mandatum et litteras Magni Principis, ideoque auctoritatem suam hic jam desiisse. Ad haec illi respondimus, Serenissimum et Clementissimum nostrum Regem non accepisse literas deductitias, quibus nobis iter salvum promittebatur, a Commissario Novogordensi, sed ab ipso Magno Principe Ruthenorum, cujus consensu et beneplacito nos ejus ditionem ingressi sumus; et simul offerebamus tenorem earundem litterarum Ruthenice scriptum, petentes ut tantum nobis libertatis concederetur in hac nostra profectioe, quantum illae litterae continerent. Illis perlectis, praecepimus ut eas deferret legendas Commissario arcis, neve ille nos defraudaret jure nobis in illis litteris concessio; sed recusavit se illas velle praesentare, neque satis audere: cum prius constaret sibi fortassis, quod eae nobis datae essent. Adjeci et ego hoc, si non auderet ferre litteras proprii sui Domini, quanto minus nostras qui sumus peregrini? Aut quomodo satisfaceret officio et nomini suo, si dedignaretur, aut non auderet referre nostra negotia et colloquia nostra necessaria Domino Commissario? Pollicitus tamen est tandem (quantum illi liceret) se de his omnibus acturum. Postremo ne nostris comitibus deesset quo sitim restinguerent, petivimus ut nobis concederetur facultas emendi pecunia nostra villum, quod illi Quaz vocant. Hac de re, inquit ille, inter nos deliberabitur. Sed nos nihil nostra honesta petitione effecimus, tantum surdo narravimus fabulam. Eramus enim 57 numero, quibus vix una tunna cerevisiae et duae urnae mulsae in singulos dies conferebantur: inde militibus non multi haustus cuilibet in prandio aut in coena distribuebantur: cogeabantur eam ob rem multi e comitibus nostris saepe sitim aqua propellere. Nos in usum illorum libenter emissemus Quaz, sed non erat nobis concessum, nec licuit cuiquam de nostris egredi portas curiae, pro emendis necessariis, quia tam arcte custodibus publicis inclusi reti-



nebamur, neque totis illis 14 diebus convenit nos Pristavus noster, cujus officium erat ut defectus et necessitates nostras ad Commissarium arcis deferret, et nobis inde responsa referret. Transegimus igitur 14 illos dies non in abundantia, sed in quadam deficientia potus: cibum tamen pro mediocritate et vitae necessitate accepimus.

Advenit jam dies omnibus sanctis dicatus, quo nobis adhuc prandentibus, accessit nos Pristavus noster cum aliis duobus viris jam senio confectis, qui custodiae praeerant, petentes a nobis catalogum comitatus nostri, et praesertim quot ministri singulis essent adjuncti, et quo essent nomine. Respondimus Bajorum filios qui comites erant Pristavi, aliquoties, non procul a finibus, inter equitandum notasse numerum nostrorum, qui adhuc salvus est et integer, nullo demto. Quod vero cuperent rescire quot ministri nobis singulis Legatis famularentur, diximus non esse opus ut illi de his perquirent; unius enim Regis et Domini subditi eramus omnes, tam Legati quam milites et famuli nobis adjuncti. Fecerunt igitur hoc fortassis ut nos ab invicem aliquando divellerent, et velut captivos seorsim concluderent. Recepimus nihilominus ut comitatus noster in ara conveniret, ubi adfuit scriba Ruthenicus cum Pristavo et aliis, notantes singulorum nomina; cum autem reperti essent non plures quam 57, sicophantice lamentatus est Pristavus quasi unus ex numero nostrorum deesset, seque propterea perditum iri: nos contra negavimus ullum abesse de iis qui nos ultra fines Ruthenorum sunt sequuti: neque esse opus ut illa ratione quaererent sibi ansam circumveniendi nos. Hac disceptatione peracta, discesserunt: nobis vero sequenti die, quae erat commemoratio animarum, nihil cibi aut potus adferebatur; tantum ex propriis paravimus nobis tenuae jentaculum, cum ultra duodecimam jejunarem.

Sumto illo jentaculo, advenerunt quidam ex arce, qui nos antea non inviserant, emissi a Domino Commissario: alter eorum erat interpret Germanicus, vir ut nos conjiciebamus non malus, alter vero de nobilibus Ruthenicis. Hi nos mandato Commissarii interrogabant, quid egissemus de

uno famulorum nostrorum, et quare sublevaverimus dimensum diurnum in ejus usum, qui nusquam comparuit? Respondimus nos neque plures neque pauciores adesse, quam tunc cum fines transcendimus Ruthenicos; et adjecit Matthias Schubert: si bonis rationibus probari potest, quod aliquem ex nostris clanculum amandaverimus, aut alioqui occultare vellemus, nos non tantum velle privari jure et libertate Legationis nostrae, sed etiam omnia nostra bona praedae exponere et de vita periclitari. Quid enim ad nos, utrum res Ruthenorum aut prosperae essent aut adversae? Nobis aliam incumbere sollicitudinem, ut videlicet pax et tranquillitas inter utrumque Regnum non tantum renovaretur, et confirmaretur, sed etiam bonis mediis prolongaretur. Quamobrem Dominum Commissarium frustra calumniis et cavillationibus studere. His auditis egressi sunt ut numerarent et viderent comitatum nostrum, qui neque major neque minor erat solito, atque sic reversi sunt in arcem: nobis vero nihil ultra consuetum, aut in potu aut in victu addebatur, sed omnia fere tardius quam par fuit, postea accepimus.

Novembris denique 20, quae erat 24 Dominica post Trinitatis, facta est mutatio Pristavorum, deposito priore Aphanasio, propter aetatem ingravescentem, et curam negligentius de nobis habitam (sic enim praetexebant); erat tamen vir modestus, gravis, et tranquillitatis amans. Illi successit alius Pristavus, cui nomen erat Posdi Iffvanevitz Parski. Hic primo illo die mane ante concionem habitam, petiit a nobis ut videret et rescriberet totum nostrum sodalium, quod mandato Magni Principis et Domini Commissarii testatus est se facere. Ille etiam ademit sociis nostris tres domos, compellens ut arctius cohabitarent. Reliquit enim nobis tantum 3 Ruthenicis curias, cum antea haberemus 6.

### **Suru Stafetedh bleff upreest om of.**

Illo die advenit magna multitudo Ruthenorum, quorum quidam adferebant trabes ingentes, amplius quam 5

cupitorum, quidam fodiebant foveas per circuitum habitationis nostrae, in quas ordine erigerent trabes allatas. Duravit istud opus a die Dominico proxime notato, usque ad sequentem diem Dominicum, ut esset area tota circumcincta erectis altis trabibus 496, ubi commorabamur, ne cuiquam concederetur aditus ad colloquia, neve legatorum ministris egressio ex area, quia tam ignominiosae custodiae eramus inclusi. His diebus diminuebatur de dimenso nostro diurno duo agni, unus anser, olera cum pisis: similiter et avena quam habuimus ad equos alendos, et sodalitiū nostrum alternis numerabatur diebus, ut ea ratione nos majori afficerent ludibrio.

Die martis ejusdem septimanae, quae erat 22, deinde etiam 24 Novembris, interrogavit nos Pristavus ironice, num vellemus ascendere ad Dominum Commissarium, ut ageremus de majori nostrorum libertate? Cui respondimus, nos aequo animo ferre istas Ruthenicās vexationes, sed ad Commissarium diximus nos non accessuros, nisi ille affirmaret se habere auctoritatem, mandatum et commissionem plenariam a Magno Principe agendi nobiscum; si illis careret, non esse opus ut prius negata a nobis urgeret: mos enim est Legatorum Sveciae, ut prius invisant Caesarem Ruthenorum, quam quidquam agant cum ejus Senatoribus officialibusque; idque nos exspectasse jam 10 septimanis, non sine crebra et multiplici divexatione nostri. Initio mensis Decembris referebant quidam, Magnum Principem non curare aut magnifacere legatos Svevicos, nec velle admittere eos Muscoviam pro peragendis negotiis, sed illa debere examinari Novogordiae, si modo legati vellent acquiescere ejus voluntati; si autem nollent, fore illis liberum ut infecta re abirent: perinde enim esse Ruthenis, utrum confirmetur pax aut revocetur bellum. Nec Caesarem Ruthenorum magnopere curare aut metuere, si duo Reges Polonorum et Sveciae foedere quodam conjungerent se contra Ruthenum, qui se putat non tantum posse resistere, sed etiam bello illos superare. Fama quoque fuit, quod nostrum etiam nomen odiosum esset Magno Principi, qui dicebatur neque ferre



velle ut tantum mentio fieret legatorum Sveciae, cum prioribus annis Sveci eum tot mendaciis et inanibus promissis circumvenerint. 2 Decembris accepit quidam de nostris literas de quodam Rutheno: Magnum Principem colligere exercitum, quo statuit invisere Finlandiam vel Livoniam, licet quidam negaverint id nondum posse pro comperto haberi. 3 Decembris convenerunt nos denuo duo Secretarii Caesaris Muscovitarum, qui sunt Commissario a consiliis, magnae existimationis viri, prout nobis videbantur; (uni erat nomen Michita Jörievitz Zelepin, alteri Bogdan Phedorovitz). His ingredientibus cum comitatu non exiguo, displicebat primum, quod illis tanquam Magni Principis nunciis non assurrexerimus: deinde stantes per interpretem Germanicum interrogabant nos, quid fecerimus aut quo ablegaverimus unum ex famulis nostris, qui desiderabatur in comitatu nostro, de quo etiam aliquoties ante quaesitum est per alios, mandato Domini Commissarii? Respondimus nullum abesse ex nostris qui fines Ruthenicos transcenderunt, sed omnes hic una incolumes adesse, Dei optimi maximi beneficio, neque nos huc missos esse quasi exploratores, sed tanquam legatos quibus concredita essent publica negotia Serenissimi et Clementissimi Domini nostri Regis. Non ergo fuit operae pretium ut aliquem clanculum ex nostris quoquam remitteremus. Petierunt deinde, ut denuo rescriberetur totus noster comitatus, quod factum est ipsis stantibus in gradibus domus, et singulos perlustrantibus, ac rescire cupientibus cui ex legatis unusquisque adjunctus esset, quive publico aut communi fungerentur officio. His peractis discesserunt omnes. Postremo, ex quo totis tribus mensibus cum dimidio, ex multorum relatione tam publice quam privatim intelleximus, nobis non patere nec concedi liberam protectionem ad Magnum Principem Muscovitarum, coacti et praeter arbitrium remisimus de priori nostra pertinacia, mutavimusque sententiam, nos videlicet velle proponere negotia nostra hic Novogordiae apud Dominum Commissarium et eos qui sibi adjuncti erant, ut illi ea referrent Caesari Ruthenico. Coaretabamur enim undique, non tantum dimi-

nutione cibi et potus, exstructa clausura et captivitate: metuimus praeterea ne collecto exercitu irrueret in Finlandiam, ut eam ferro et igni vastaret, sicut dicitur minatus fuisse.

4 Decembris, quae erat 2 Dominica Adventus, accessit nos quidam Ruthenus mane, emissus a Secretariis qui nos priori die convenerant, interrogans utrum eo animo essemus ut vellemus cum negotiis nostris invisere Commissarium: respondimus nos sic statuisse, quandoquidem frustra hactenus exspectaverimus accessum Caesaris Ruthenorum: et simul interrogavimus utrum Dominus Commissarius haberet mandatum suscipiendi a nobis munera Regia et privata nostra? Ille incertus harum rerum, dicebat se haec relaturum Domino Commissario, qui statim a prandio dicebatur misisse tabellarium Muscoviam, ut de his omnibus certior redderetur. Interim elabebantur multi dies, quibus nihil nobiscum actum est: atque tantum de actis anni 1569.

### **Sequitur nunc Annus Domini 1570, continens Epitasin nostrae Tragoediae et infelicis legationis.**

Initio mensis Januarii magis ac magis certa spargebatur fama, Magnum Ducem Muscovitarum non procul abesse a Novogordia. Illi vero qui nos sua hipocrisi circumvenerunt, injecerunt nobis spem, omnia post dies aliquot in bonum deduci finem: jam enim illos advenire, qui negotia nostra essent examinaturi, et nos tandem voti compotes in patriam dimissuri. Nos illorum blandis illecebris partim credidimus, partim suspensis eramus animis. Advenit jam dies trium Regum, et nobis mane ad Divina officia apparentibus, accesserunt nos duo ex arce emissi, (*interrogantes*) utrum cras, quae erat 7 Januarii ascendere vellemus arcem, sicut antea promiseramus? Diximus nos, Deo duce, paratos fore ubi vellent. Precibus igitur sequenti die publice habitis, ut ascensus ille nobis foret bono, exspectavimus ad prandium usque jejuni: pertraxerant enim nostri procuratores nos in eam spem, quod ibi pranderemus, ideo non esse opus apparatu aliquo domestico. Advenerunt tandem

vehicula et milites qui nos deducerent: ego meum deductorem Gregorium habui a dextris residentem, in suo peculiari vehiculo, alii similiter legati habuerunt suos similiter a dextris: quidam ex nostris equitabant propriis nostris 5 equis. Ubi jam ad arcem appropinquaremus, relictis vehiculis pedibus reliquum iter confecimus, circumstantibus utrimque bombardariis Magni Principis, hominibus et vestitu et alioqui specie contemptis. Erat turba illa sic circumfusa usque ad ostium domus in quam deducebamur, unde nobis duo prodibant obviam, qui nostro adventui ironicos et ex corde falso congratulabantur, nosque in domum praecesserunt, ubi collecti erant Commissarius cum aliis Ruthenorum proceribus, ex quibus multi conspiciebantur armati et velut ad proelium accincti, non ad legatorum negotia tractanda. Quibus in genere salutatis, exorsus est narrationem suam Matthias Schubert (interpres enim erat Germanicus) sicut ea nobis praescripta erat in Regia instructione. Commissarius prorsus tacebat. Sed cum intelligerent, ommissa salutatione praeteriri Commissarium, interturbare recitantis narrationem, objurgando annon agnosceremus Commissarium pro Regis nostri fratre aut consimili, prout antea moris fuerat? Petivimus nos, ut sinerent eum proloqui, nec impedirent, cum ex sequentibus facile intelligerent quid vellemus. Additis ergo aliquot dictionibus ad prioris narrationis initium, coeperunt magis ac clarius interstrepere, jubentes ut quam primum ejiceremur. Apprehenso igitur brachio singulorum propellebant nos e domo: et ut festina- rent nobiscum, surrexit quidam poliphemus gladio accinctus, qui cum aliis consilium iniit. Post hanc ignominiosam ejectionem, venimus ad priora nostra vehicula: caeterum, cum pauxillulum progredere, insequerentur nos quidam clamantes ut reverteremur. Hi detrudebant nos ex vehiculis, ac pugnis percutientes, protrudebant nos, donec veniremus ad aliam quandam domum, a latere orientali sitam. Et nobis retro mensam adactis, reliquis vero comitibus nostris in posteriorem partem domus collectis, perlustrabant nos singulos, detractis et ablati omnibus quae nobiscum



habebamus, in annulis, catenis aureis, pecunia et omni reliquo ornatu. Inde nobis egressis et ejectis, quilibet nostrum loro constringebatur, et depressis ad latera manibus, commendabamur equitanti Rutheno, qui apprehensa lori extremitate, jussit nos currendo subsequi, et quoties equum in gyrum vertit, saltavimus et nos in gyrum, licet tunc constricti. Tanta ignominia afficiebamur in conspectu maximae multitudinis, quae ubique referta erat in plateis. Currimus igitur sic ad diversorium usque, quod distabat ab arce plus quam quadrante unius milliaris; nec sic finis erat ignominiae. Postquam enim in hypocaustum ascendimus, literis mandabantur munera tam Regia quam nostra, quibus Magnus Dux Ruthenorum erat adornandus, et quicquid prius abstulerant ab unoquoque nostrum. Deinde detractis caligis et omnibus aliis vestimentis, ad indusium usque denudabamur, et protrahebamur nudi in conspectum eorum qui ibi aderant, deridendi, podice et anterioribus ostensis; post hoc triste spectaculum, mandarunt ut indumenta nostra reciperemus. Simili ignominia affectum est et sodalitium nostrum in arce domus, detractis vestimentis eorum et inclusis in cameram quandam quae alicujus valoris erant. Auferebant deinde secum cistas nostras in arcem, quas ibi triduo retinebant; eas postea exhaustas auro, argento, vasis argenteis, Joachimicis et moneta Svevica, recepimus. Illo triduo prohibitum erat ne ingrederemur in hypocausta nostra in quibus mansimus antea, sed omnes in uno domo inferiori nos damnatorum hominum contineremus, et sodalitium nostrum in alia quadam parva domo, omnes una sicut sues in hara. Deus novit quanta cordis moestitia et amaritudine illud triduum in pane et aqua traduximus, expectantes mortem et extrema supplicia.

Post triduum, quod erat 10 Januarii, accessit nos novus quidam Pristavus, cana barba, cui nomen erat Gregorio Gregorievitz; is nobis mandato Magni Principis renunciavit, quod haec pateremur ideo, quia legati Magni Principis, Iffvan Michalevitz cum suis, spoliati sunt Holmiae, cum Johannes Rex primum potiretur urbe Holmensi. Item

quod contemserimus ejus Commissarium Novogordensem, nec ei praesentaverimus nos et negotia nostra (habebamus enim in commissis ut haec faceremus); quantum vero attinet ad indumenta, tam nostra quam sociorum, dixit Magnum Principem ex gratia ea nobis restituisse, ut nos Muscoviam deduceret. In toto illo itinere misere habebamur; non enim tanquam legati, sed velut captivi et facinorosi eo deducebamur; panis erat furfureus, aqua hiemalis sitim propellebat, vigiles singulis noctibus fumum faciebant in hypocausto, ad interturbendam requiem. Omnes, quoties proficiscendum fuit, diligenter numerabamur; similiter quoties ad hospitia divertimus. Tam calamitosa et ignominiosa erat nostra profectio, quam confecimus tribus septimanis. Pristavus enim intentus erat ad suas rapinas in itinere. *Tantum de actu Novogordensi; nunc sequitur actus Muscoviensis, aequae tristis et flebilis.*

Ad Muscoviam pervenimus ultima Januarii, anni 1570. Ibi non multo lautius alebamur, quam antea in itinere. In usum enim sodalitiis nostri, pro personis singulis numerabantur tantum tres deningi Muscovienses; nobis vero legatis, qui eramus 4 numero, singulis septem deningi. Hac pecunia emebant procuratores nostri Ruthenici quantum volebant, non quantum debebant; saepe quoque defraudabant nos nostra portione, sibi ipsis magis consulentes quam nostro exilio. Facile autem intelligit unusquisque, quam misere inde viximus: illa enim eleemosyna quae alioquin captivis solet dari in Ruthenia, parari et emi debebant omnia necessaria victus, mensae et culinae, candelae, ligna et putridum illud villum quod ipsi Quaz vocant. Erat quoque eo tempore usque ad messem fames magna in tota fere Ruthenia, adeo quod plurimi eorum contabuerunt et mortui sunt prae fame, in plateis et passim in viis. Multi nostrorum prae fame vestimenta sua vendebant, quidam ab invicem mutuati sunt pecuniam, quae apud paucos reliqua erat; non enim sufficiebat eleemosyna illa sodalitiis nostro, nisi ut semel tantum in die pararetur coena: ex reliquiis vero non prandium, sed tenue jentaculum sumendum fuit, quia

necessaria illa victus circiter horam prandii nobis adferebantur. Inter carnes equinas et pecudum discrimen non semper observari potuit, necessitate ad id nos compellente: neque negamus quin attulerint nobis morticinas et cadavera pecudum vernalium, quae propter obscoenitatem intacta reliquimus. Illa ratione transegimus totum vernale tempus et aestatem una. DEUS misericordiarum pater interim suo verbo et omnipotentia nos incolumes servavit, sicut scriptum est: Non in solo pane vivit homo etc.

In mense Febuario, Martio, Aprili, Majo, nobiscum prorsus nihil actum est, absente adhuc Magno Principe, qui post ferias Philippi Jacobi Muscoviam rediit, et elapsis aliquot diebus, legatorum Poloniae, (qui eo dicuntur venisse initio mensis Martii) negotia suscepit examinanda. Junii prima, juxta mandatum Bajorum Muscoviensium ascendimus arcem, nullo adhibito apparatu: deducebamurque in domum Cancellariorum, ubi erant duo primarii Secretarii: nobis vero ingressis, porrigebant dextras, et simul alter eorum, nobis sedentibus, exorsus est colloquium, videlicet, Magnum Principem cum suis Senatoribus exacte intellexisse negotia quae nobis a nostro Rege et Domino commissa sunt, eo quod litteris comprehensa essent in nostra Instructione. Sed haec omnia dixit propemodum in somniis esse congesta, cum Dominus noster Rex ea peteret, ad quae nunquam antea Ruthenorum Caesar consueverat annuere. Quod autem novissime ultra majorum consuetudinem sic sit factum, ut ipsemet Magnus Princeps crucem Muscoviae deosculari dignatus sit, id factum esse propter promissam Reginam, quam si vellent Sveci huc juxta priora promissa transmittere, facile fieri posse, ut id ipsum amodo servetur. Interrogavit igitur, utrum aliqua alia in commissis haberemus, praeter ea quae scriptis mandata essent. Respondimus nos nihil habere, nisi sua Caesarea Majestas nobis aliqua proponeret, quibus respondere juberemur.

Voluit deinde Matthias Schubert quasi repetendo commemorare negotia nostra, sed cum intelligeret nihil aliud esse quam contenta Instructionis, jussit ea omittere, addita



hac causa, quod Dominus noster Rex aliter petiisset renovari et confirmari pacem in litteris per Petrum Joensson datis ad Caesarem Ruthenorum, aliter per nos petierit transigi rem: quasi prorsus neglexisset actus habitos retro elapsis temporibus, velut Regis Magni aut Domini Stenonis, emissi a Rege Gostavo. Intelleximus praeterea ipsis summo opere displicuisse, quod plures Legati essent inscripti Litteris Credentiae, quam eo advenerant, sicut erant Germund Svensson et Bror, Erichsson, neque opus fuisse hac ludificatione. Respondimus alterum eorum, videlicet Bror Erichsson correptum fuisse Abo gravi morbo, ibique relictum esse valetudinarium; alterum, videlicet Germundum, prae senectute vix equitando posse conficere milliare unum aut alterum. Negligentia igitur scribarum factum esse, ut senex ille, electus ad legationem, litteris sit intitulatus. His se contentos praebuerunt, addentes insuper, se velle haec omnia Ruthenorum Caesari obsequiose renunciare, sicque nos discedere jusserunt.

Eodem vesperi accessit nos Pristavus noster, mandatis eorundem Secretariorum, significans Magno Duci summo opere displicere nostrum colloquium, ideoque nobis esse infensum et nos ablegare velle captivos usque ad Muraan quandoquidem frivolis negotiis illi sumus molesti: quasi Svecis non antea constaret, quo ea in re esset animo. Nos vicissim admirabamur, unde offendi debuit, cum nihil proposuissemus, nisi quod in scriptis antea fuisset comprehensum; et tristitia affecti propter minas captivitatis, oravimus ut iterum ascendendo arcem, priora nostra colloquia reiterare et explicare possemus. Promisit ille se haec illis renunciaturum, et nostram causam, quantum possibile esset, promoturum. 3 Junii summo mane venit magna copia equitum Caesaris Ruthenorum in aream in qua nos commorabamur, qui omnes armati erant, et multi eorum bene vestiti; hi adduxerunt secum Ingelbertum et Laurentium Bartoldi interpretes, cum duobus eorum famulis, quibus tamen mox sancte promiserunt, dextra data, nihil periculi illis hac abductione evenire.

Sexta Junii vocabamur iterum in arcem mane; quo cum pervenimus, repetiit prior noster colloquitor ea quae per Pristavum mandaverat nobis denunciari. Respondimus autem nos intellexisse, quod acta nostra displicerent Magno Principi, ideoque nos humillime petere, ut litteras deductitias consequeremur pro aliis legatis huc transmittendis, utque sua Caesarea Majestas interim dignaretur pacem addicere et servare cum Regno Sveciae, muniendo Serenissimum et Clementissimum Dominum nostrum Regem litteris ad eum hac de re datis. In hanc nostram petitionem nulla ratione consentire voluerunt. Sed quia simul paulo ante didiceramus, per fidos internuncios, nobis multa mala parata esse, ignominiam, flagella, et ablegationem in duram captivitatem, ac sociorum dispersionem, ideo diximus nos velle more prius recepto agere de pace confirmanda Novogordiae, et haec mihi omnium postremo injuncta esse, nisi in prioribus articulis nobis plene succederet. Acquieverunt ergo in hanc conditionem, sed adhuc illis dubitantibus utrum Regia Majestas ista comprobare vellet, diximus litteras illas credentiae hoc continere, ut nobis de pace inter utrumque Regnum agentibus fides adhiberetur, more antiquitus a Regibus Sveciae recepto et hactenus conservato. Produxerunt igitur litteras Regias quas nobiscum ad Magnum Principem habebamus. Quibus perlectis, promiserunt se apud Senatores et Proceres imperii Muscovitici de his acturos, ut illi apud Caesarem et Magnum Ducem Ruthenicum pro nobis intercederent, quatenus ille remissa indignatione contra nos, sineret se flecti ad ineundam et confirmandam pacem cum Domino nostro Rege: consulueruntque ut nos vocati amodo in conspectum eorum id ipsum precibus nostris ab illis contenderemus.

Illo ipso tempore advenerat Muscoviam hostis patriae nostrae Dux Magnus Livoniensis monoculus, qui suo adventu plurimum interturbavit negotia nostra, et reddidit nos apud Caesarem Ruthenorum vehementer odiosos.

Undecima die ejusdem mensis, iterum vehebamur in arcem, deducti in priorem domum, ubi salutatione praemissa,

interrogabamur, utrum vellemus stare antedictis quae novissime sumus eloquuti. Respondimus nos non mutasse sententiam, sed paratos esse ut ea bona fide confirmemus. Illi econtra ajebant, id esse in rem nostram. Addidimus praeterea, ut nobis sua benignitate benevolentiam Magni Ducis et Senatorum conciliarent; idque se facturos polliciti sunt. Illis abeuntibus, commorabamur paulisper, donec nuncio accepto in palatium deducebamur. Ibi erant ante nos circiter 15 Senes viri, Senatores et Proceres imperii Muscovitici; his more patriae nostrae prius in genere salutatis, prolocutus est Mathias Schubert:

Caesareae Ruthenorum Majestati complacuisse, ut Serenissimus et Clementissimus D:nus noster Rex ablegaret ad suam Majestatem Legatos, qui de pace inter utrumque regnum confirmanda, renovanda et prolonganda agerent quam studiosissime. Quamobrem nos hic adesse, ut id nomine et mandatis Domini nostri Regis faciamus compleamusque, orantes, ut sua Caesarea Majestas Serenissimum et Clementissimum nostrum Regem vellet suo favore prosequi, ac in foedus amicitiae et firmae pacis benigne recipere ac quam diutissime retinere. Ad eundem modum petimus humillime, ut sua Caesarea Majestas dignetur iram quoque suam de nobis conceptam, simul cum omni indignatione clementer remittere, nosque sua Caesarea et magna gratia paterne complecti; nosque deinde paratos esse ut more antiquitus recepto ac hactenus conservato, tale pacis foedus crucis osculo primum Novogordiae, deinde ex parte Livoniae in Derffta fide inviolabili confirmemus stabiliamusque. Postremo ut suae Caesareae Majestatis gratioso consensu confirmata pace, in patriam nostram redire liceret. De his se Magno Duci et Ruthenorum Caesari responderunt relatueros. Facta quoque est mentio, ut adderent necessaria victus et potus, quia nimis parce alebamus. Sicque nos illis valediximus. His peractis, tota reliqua aestate suspendebamur variis et ambiguis promissis, videlicet, quam primum negotia legatorum Poloniae transigerentur, quae dicebantur satis ardua ac magni momenti esse, nos debere



rursum cum negotiis nostris produci, ac iis determinatis, in patriam remitti. Ea spe lactabant nos tam Pristavus ipse, quam omnes alii sibi adjuncti, adjicientes et hoc, quod brevi adaugerentur nobis necessaria victus. Id factum est die Johannis Baptistae; tunc enim addebatur ad priorem illam eleemosynam dimidia Rubla, hoc est 10 marcae nostrates: viderunt enim quod vitam nostram in magna penuria trans-egimus. Hanc coaugmentatam portionem accepimus integre quodammodo usque ad ferias Divae Magdalенаe, in quibus referebatur tabellarios venisse ex Syecia: post quorum adventum omnia reddebantur tristiora (donec Muscoviae fuimus); fortassis quia a tabellariis aut in litteris duriora quam voluerunt, audiverunt. Sequebantur igitur ordine dies complures, quibus prorsus nihil cibi nobis ex foro adferebatur: si qui pecuniam habebant reliquam, illi panem emebant; qui vero caruerunt, esuriebant. Frustra igitur ex nostris aerumnis exspectavimus mitigationem, aut ex captivitate liberam dimissionem.

Hoc ipso tempore facta est mutatio Pristavorum, mutatio de malo in pejus: sicque protracta est nostra captivitas usque ad 5 Septembris, quo jubebamur proficisci Muraniam versus, distantem a Muscovia 400 stadiis Ruthenicis, hoc est, milliaribus nostris fere 80, secundo flumine: recta vero, itinere terrestri, 60 milliaribus nostratibus. His tribus Septimanis quibus iter confecimus, parcissime alebamus. Erant in itinere primum arx Colomna, distans 18 milliaribus a Muscovia: illa videbatur satis munita muro lapideo et turribus; altera erat Perezsla Resanski. Haec propugnaculis ligneis erat circumducta. Erat praeterea arx Casimiren remotius a nostro itinere sita, cum aliis villis et pagis compluribus; sed ad nullum eorum nobis deflectere licuit, ut in iis nobis pareremus necessaria vitae. Venimus vero ad Muran 24 Septembris, in curiam quandam desolatam; ibi quia antea pauca erant hypocausta, exstruebantur denuo tria: et rursus tota area circumcingebatur erectis altis et conjunctis trabibus, numero 745. Eo praemiserat Magnus Dux Ruthenorum litteras, ut nobis darent necessaria victus pro sufficientia; potus

tamen non erat alius toto tempore captivitatis nostrae, quam Quasz Ruthenicum. Panis copia tanta erat, quod reliquiis superfluis omnes fere nostrum emerint sibi coria pro calceis et ocreis parandis, similiter et telam Ruthenicam. Sine hac panum abundantia multi nostrum discalceati et nudi incessissent. Sed in hac commutatione procuratores et ministri Ruthenici non negligebant sua commoda. Panis enim quem nos pro uno Muskouffko sublevavimus, illum ipsum illi pro dimidio a nobis recipiebant, sicque lucrum illis erat duplum. Hic non est silentio praetereunda magna Dei benignitas erga nos alioqui afflictos, quod mirabiliter servabamur a contagio pestis, tam in itinere quam postea toto autumno. Illa enim passim graviter in tota fere Ruthenia grassabatur, etiam in illis locis ubi antea de tali contagio nihil quicquam auditum est. Ex nostro comitatu tantum duo obierunt in Domino, unus in navicula in itinere, alter in oppido Muran. Sicque didicimus usum Psalmi: „qui habitat in adjutorio altissimi, in protectione Dei coeli commorabitur. Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis; ad te autem non appropinquabit.“ Certe adeo mirabiliter, adeo benigne, supra quam cogitare potuimus, conservabamur. Benedictum sit nomen Domini in aeternum!

Ad captivitatem Muranensem in contubernium nostrum missus est et tabellarius Regius Blasius Prydzsen. Ille ad nos venit ex Muscovia, anno Domini 1751, die 15 mensis Martii, comitatus suo famulo Andrea Kituynen, reliquis ejus sociis in Muscovia priori autumno peste consumptis. Lactabant et nos toto hoc tempore vana spe consequendae liberae dimissionis in Patriam; venit etiam tabellarius quidam ad nos 2 Augusti, ex Muscovia emissus, ut perquireret quomodo se haberent res nostrae, et utrum adhuc essemus superstitis. Is, numerato sodalitia nostro, dedit nobis spem, fore ut Magnus Princeps Ruthenorum brevi nos suscipiat in gratiam suam Caesaream; sicque a nobis recessit. Septembris 20 ejusdem anni adductus est ad nos alius tabellarius Regius ex Sloboda Magni Principis, cum aliis tribus ejus sociis; nomen tabellario est Erico Jacobi. Ille literas

Regias jam ex Nötheborga praemiserat per tabellarium Ruthenicum, ad Muscovitarum Caesarem, qui tunc commorabatur in Sloboda, quo et praedictus Ericus cum sociis suis fuit deductus; sed non admissus ad colloquia Caesaris: inde ad nos remissus, qui dixit se Wiburgo discessisse ante 6 Septimanas. Septembris 25, nobis prandentibus, venit in aream captivitatis nostrae quidam tabellarius Muscoviensis. Is convocato toto sodalitie nostro, nobis vero in hypocausto commorantibus, assumpsit ad se unum ex famulis Regiis, cui nomen Olavo Hansson: quid vero de illo egerit, omnino nescimus. Quidam, illis discedentibus, dixerunt illum mittendum fore in Sveciam una cum tabellario Magni Principis, ut esset testis et relator nos adhuc Dei beneficio esse superstites. Illo die sepultus est noster Chirurgus, peste correptus, cujus animae Deus misereatur! Octobris 9 Anni 1571. Jam annum integrum explevimus, Dei Optimi maximi beneficio, in Muran, cum duabus septimanis; in quibus nihil praeterea nobiscum publice actum est, praeter id quod jam breviter annotavimus, nisi quod amaritudinem animi nostri toto tempore captivitatis nostrae adauxit continua illa discordia, cujus seminarium et fomentum assiduum fuit Matthias Schubert, vir impius, iniquus, subdolos et distortus tyrannus; reddat illi Dominus juxta facta ipsius! . . . . .

Ab initio mensis Septembris coepit inter nos grassari pestis, et extinctis per hanc luem 15 ex nostris comitibus, nos reliqui Divina benignitate incolumes conservabamur; quamobrem Deo gratias agimus immortales, qui nos in tantis periculis dignatus est protegere. Mansimus igitur inclusi in cavea Muranorum a 24 Septembris anni 1570, usque ad 28 Novembris anni 1571. Eo die post crepusculum vespertinum rapiebamur ad vehicula, relictis ibi omnibus nostris rebus, quas tandem recepimus in oppido Klin Decembris 8, non integre, sed mutilatim, sicut fieri solet dum res per alienos transferuntur. Ad illud oppidum advenit simul ex Muscovia Magnus Princeps Ruthenorum, comitatu non exiguo, ut proficisceretur Novogordiam, et inde irrueret vel



in Livoniam vel recta in Finlandiam, ut illam debellaret aut ferro et igni devastaret. 9 Decembris fuit nobis mandatum, ut inviseremus Secretarios Magni Principis, qui in boreali parte amnis commorabantur, sicut et ipse Caesar; eo cum perveniremus, dextra data Secretariis, exorsus est narrationem suam, quam in papyro conscriptam habuit, alter illorum; cujus summa haec est. Advenistis Novogordiam ante biennium, nec voluistis concedere negotia vestra Commissario Magni Principis Novogordensi, more antiquitus recepto et hactenus inter Ruthenos et Svecos observato, nisi prius inviseretis Caesaream Ruthenorum Majestatem. Ea vestra pertinacia displicuit Caesareae Majestati, quare Novogordiam initio hiemis adveniens, praecepit Commissario et Aphanasio Vezemskoi cum reliqua turba procerum gentis Ruthenicae, ut vos et vestra negotia attentius examinarent. Sed neque in illorum consessum debita reverentia comparuistis. Non enim illos vestri Regis nomine reverenter salutare dignabamini, sed commemorabatis quomodo Dominus vester Rex ad Regni Svecici gubernationem pervenerit. Neque in pace petenda et confirmanda inter utrumque regnum, veterum processum observastis, hac re derogantes nonnihil Magni Principis Majestati. Neque exciderat memoriae Magni Principis et Senatorum ejus, atrox illa injuria et summum dedecus quibus affectus fuerat Legatus Ruthenorum Iffvan Michalevitz, cum comitatu suo Holmiae, dum ad regni gubernacula assumptus est Rex vester Dominus Dux Johannes. Quamobrem et vos vicissim Novogordiae ignominiae et praedae exponebamini. Insuper estis hic in Ruthenia retenti ultra biennium, quandoquidem et nostri apud vos diu detinebantur. Ad haec Magnum Principem jam paratum esse ut armis et vi hostili patriam vestram devastet. Si ergo volueritis sequenti desolationi aut calamitatibus patriae per renovata pacis foedera succurrere, necesse habetis ut in has condiciones subscribatis. Primum ut Dominus vester Rex pro resarciendo damno Legatorum Magni Principis annumeret decem millia Joachimicorum. 2:0 ut Dominus vester Rex 200 aut 300

equitibus aut peditibus Caesari Ruthenorum subveniat, quoties ille opus habet; hac tamen conditione, quod ingredientes terminos Ruthenicos alimonia consequantur ab ipso Caesare. 3:o ut Dominus vester Rex concedere velit Ruthenorum Caesari venas metallicas si quas habet in terminis Finlandiae. 4:o ut Caesar Ruthenicus in titulo suo priori etiam Dominus Svetiae appellari possit.

Respondimus nos prorsus nihil habere in commissis a Serenissimo nostro Rege, ut in has aut similes condiciones consentiamus, aut de eis Magno Principi addicamus; nos tantum missos esse, et hic praesentes adstare, ut pax inter utrumque Regnum honestis mediis innovetur et confirmetur. Deinde etiam ut illa crucis osculo Novogordiae et Derfftae velut sacramento inviolabili stabiliatur. Ne vero Magnus Princeps difficiliorem se praebeat ad pacis foedera sancienda propter injuriam Legatis Holmiae illatam, promittimus recompensationem rerum ablatarum a Michaële Ivanevitz, sive summa et aestimatio earum sit decem millium Joachimorum, sive major, sive minor. De aliis conditionibus agat Magnus Princeps aut per literas aut per legatos suos. Secretarii promiserunt haec omnia Ruthenorum Caesari se relaturos, nosque in hospitium abire jusserunt. Undecima Decembris paulo ante mediam noctem, excitabamur a somnis mandato Bajorum, ut iterum inviseremus Secretarios Magni Principis; quo cum pervenissemus magna festinantia, neminem tamen in domo reperimus, praeter interpretem Germanicum. Expectantes igitur per horam fere integram, accessit tandem nos prior ille collocutor, in hunc modum verba sua exponens. Magnus Princeps et Ruthenorum Caesar non est tam avidus Christiani sanguinis, ut non prius tentet omnia media quae ad honestam et necessariam reconciliationem spectent. Est enim justitiae et Christianismo deditus. Visum igitur est suae Majestati, ut transmittat hunc vestrum collegam Antonium Olavi ad Regem vestrum, ut agnoscat culpam et deprecetur veniam, transmissis in Rutheniam prima occasione aliis legatis, ne suo magno exercitu irruat in Finlandiam eamque ferro et igni devastet. Diximus no-

bis placere hoc consilium, et summis votis expetere, ut Deus pacis auctor et largitor flectat animos Regum et Principum ad studium pacis et concordiae, ut regna utrimque sint inconcussa; his dictis jussit nos redire in hospitium. Duodecima Decembris circiter horam primarum, nunciatum fuit nobis ut rediremus ad colloquia et fortassis fore ut sisteremur in conspectum Magni Principis. Paravimus nos, deducebamurque in domum ubi prius habita sunt colloquia: ibi ultra meridiem commorabamur, et tandem peracto prandio Magni Principis, cum inde abire statuisset, perducti sumus in plateam, ubi ejus adventum exspectare cogebamur. Venit igitur vectus in vehiculo, et sistens equos inclinato capite provolvebamur proni in terram, qui deinde jussit nos resurgere, ac sua invectiva narratione sic nos allocutus est. Venistis Novogordiam ante biennium fere, ut pacis foedera apud nos renovaretis. Sed quia voluistis rem alia ratione transigi, quam majores vestri Reges Regni Svetiae Dominus Magnus, Steno Sture, Svantó et Gostavus consueverunt, ideo illam vestram superbiam perferre non potuimus. Ad haec quia Dominus Rex vester initio Regni sui post longam detentionem nostrorum legatorum, illos non tantum multiplici ignominia affici, verum etiam ut depraedarentur et bonis suis exuerentur permisit. Non misimus eos in Svetiam pro adducenda sorore Regis Polonorum Domina Catherina, nisi adducti promissionibus, literis et sigillis Legatorum Svetiae, de quibus hic Matthias Schubert unus adest: dixerunt enim D: num Ducem Johannem e vivis decessisse, carere liberis et haeredibus: ideo veluti relictam viduam petivimus eam nobis dari. Illa falsa narratione adducti, misimus Legatos nostros in Svetiam, qui inde affecti contumeliis et injuriis, velut ex tristi exilio reversi sunt. Nec reputavit eos D: nus vester Rex colloquio suo dignos, quin potius more facinorosorum eos Abo aluerat. In eam injuriam ulciscentes, permisimus et vos durius tractari et depraedari: insuper parati sumus invisere D: num Regem vestrum Johannem, et Regnum ejus hostili potentia invadere, nisi ille hac hyeme alios suos legatos ad nos mi-



serit, quorum opera et precibus indignatio nostra leniatur et avertatur. Volo igitur ut hic Antonius ad Svetiam proficiscens vestrum Regem de his viva voce et coram comonefaciat. Interim vos alii hic in Ruthenia detinebimini: et simul Antonio dextra data, profectus est. Non redeuntes in hospitium, ejus exercitum comitabamur, donec die natalis D:ni Novogordiam, circiter horam prandii appelleremus. Tertio abinde die, iterum vocabamur in domum Cancellariorum, et cum aliquamdiu ibi sedissemus, deducti sumus ad Secretarios, qui nos interrogaverunt quid sentiremus de itinere Antonii, utrum jam Holmiam appropinquaret? Respondimus nobis incertum esse, quandoquidem in aliquibus locis cogatur spatiosum mare trajicere; ideo et serius advenient legati. Caesaream Ruthenorum Majestatem pie et utiliter facere, si nobis prius missis legatis de pace confirmanda agentibus fidem adhiberet. Illam enim aequae firmam fore, ac si nobilissimi quique ex Regno Suetiae huc advenirent. Parati quoque sumus, ut eam hic Novogordiae, deinde Dorfftae aut ubi voluerit Magnus Princeps, crucis osculo stabiliamus. Metuimus enim ne iste ingens Magni Principis exercitus irruat in Finlandiam, non sine magna clade, et nostrorum damno irreparabili. Haec mala praevenire studentes, oramus obnixè, ut Magnus Princeps ad pacem et concordiam cum Regno Sveciae se flectere dignetur. Responderunt illi, se haec Ruthenorum Caesari statim renunciaturos: qui inde redeuntes, dixerunt eum hac de re apud se deliberaturum.

29 Decembris missus est in Svetiam mandato et litteris Magni Principis unus ex nostris comitibus Sigfridus Michaël, qui a nobis in domo Secretariorum segregatus, postea non est admissus ad colloquium nostrum, sed recta missus Nöteborgam versus.

### **Tantum de actis anni 1571. Nunc sequitur conclusio et catastrophe praecedentium actuum.**

Vigilia Epiphaniae D:ni oravimus Secretarios, ut duo filii Caesaris cum reliqua turba Senatorum et Bajorum, sua

intercessione flecterent iram Magni Principis contra Svecos conceptam. Producti igitur in consessum eorum die Epiphaniae D:ni, ubi simul adfuit, velut primarius heros filius Caesaris Tartarorum quos Circasszi vocant, provolvebamur in genua, inclinato capite pavementum versus, sicut mos est Ruthenorum: deinde stantes in medio fere domus, oravimus ut sua benigna intercessione duos Magni Principis filios adirent, quatenus illi una cum aliis Senatoribus et Bajoribus, apud carissimum Parentem Ruthenorum Caesarem pro nobis intercederent, ut remissa indignatione sua nos favore suo Caesareo prosequeretur, ac cohiberet exercitum ne in Finlandiam irrueret, ut eam ferro et igni devastet, sicut prius in animo statuerat suo. Ea enim ratione fit, ut plurimum innoxii et Christiani sanguinis, fortasse utrimque, non sine magna offensione omnipotentis Dei, sine causa fundatur, et sequatur magna vastitas et excidium totius gentis. Has calamitates praevenire studentes, oramus obnixae, ut et ipsi in haec mala oculos conjiciant suos, et Magnum Principem ab hoc nocendi proposito, quantum possibile est, suis precibus et benigna intercessione revocent. Serenissimus et Clementissimus D:nus noster Rex, ubi hanc clementiam audiverit subditis suis incolis Regni Svetiae exhibitam, vicissim Magnum Principem omni officiorum genere prosequetur merito. Et ipsi Deo procul dubio grata erit tantae cladis cohibitio. Responderunt illi, ea in re operam eorum non defuturam, quin tentent ut voti compotes fiamus. Sicque illis valediximus.

Sequenti die mane nuntiatum fuit nobis, ut nos convenienti indumento ornaremus; brevi enim fore, ut coram Magno Principe Ruthenorum Caesare sisteremur. Id factum est post duas circiter horas. Primum igitur in domum scribarum deducebamur, inde in palatium Caesareum; et nobis ingressis, provolvebamur iterum proni, inclinato capite in pavementum. Fecimus id bis; aderant enim ambo Caesaris filii. Post hanc adorationem progrediebamur paululum, et rursus prostrato corpore inclinavimus capita in pavementum fere. Mandavit tandem Magnus Princeps, ut

nos surgentes erigeremus, dicens se Christianum esse Principem et Dominum, ideoque se non expetere ut proni in terra jaceamus coram se. Et simul exorsus narrationem suam, commemoravit quomodo regnante Rege Erico transmiserit Holmiam tabellarios suos, quibus hospitia procurata erant in contagioso et pestilenti loco, quare et primarius ex illis peste correptus interierat: alii vero ejus comites velut destituti rectore in Rutheniam redierunt. Ex quo autem Erico Regi non satis constabat de ejus negotiis, ideo misit ad nos Johannem Laurentii, qui de his omnibus nos diligentius sciscitatus est. Illi mandavimus, ut Rex Ericus huc suos transmitteret Legatos, qui et de Livonia occupata et de D:na Catherina conjuge Ducis Johannis nobiscum agerent. Venerunt igitur ad nos Legati missi ex Svetia D:us Nicolaus Gyllenstiern, Matthias Schubert et reliqui, literis et sigillis promittentes et nobis addicentes D:nam Catherinam, quasi relictam et viduam D:ni Ducis Johannis, et sobole carentem. Quis enim justitiae amans avelleret matrem a liberis, maritum a conjuge? Horum promissionibus et sigillis adducti in hanc vanam spem, confirmavimus pacis foedera crucis osculo, non per Commissarium Novogordensem, ut olim fieri consuevit, sed in propria persona. Missimus vicissim Legatos nostros viros Principes in Svetiam, qui ibi diu et ultra consuetum retenti, tandem multiplici ignominia et atroci injuria affecti, re infecta et exuti bonis, domum ad nos redierunt, conquerentes se indigniores reputatos quam quos Rex Johannes ad colloquia reciperet sua. Venistis deinde et vos huc, licet de vestro adventu nobis parum constiterit, antequam Novogordiam, exactis feriis Natalis D:ni, appelleremus. Ibi didicimus, examinatis negotiis vestris per Commissarios et Bajores nostros, vos velut insanos homines esse, qui neglecto more veteri et inter Rutheniam et Svetiam diu conservato, voluistis multa fieri modo prius inaudito. Quamobrem ulciscentes inprimis illatas nostris legatis injurias, et simul in vestram pertinaciam, permisimus vos tractari ignominiosius ac depraedari. Insuper retenti estis hic ultra biennium velut captivi: quos D:nus



vester Rex sua intercessione merito deberet liberare; sed ille suis acerbis literis magis irritat et offendit nos, scribens gladio educto finem adesse paci. Sed nos magis moti precibus et fidei intercessione nostrorum carissimorum filiorum, Senatorum et Bajorum omnium, remittimus indignationem, nec volumus vos ulterius captivitate aliqua affligere, aut bello hac vice gentem vestram infestare, tantummodo respiscat D:nus vester Rex, et contentus suo regno nobis Livoniam omnino relinquat, tanquam ditionem nobis jure haereditario cedentem. Quod si noluerit inde se avellere, probabimus quid possit uterque, et cujus ensis fortius feriet et sit penetrantior. Haec volumus illi per vos renuntiata esse. Mandavit praeterea, ut secum illa die pranderemus, quod splendide apparaverat, quo parto, valedixit nobis data dextra, et cyato mulsae ex manu sua propinato.

Interim dum prandium pararetur, vocati sumus ad priores Secretarios et unum ex praecipuis Senatoribus. Hi nos inter reliqua interrogabant de sorore Serenissimi D:ni nostri Regis, quae adhuc esset innupta, qua esset aetate et forma. Respondimus admodum venusta et eleganti; deinde aetate jam esse nubili, et statura convenienti. Dicebant illi: utinam legati vestri qui amodo Caesaream Ruthenorum Majestatem sunt invisuri, ejus faciem et personam vivis coloribus depictam, secum adferrent. Sequentibus diebus parabantur nobis literae quas nobiscum Serenissimo et Clementissimo D:no nostro Regi afferre debuimus: eas recepimus Januarii 10 anno D:ni 1572.

Hoc scripto neque ad dextram neque ad sinistram declinavi, nec gratiam cujusquam hominis quaesivi, sed tantum schapham schapham, et ficum ficum esse dixi.

Januarii 18 anni 1572 bleff of öffwerantwardadh Stor-  
förstens wägebress, att wij obehindradh schulle fram komma. Och  
på samma tijdh gaffs of ett annadh rulle breff till Hög:te Ro-  
nungl. M:tt wår allernädigste Herre. Januarii 19 drogho wij  
aff iffrå Rogord efter middagen.

Februarii 3 drogho iffrå Nöthebårgh, hwaris wij woro

någre dagher uphåldne, såsom och tilförenne emellan Rogårdh och Nöthebårgh. 7 Februarii komo wij till Wibårgh, seenth om afftonen.

Serenissime et Clementissime D:ne Rex. Difficile et periculosum est apud tales tyrannos legatum agere, qui nihil aliud rectum esse putant, nisi quam quod ipsi statuunt. Sic Muscovita studens renovare et confirmare antiqua pacis foedera, duras et valde iniquas praescribit conditiones. Primum ut pro ignominia et injuria quam passi sunt ejus legati Holmiae et alibi in Regno Sveciae, numerentur illi decem millia Joachimicorum, prorsus nihil considerans quantum nobis eripuerit Novogordiae, in auro, argento, vasis argenteis, catenis aureis, Joachimicis et moneta Svevica. Quam praedam si pro suo valore aestimare vellet, non facile dixerim utrum illi plus amiserint Holmiae, vel nos Novogordiae. Secunda conditio pacis est, dum non veretur petere a Vestra Majestate ducentos equites Germanica armatura instructos, quorum opera uti decrevit adversus hostes suos Tartaros. Sed quid est hoc nisi ludificatio quaedam? Tertia renovandae pacis conditio est, ut vestra Serenissima Majestas decedat tota Livonia, relinquens eam Magno Principi Ruthenorum, tanquam vero haeredi et domino ejus terrae, quod tamen ipse nullis demonstrationibus comprobabit. Quarta conditio, ut vestra Majestas, velut in firmum amicitiae signum, velit etiam ei mittere viros peritos venarum metallicarum. Haec nobis discedentibus, et litteris et viva voce vestrae Serenissimae Majestati injungenda esse voluit; quae etiamsi per se sunt injustissima, tamen ad haec nostro responso, aut nostra inficiatione nihil agere potuimus. Dominus Deus flectat mentes Serenissimi et Clementissimi Domini Regis, una cum Serenissimo et Amplissimo Rege Polonorum, uniat et stabiliat, in laudem gloriae suae et defensionem utriusque Regni Svevici et Polonici, per Jesum Christum D: num nostrum, Amen!

Stormåchtigste Högborne Furste, Allernådigste Herre och Konung. Thette är thet som Musflowitens Baijorer Canceler och

Secreterere haffwa iffrå migh för Gud och hele wärlden: Selff kannor 2, och en selff skåål, wegandes till hōpa 7 lödig march.

Selff skedhar 4, wid 16 eller 17 lodh.

Daler 58 stycken. Konungh Erichs Klippinger halff tredhie hundradh march.

Gull, Rosennåbel 1 stycke, Engelat 1 stycke, Rårfsåcher 6 eller 7. Ungersgull uthwalde 28 stycken.

Keensgull et stycke.

En Gull Signettzring hengde widh samma pungen, ther jag hadhe och mit Secrät aff Selff; item en lithen Gullring. Ett kamb huuß och Stål spegell för 3 daler. Ett lādher hälte medh selff tampar, sölja och möplår.

Hästar 2 medh ett hinderthgh udaff wilflågäld. Ett förlätt aff brotät Rhdze dwelf.

Perfide et crudeliter, contra jus fasque, Legatos fuisse tractatos, manifesta radiat luce. Praetextu utebatur Russus, ad crudelitatem suam palliandam, triplici; videlicet, quod irreverenter se gesserant erga Castellanos Novogordensem; quod Legati sui, Stockholmia a Ducibus JOHANNE et CAROLO capta vim passi erant; quod iidem Legati deinde a Rege diutius erant retenti. (Veram dissimulabat causam, ferocem tyranni iram in Regem JOHANNEM, ob frustratam spem Conjugis ejus obtinendae, praetextumque egregium turbandae Poloniae ita sibi ereptum). Prima ratio fuit iniqua. Ex mandatis enim Regis sui Legati agebant; quae si superba visa sunt, non admittendi fuissent, aut rebus infectis domum remittendi, non vexandi, spoliandi, affligendi. Verum superbiae culpa non in nostros, sed in ipsos Russos merito rejicitur; qui, quoniam olim Reges Sveciae cum Principibus Novogordiae, finitimis suis, quamdiu hi sui erant juris, negotia utriusque civitatis disceptaverant, Castellano Novogordensi, subdito Magni Principis Russici, eundem deberi a Sveciae Regibus honorem, ut sibi pari, absurde contendebant: ipse autem Magnus Princeps, Svecorum Regi adeo se dignitate ferebat superiorem, ut infra suum esse fastigium existimaret, immediate cum eo Lega-



tisque ejus agere. Quam injustam ferre superbiam, Regi JOHANNI consilium non fuit, eoque minus, quod fratri et antecessori suo R. ERICO debitus esset honor delatus. Nemo credat, humanitatem Castellano Legatos denegasse, aut de communi salutatione fuisse quaestionem; sed ne Patriae dignitati, sua levitate aut imprudentia, aliquid detraheretur, sollicite cavere studebant. Neque tandem abnuebant, cum Novogordensi praefecto, ut Legato Magni Principis, si is a Domino suo mandata aut literas, ejus potestatis sibi concessae testes, ostendere valeret, in negotiorum suorum disceptationem descendere; modo conditiones pacti ab ipso deinde Magno Principe confirmarentur. Et tamen insignis erat contumelia, Legatos a Rege potentissimo ad vicinum, eo consentiente, imo invitante missos, litterisque salvi-conductus amplissimis munitos, aditu primo ad ipsum Principem, ejusque conspectu, jam ante res examinatas, prohibere. Quod suspiciosius agerent Legati, mirum videri nemini debet, cogitanti rem illis fuisse cum gente barbaratum adhuc, adeoque calliditatis calumniosae. In domum Legatorum Russicorum, capta Holmia, a militibus Ducum impetum fuisse factum, praeter mentem tamen et voluntatem Principum, negari nequit; ob negotii enim, quod urgebant, turpitudinem, plebi vehementer erant invis: sed repressus mox fuit a Duce CAROLO furor multitudinis, et Legatorum securitati prospectum (MESSENIUS Second. Illustr. T. VI p. 58 T. VII p. 1). Neque personis eorum vis illata videtur; bonorum autem jacturam fuisse resarcitam, argumento est, quod muneribus etiam cumulati Stockholmia decesserunt. Neque dubitandum, si amice cum eo Russus egisset, quin ad hanc injuriam, invitissimo se illis factam, reparandam, Rex fuisset pronissimus. Detentio Legatorum Russicorum, a qua omnis abfuit vexatio et contumelia, non injusta videbitur aequis censoribus, rationem temporum considerantibus, ingenium JOHANNIS BASILIDIS, res Regis JOHANNIS, et atrocissimam injuriam ei a barbaro his ipsis legatis mittendis illatam, qui in mandatis habebant, ut cum R. ERICO de Conjuge Fratris rapienda, et in Russiam trans-

mittenda, agerent<sup>4)</sup>. Quod itaque his Legatis multum honorem tribuere, aut ad se aditum permittere Rex noluerit, mirum sane haud videbitur. Nihil tamen iis detinendis ultra intendit, quam ut ab iniquo consilio tyrannus absisteret; pacis spe sibi facta, honorifice mox Legatos dimittens. Sed non fuit animus JOHANNI BASILIDI fide stare. Itaque in innocentes Legatos iram impotentis animi, suis feliciter receptis, mox effudit; et deinde in Livoniam et Fenniam irruens, igne ferroque crudeliter grassatus est. Rex Sveciae interim, crebris nuntiis libertatem Legatis suis poscere haud neglexit; sed nihil effecit apud hominem gentium juribus non multum tribuentem, qui tabellarios ejus, aequae ac Legatos, vinculis et exilio mulctavit. Arma tandem Regis victricia plus valuerunt; quibus et superbiam barbari fregit, prospero consiliorum suorum successu hactenus ferocis, et multiplicium injuriarum poenas feliciter exegit. Ne tamen animi sui plane oblitus, et metu coactus Legatos dimisisse videretur, variis eos tyrannus adhuc contumeliis vexavit; et vanam instruens scenam, filiorum suorum Senatorumque precibus concessisse, videri voluit. Quae omnia partim Historia illorum temporum, partim Narratio ipsa, quam typis impressam dedimus, clarissime evincunt.

<sup>4)</sup> Turpissimam cum barbaro, hac de re, R. ERICUM fecisse pactionem, nec Historici, qui memoriam infelicis hujus Regis mitissime tractant, in dubium vocant. (CELSIUS §. ERIC XIV Historia, II Bos. p. 226 sq.). Quod deinde praetexuit JOHANNES BASILIDES, se principem CATHARINAM viduam existimasse, eo difficilius fidem invenit, quod nec deinde Legatis nostris irridens proponere dubitavit, ut Reginam ad se Sveci transmitterent. De occidendo autem Duce JOHANNE, ut CATHARINA vidua fieret, consilia cum ERICO consociasse, a moribus ejus non est alienum. Magnum hunc Principem Russiae, quamvis nomine morum, educationi forte pravae maxime tribuendorum reprehendendum merito, de gente sua de caetero praeclare esse meritum, non difitemur; et ea jam tum consilia fovisse, quae faventiora nactus tempora, PETRUS I deinde exsecutus fuit, malis inprimis Sveciae fati adjutus.

## Index partis tertiae:

|                                                           | Pag.     |
|-----------------------------------------------------------|----------|
| Historia bibliothecae r. academiae Aboensis . . . . .     | 1—301.   |
| Dissertatio de poesi Fennica . . . . .                    | 303—381. |
| Narratio Pauli Juusten de legatione sua Russica . . . . . | 383—419. |

---







78i  
Hki  
SKS  
Toim  
2113  
(1867)

SUOMALAISEN KIRJALLISUUDEN SEURAN KIRJASTO



106 013 8484



